A. R. P.
AVGVSTINI
REDING
HELVETO-EIN-
SIDLENSIS, ORDINIS
S. BENEDICTI,

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ
TOMUS QUARTUS.

THEOLOGIAE SCHOLASTICÆ IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ,

AD NORMAM THEOLOGORUM SALISBURGENSIUM

TOMUS QUARTUS

DE MYSTERIO INCARNATIONIS DIVINÆ.

CUM DUPLICI INDICE.

AUTHORE

A. R. P. AUGUSTINO REDING

ORDINIS S. BENEDICTI
PROFESSO, ET DECANO
EXEMPTI MONASTERII EINSIDLENSIS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET
Ordinario olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis.
SALISBURGENSIS
EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS
ET ARCHIEPISCOPI
DOMINI, DOMINI
GUIDOBALDI
SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALIS
CONSILIARIO.

Typis Monasterii EINSIDLENSIS,
Per NICOLAUM VVAGENMANN.

ANNO CHRISTI M. DC. LXVIII.

Digitized by Google

FACULTAS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI

DOMINI, DOMINI

ABBATIS EINSIDLENSIS.

PLACIDVS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBAS
Monasterij Einsidlensis Exempti, & Sacri Romani
Imperij

PRINCEPS.

CUM præsens Sacræ Theologiæ Tomus Quartus ab Admodùm Reverendo, Clarissimo, & dilecto nostro Patre AUGUSTINO REDING SS. Theologiæ olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis, ad instantiam eiusdem Magnifici Patris Rectoris Alphonsi Stadelmayr in lucem publicam edendus per tres Theologos respectivè Sacræ Theologiæ Professores fuerit recognitus & approbatus: idcirco tenore præsentium facultatem concedimus, eundem Typis mandandi. Actum in Monasterio nostro Einsidlensi, die 2. Februarii, 1668.

PLACIDUS ABBAS.



APPROBATIO

THEOLOGICA.

QUartum Tomum, cui titulus est, THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ &c. de Mysterio Incarnationis Admodùm Reverendi ac Clarissimi Domini AUGUSTINI REDING singulari animi admiratione, & jucunditate lustravi, in quo nihil sanctionibus sacris contrarium, quin potiùs Theologicas quæstiones summâ ac mira subtilitate ventilatas, atque decisas reperi, ut suum propalent authorem. Faxit Deus, ut author suus ubique, & sibi constans, opus tam præclarum, atque conspicuum, non minùs doctissimorum virorum applausu incœptum, quàm plurimorum desiderio anxiè expetitum, feliciter ad bonum, utilitatemque publicam orbis litterarij perficiat. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij, Anno 1668.

P. Bonifacius Tschupp Monachus Einsidlensis. & SS. Theologiæ Professor Ordin.

COmprehendit Admodùm Reverendus, & Clarissimus Dominus AUGUSTINUS REDING Decanus noster meritissimus verum illius Augustini Æmulator existens in hoc suo de Incarnatione tractatu Verbum abbreviatum, velut mare magnum, & spatiosum manibus non tam scribentium, quàm cogitantium in modicâ humanæ naturæ fossâ conclusum, & quia non tam ob suavitatem, quàm dulcedinem aquæ seu doctrinæ suæ, simul est mirabilis & amabilis, omnibus proponitur enavigandus & potandus. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij, Anno 1668.

P. Ægidius Efinger Monach. Einsidlensis, & SS. Theol. Professor Ordin.

Fi-

Fidei orthodoxæ præcipuum lumen, ac Mysterium à sæculis & generationibus absconditum, scilicet Verbum Divinum in carne extensum instar Ænigmatis factum dilucidè ac clarè hoc Quarto Tomo solvitur ac enodatur, Authorem suum ex hoc illustrante, quòd tam grande Mysterium absque fidei periculo, vel doctrinæ Sacræ offendiculo solidè exponat, imò ad caliginosas multorum mortalium mentes illuminandas instar solis stellas, illustret. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij, Anno 1668.

P. Dionysius Hartman Monachus Einsidlensis, & Theologus.

PRÆFATIO.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.



Niversa Theologia, ubi Divinæ Essentiæ in se purè subsistens Esse, ejusque Naturæ sub actualissimæ intelligibilitatis Luce fulgorem cum omnimodæ perfectionis suæ attributalis gloriâ, lucidisque purissimarum intra Divinitatis uterum ac pectus Verbi & Amoris emanationum splendoribus, sub Divini Luminis per Theologicam Fidem illucescentibus irradiationibus, & supernaturalibus hinc excitatis Discursibus scientificis exposuit, ad Divinarum in Creaturas Processionum ex ipsâ Increatæ subsistentis Essentiæ ideatione per simplicem Intellectûs Divini formationem intelligibilem originatarum, ac per divini ad extra se diffundentis per ipsummet Deitatis Esse specificati Decreti efficaciam ex se sub infinitâ virtute subsistentem definitarum, atque ut sic Divinæ Dictionis ac Providentiæ vi sub insuperabili certitudine prædestinatarum explicationem progrediendo, duas generatim actionis extra Deum in Creaturas transeuntis lineas *Creationis* nimirum, ac *Instaurationis* complectitur. Prima proinde Creationis Linea omnimodæ in Creaturas diffusæ ex Deo participatæ Bonitatis species sub Universi hujus suavi Harmoniâ cum toto Cœlorum ornatu, ac Intelligentiarum seu mentium creatarum non innato duntaxat, ipsarumque substantijs congenito, sed ex divini quasi specifici gradûs ideatione supernaturaliter derivato Gratiæ ac luminis gloriæ decore, quà antecedenter ad peccatum ex infinitæ Dei Bonitatis Communicabilitate purissimâ per Divinæ Voluntatis Omnipotentissimam efficaciam in æternitate definitas comprehendit. Etsi verò subtilis Scotus ipsammet Verbi divini mediante Unione Hypostaticâ in Naturam Humanitatis egressionem, ac Personalem cum hac conjunctionem pro signo peccati prævisionem antecedente Divinitùs prædestinatam asserens, Christum quoad suæ Hypostaticæ cum Naturâ humanâ unionis substantiam contendat reducere ad lineam Creationis. Attamen quia Divini Incarnationis præfinitivi Decreti motivum ex sacris litteris, sanctorumque Patrũ authoritatibus non aliud eruitur, nisi sub quo Deus ad peccati, Intellectûs sui infinitâ omne tempus ambiente perspicaciâ prævisi remedium misericorditer præparandum respexerit: idcirco Christi in duabus divinâ & Humanâ naturis subsistentis Prædestinationem eatenus oportet reducere ad lineam duntaxat Instaurationis, ut propterea Apostolus ad *Ephes. 1* dixerit: *Placuisse Deo instaurare omnia in Christo.* Hæc igitur Instaurationis pro signo peccati prævisione consequente Divinitus conceptæ linea originem trahit ex divino Verbi incarnandi præfinitivo Decreto formaliter identicè finalizato, & ut sic specificato per Bonitatem Dei Increatam, tum quatenus ista sub ratione Miseri-

cordiæ

cordiæ est diffusiva sui *Esse Divini* secundùm Hypostaticam cum Naturâ creatâ Unionem, omnimodamque cum istâ Unione connaturaliter connexam excellentiam, tum quatenus eadem Dei Bonitas Infinita sub ratione Eminentialis Deo inexistentis Justitiæ est communicativa Dignitatis, & Sanctitatis divinæ Personalis, conferentis naturæ creatæ condignitatem perfectam ad divinæ Majestatis ex peccato contractæ offensæ reparationem, tum quatenus supersubstantialis Bonitas divina sub ratione imitabilitatis omnimodam Finalis Causalitatis Eminentiam in se continentis habet vim ad extra communicandi Christo rationem finis Universorum. Ex quo proinde Divino Incarnationis prædestinativo Decreto Christus non tantùm ut Redemptor & Sanctificator, atque Glorificator Humani Generis, sed quà Universorum finis eatenus processit, ut omnes per Creationis efficaciam in divinæ Dictionis præsentialitate ceu Causalitate effectrice jam præexistentes Creaturæ, per Decretū Universorum in Christo instaurativum ad hunc, ceu suum finem reductæ subijcerentur sub ejus pedibus. Et quia ea Divinorum Decretorum vis est, ut causalitatis Finalizativæ ac Effectivæ efficaciam exerceant in universa objecta, quæ suæ volitionis sinu continent, inde fit consequens, omnimodam creatam formalitatem ex divino licèt Creationis, pro aliquo priori signo peccati prævisionem antecedente, Decreto sub causalitatis Deo immanentis præsentialitate realiter physicè jam præexistentē, suæ actualis existentiæ in tempore ac Ævo exercite positum statum trahere insuper ex divino Verbi Incarnandi, quà Universorum Finis præfinitivo, omniumque ut sic propter Christū instaurativo peccati prævisionē consequente Decreto. Unde etiam factum est, quòd, licèt Beatissima Virgo vi Decreti Creationis inclusa in pacto Adami non in se ipsâ, sed in Adami voluntate contraxerit culpæ originalis debitum, attamen pro Decreti omnium in Christo instaurativi signo in Dei Matrem prælecta, ut sic sub omnimodâ puritate, maculæ tam Originalis, quàm Personalis intrinsecè exclusivâ prædestinata, hujus Divinæ Prædestinationationis efficaciâ in ipsam etiam Mariæ primam existentiam effectivè ac finalizativè influente, eatenus fuerit ab Originali peccato præservata, ut ne hujus quidem debitum potuerit sub exercito Existentiæ suæ statu ac in se ipsâ contraxisse.

Simili ratione factum est, ut Angelorum Gratia & Gloria Essentialis ex vi Divinæ peccatorum prævisionem pro aliquo signo antecedentis prædestinationis fuerit quidem efficaciter ponenda: attamen ex divini omnium in Christo instaurativi Decreti efficaciâ ceu actione Deo formaliter immanente, atque adeò cum divino ad Creationis lineam spectante Decreto realem identitatem habente eatenus processerit in tempore, ut ipsa etiam essentialis Angelorum Gloria & Gratia ac exercitus Existentiæ status reduci debeat in Christum ceu finem, utpote in quo tanquàm Viarum Dei initio, sive quarumlibet Divinæ causalitatis ad extra emanationum finalizativo Principio, ac universæ Creaturæ Primogenito fuerint in tantum recapitulata in quantum, ex Divino licèt Creationis Decreto sub æternitatis Præsentialitate Causaliter jam præsentia, ex divini actionem Verbi Æterni incarnativam prædestinantis Decreti Efficaciâ simul & Creativæ Deo immanentis actionis causalitate indivisibiliter in tempore procedebant. Quam igitur ob rationem divinum In-

carnationis præfinitivum Decretum, atque adeò Instaurationis per Christum linea suæ efficaciæ sinu ac Universalitate complectitur ea omnia, quæ ad lineam Creationis quoque pertinent, atque adeò talis à Doctore Angelico Theologicæ universam Creatarum Formalitatum tam naturalium, quàm supernaturalium quà sub divinæ Revelabilitatis lumine noscibilium collectione methodo, suâ concludentis divisio consultò facta est, ut in Primâ parte traderet lineam Creationis. Inter hanc verò & Tertiam lineæ omnium in Christo, tum per se ipsum originativè, tum per Sacramenta applicativè instauratricis expressivam partem posuerit Secundam Summæ suæ Angelicæ partem de creatæ intelligentiæ in Ultimum Finem per virtutes & actus moraliter bonos, nec non per gratiam divinam ac merita ordinabilitate tractantem, quòd nimirum omnimodæ istæ virtutum & gratiarum formalitates reduci debeant ad lineam tam Creationis divinæ Creaturarum Esse ex puro Dei Esse Effectricis, quàm Restaurationis universa in Christo recapitulantis. Quæ equidem recapitulationis ratio vel ex suâ naturâ ultimam ac proinde Tertiam ipsâmet ternarij numeri consummatione perfectam Theologicæ Summæ partem postulat.

VALE, ET FAVE.

IN-

INDEX
QUÆSTIONUM, ARTICULORUM, ET CONTROVERSIARUM.

QUÆSTIO I.

DE

Cognoscibilitate, Possibilitate, & Convenientia Incarnationis Verbi Divini. pag. 1.

QUÆSTIO II.

DE

Necessitate Incarnationis ad reparationem humani generis & condignam pro peccatis satisfactionem. 12.

QUÆSTIO III.

DE

Necessitate Incarnationis ad satisfaciendum ex justitia pro hominum peccatis. 38.



QUÆSTIO IV.

DE

QUÆ-



QUÆSTIO VIII.

DE



QUÆSTIO IX.

DE



QUÆSTIO X.

DE

CONTROV.



QUÆSTIO XIV.

DE



QUÆSTIO XV.

DE

IN

IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ AQUINATIS.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

1. QUÆ ex Divinæ revelationis certitudine circa Christum ac Verbi Divini Incarnationem, ejusque actiones & passiones per fidem infusam credimus, illis tanquàm Primis Principijs adhæret noster Intellectus cum firmitate omnimodâ, non per Evidentiam seu lumen aliquod intelligibile ad firmitatem sive notitiam ejusmodi determinativum, sed per prævíam Religionis vel etiam Charitatis virtute excitatæ Voluntatis motionem ac Imperium in Primæ Divinæ Veritatis subjectionem captivans Intellectum fidei intellectuali lumine illustratum.
2. Ex quibus proinde sub Divinæ non ex se ipsâ illucentis, sed in obscurâ revelatione per supernaturalem Voluntatis motionem applicatæ Veritatis objectivo lumine certificatis Principijs, noster intellectus eas sub Divinæ Revelabilitatis ratione inter se conferendo per discursum, infert conclusiones, quæ objectorum materialium utpote singularium & contingentium ratione inspectâ, nulli subesse possunt scientiæ, attamen ex Divinæ in conclusionum ejusmodi principijs radicatæ Revelabilitatis firmitate trahunt supernaturalem certitudinem. Hæc proinde ex Discursu Revelabilitati Divinæ innitente proveniens firmitas importat Assensum verè Theologicum, Primæ Dei intrinsecæ Theologiæ, ex cujus communicatione seu revelatione tanquàm ratione Formali *sub Quâ* Theologicus assensus deducitur, eatenus subalternatum, ut omnimodam sortiatur Quidditatem Scientiæ in Substantiâ supernaturalis, velut *in 1. parte q. 1. art. 2. conc. 1. 2. 3.* probavimus. 3.
4. Cujus adeò Theologicæ circa Christum Scientiæ filum contexendo, universam à Doctore Angelico *in 3. p. à q. 1.* traditam Doctrinam, quà controversias aliquas exactiùs Scholastici Theologi Iudicium exigentes continet, more nostro in ipso difficultatis fundo per sequentes quæstiones examinabimus.

QUÆSTIO PRIMA
DE
COGNOSCIBILITATE, POSSIBILITATE ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS VERBI DIVINI.

TAmetsi Verbi Divini cum naturâ humanâ Hypostatica unitio videatur aptiùs exprimi per nomen *Inhumanationis*, ad designandam nimirum totius humanitatis à Verbo assumptionem. Nihilominùs Patres & Ecclesiæ Doctores Mysterium illud communiter exprimere solent nomine Incarnationis per Synecdochen sumendo partem pro totâ naturâ, tum quia sacris etiam Litteris familiare est, sub carne designare totum hominis compositum, juxta illud Lucæ *3. v. 6. Videbit omnis caro salutare Dei*: tum quia illâ voce singulariter exprimitur beneficium Dei dignantis infirmitatem carnis nostræ pro humani generis salute portare: ut adeò istam Divinæ dignationis excellentiam Apostolus fluenta Evangelij ex Pectore Domini hausta eructans *Ioan. 1. cap.* hisce verbis delinearit, *Verbum Caro factum est*.



ARTICULUS I.

De

Possibilitate & cognoscibilitate Incarnationis.

1. DE Mysterij hujus possibilitate nefas est dubitare, cùm ex Sacris Litteris clarè demonstretur ejus existentia. Etenim hoc Mysterium consistit in unitate Hypostasis terminantis duplicem Naturam, Divinam scilicet & humanam. At in Christo esse Naturam Divinam inprimis evincitur ex *Ioan. 8.* ubi Christus quærentibus Iudæis *Tu quis es,* respondit: *Ego Principium, qui & loquor Vobis.* Ne verò ullus esset ambigendi locus, quòd Christus non esset primum in Naturâ Divinâ subsistens Principium, ait *Ioan 16. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Et *17. Tua mea sunt.* Unde *Ioan. 10.* asseruit. *Ego & Pater unum sumus.* Cui proinde Spiritus Sanctus per Apostolum ad *Romanos 9.* testimonium perhibens ista verba scripsit. *Qui est Deus.* Et ad *Coloss. 1. In ipso,* scilicet Christo inquiebat *inhabitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter, id est, substantialiter.*

2. Deinde Christus se hominem testatur *Ioan. 8. Quæritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis.* Non est autem homo, nisi constans Naturâ humanâ seu Corpore ac animâ. In Christo igitur oportet subsistere naturam humanam compositam, tum ex corpore seu carne & Sanguine, juxta illud ad Heb. *2. Quia pueri mei participaverunt carni & sanguini, & ipse* scilicet Christus *participavit eisdem*; Tum ex animâ seu spiritu, juxta illud *Ioan. 12. Anima mea turbata est.* Et *Matthæi 17. Clamans voce magnâ emisit Spiritum.* At istas duas Christi humanam & Divinam naturas subsistere in unitate Personæ Divinæ Verbi seu Filij æterni, demonstratur ex eo, quòd Christo *Matth. 16.* interroganti. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Petrus ex revelatione Patris æterni dixerit, *Tu es Christus Filij Dei Vivi.* Est gitur

3. una PersonaChristi subsistens in unitate Personali duarum realiter distinctarum naturarum, ita ut licèt quà Filius Dei Patri consubstantialis habeat Naturam Divinam, & quà Filius hominis Matri consubstantialis habeat Naturam humanam, nefas tamen sit, istarum duarum Naturarum Hypostaticam Unionem solvere, dividendo Christum in duas Personas, juxta illud *1. Ioan. 4. Omnis Spiritus, qui solvit Iesum, hic est Antichristus.*

Quibus tanquam certis præsuppositis, examinandum superest. *1. Utrum aliqua sint argumenta in contrarium efficaciter probativa impossibilitatis hujus Mysterij? 2. Quantum ex Lumine Naturali possit de hoc Mysterio cognosci?*

***



CONTROVERSIA I.

Utrùm aliqua sint argumenta efficaciter probantia impossibilitatem Mysterij Incarnationis?

DUplex hîc excitatur difficultas. Altera ex immutabilitate Dei petita. Est enim lumine naturæ notum, Deum utpote Actum Purum omnis Potentialitatis, atque adeò mutabilitatis expertem esse. At Personæ Divinæ Verbi Incarnatæ convenit Terminatio, per quam *substantialiter intrinsecè* actuans est humanam Naturam Christi, ita ut Verbum *intrinsecè* denominetur homo. Unde videtur *intrinsecè* mutatum per sui cum humanitate hypostaticam unionem. Quomodo ergo Mysterium hoc subsistit cum lumine Divinæ immutabilitatis Demonstrativo? 4.

Ad quam difficultatem Sanctus Thomas *cit. q. 16. a. 6. ad 2.* respondet: Ea, quæ *relativè* dicuntur, posse de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione. Sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius, qui fit Sinister. At quòd Deus fit homo, convenire ipsi ratione Unionis, quæ est relatio quædam. Quocirca esse hominem, de novo prædicari de Deo absque ejus mutatione, per mutationem humanæ Naturæ, quæ assumitur in Divinam Personam. 5.

Referuntur Sententiæ & Argumenta opposita.

VErùm istam Doctoris Angelici rationem impugnant Gregorius de Valentia *disp. 1. de Incarn. q. 1. punc. 2. §. sed hac responsio.* Ioannes Martinon *præs. disp. sect. 4. n. 30.* Quorum prior ex eo negat, Verbum in Incarnatione mutatum; quòd per mutationem res debeat eatenus se habere aliter, quatenus denominationem sibi de novo advenientem nec *Formaliter* nec *Eminenter* in se præcontinuerit. Unde quia Verbum *Eminentissimè* præcontinebat humanitatem, per hujus unionem mutari non potuit. 6.

Econtra Ioannes Martinon isto Valentiæ argumento rejecto, *à n. 35.* statuit 1. admitti posse in Verbo innovationem quandã, quoad modum se habendi, quatenus Verbum humanitati unitum verè ac intrinsecè incæpit, esse homo per Incarnationem. Nihilominus 2. asserit: Sicuti perfectio independentiæ & identitatis Essentiæ facit, ut in Divinis sit Principium realiter producens & non causa ad intra, sic propter modum aliquem supereminentem & ineffabilem, quo Verbum Divinum se habet in Incarnatione, non debere illã realem innovationem appellari mutationem ex parte Verbi. Hunc verò modum, per quem Verbum ab omni mutatione in hoc Mysterio eximitur, in eo consistere, quòd Verbum ratione suæ infinitissimæ & Excellentissimæ supereminentiæ, sufficientiæ, ac independentiæ à rebus creatis nullum accipiat ab humanitate commodum, vel incommodum, ornamentum aut dedecus, utilitatem, aut dispendium in suo ipsius Esse, vel operari, vel modo se habendi *intrinsecè* circa se ipsum: neque ullum 7.

genus

genus causalitatis ab ea patiatur, sed per simplicem usum suæ sufficientiæ supereminentissimæ terminet seu compleat Ultimò existentiam substantialem humanitatis, suppleatque ipsius subsistentiam, verâ quidem & physicâ unione, sed carente enumeratis imperfectionibus ex parte Verbi, quæ in omnibus rerum creatarum immutationibus saltem *divisim* reperiuntur.

8. Altera difficultas movetur à nonnullis Recentioribus apud Nazarium *in 3. p. q. 1. art. 1. cont. 3. §. contra secundam conclusionem*, asserentibus: Mysterium Incarnationis non esse *Logicè* possibile, sed *physicè* duntaxat. Fundamentum est. Quia possibile Logicum dicitur, quod est possibile ex habitudine terminorum ex se non repugnantium ad invicem. ex D. Thomâ *1. p. q. 25. a. 3. ad 4. & q. 46. a. 1. ad 1.* At illa propositio. *Deus est homo*, constat terminis ex parte Naturarum repugnantibus in uno supposito, Sancto Doctore *in 3. p. q. 16. a. 1. ad 1.* insinuante: illam enunciationem esse in materiâ ex parte Naturarum repugnante.

Conclusio I.

Immutabilitas Dei taliter cohæret cum Logicâ Incarnationis Divinæ possibilitate, ut ex prætactis argumentis nullatenus probetur hujus Mysterij repugnantia.

9. Probatur. Quia mutatio est actus Entis in potentiâ quatenus in potentiâ. At Incarnatio Divina est actio unitiva Personæ Divinæ cum Naturâ creatâ. Ex ipsâ verò hujus actionis Unitivæ Terminorum seu extremorum unibilium naturâ est, ut naturam creatam respiciat tanquàm Potentiam ex Hypostasi Divinâ actuabilem, Personam verò Divinam respiciat tanquam actum in se purè subsistentem, cum Virtute Formalem subsistendi effectum communicandi absque ullâ sui intrinsecâ formali determinatione.
10. Probatur istud assumptum. Nam Hypostasis Divina sub omnimodâ sui Formalitate est purissima actualitas. Est autem de ratione puræ actualitatis, quòd omnimodæ potentialitatis non tantùm receptivæ, sed etiam receptibilis sit exclusiva. Atqui actualitas irreceptibilis se communicando *formaliter*, nullam sui determinationem intrinsecam admittit, sed ex se ipsâ in ratione actûs seu Formæ est determinata. Unde ad sui ad extra communicationem Formalem nulla est opus causalitate Formali *intrinsecè* determinativâ, sed causalitate duntaxat efficiente. Hæc autem efficiens in naturam creatam emanans causalitas non attingit Personam Divinam nisi per respectum Transcendentalem, ex quo respectu in naturâ creatâ resultat realis ac prædicamentalis ad Divinam Hypostasin relatio, in hâc verò Hypostasi consurgit relatio duntaxat rationis. Quare in Personâ Divinâ nulla per Incarnationem seu Unionem Hypostaticam fit actuatio seu determinatio intrinseca, sed Hypostasis Divina se habet ad eam *solùm Terminativè*, ac *Denominativè*, non autem *subjectivè*, seu *inhæsivè* vel *informativè*, atque adeò Hypostasis Divina respectu Naturæ creatæ sibi unitæ non est in potentiâ receptivâ seu receptibili. Ergo unio Hypostatica seu Incarnatio Divina respectu Divinæ Hypostasis non est actus Entis in potentiâ, nec habet adeò rationem mutationis.

Responsio ad opposita Argumenta.

Ad Valentiæ *n. 3.* oppositam Doctrinam Respondetur. Formæ alicujus continentiam Eminentialem plerumque stare cum potentialitate per Formæ receptionem *intrinsecè* determinabili: in quo adeò casu realem fieri mutationem ex talis formæ receptione & actuatione intrinsecâ: velut substantia aquæ *Eminenter* in se continens Frigus, per hujus ex se repullulationem physicè mutatur. Illa igitur duntaxat Eminentialis continentia est mutabilitatis exclusiva, quæ nullam etiam receptibilitatis Potentialitatem importat: tunc enim actus ejusmodi omninò purus, nec per alterius Formæ receptionem, nec per sui in altero receptibilitatem est *Intrinsecè* determinabilis, sed per causalitatem duntaxat efficientem, tum immanentem sibi realiter identificatam, tum transeuntem *extrinsecè* ad se relatam est in ordine ad aliud determinabilis, ut adeò Hypostasis Divinæ seu purissimi in se subsistentis actûs cum naturâ creatâ compositio seu unio nullam in Personâ Divinâ importet mutationem, sed in naturâ duntaxat creatâ actionis *Hypostaticè* unitivæ receptivâ, & per relationem ex hâc actione resultantem *intrinsecè* relatâ ad Divinam sibi unitam Hypostasin. 11.

Ad Ioannis Martinon *n. 4.* propositam doctrinam Respondetur. Aliquid difficultatis in eâ se tenere. 1. Quòd intrinsecam in Verbo ponat innovationem, ita ut *intrinsecè* inceperit esse homo. Nam ista inceptio vel importat aliquam actionem *intrinsecè* receptam in Verbo, vel hoc ad illam *solùm Terminativè* se habet. Si prius dicatur, tunc in Verbo supponitur potentialitas, atque adeò mutabilitas intrinseca: Si posterius asseratur, tunc illa inceptio afficit Verbum *præcisè* ut Terminum, nec adeò est Verbo intrinseca, sed istud *solùm extrinsecè* denominatur ab illâ inceptione; tametsi *intrinsecè* dicatur homo non propter actionem Unitivam in se receptam, sed ratione Hypostasis per *ly Homo* in recto importatæ, ac in Christo homine identificatæ cum Verbo. 12. 2. Verum quidem esse, Verbum in Mysterio Incarnationis eo ipso eximi à mutatione, quòd nullum genus causalitatis patiatur ab Incarnatione. At ex hoc sequi, quòd nulla detur Causalitas Formalis *intrinsecè* determinativa Verbi ad Humanitatem, sed causalitas duntaxat efficiens extra Verbum eatenus Transiens, ut recepta in humanitate ad Verbum se habeat *solùm Terminativè*, non autem *Inhæsivè* vel *informativè* seu *receptivè*. Ex hoc autem rursus sequi, quòd inceptio Verbi incarnati non sit intrinseca Verbo, sed naturæ duntaxat humanæ, nec adeò subsistat illa per Martinon asserta inceptio ac innovatio Verbo intrinseca. Unde quando in Incarnatione dicuntur innovatæ Naturæ; hoc ita accipiendum esse, ut natura humana intelligatur *intrinsecè* innovata per physicam actionis cum Verbo unitivæ receptionem, & hâc mediante ex subsistentiâ Verbi acceptam actuationem Formalem; natura verò Divina, nec non Verbi Hypostasis intelligatur innovata *Terminativè* ac 13.

tivè ac *secundùm Denominationem duntaxat Extrinsecam ex actione extra se Transeunte, & inde resultante relatione provenientem.*

14. Ad difficultatis *n. 5.* propositæ Fundamentum Respondetur negando minorem: Nam humana Natura ad Hypostaticam cum Verbo Unionem habet aptitudinem seu Potentiam Obedientialem. Hypostasis verò Divina in ratione Termini actionem sui cum creatâ naturâ unitivâ Terminantis habet ex suâ infinitate proportionem sub puræ in subsistendo actualitatis formalitate per se ipsam actuandi, atque adeò Formalem subsistentis ac existentis effectum communicandi naturæ creatæ, recipienti illam Incarna-
15. tionis actionem Unitivam. Quare Sanctus Doctor *citatus* expressè dicit; istam propositionem: *Deus est homo*, esse in materia naturali; eò quòd natura Divina & humana per Incarnationis Mysterium sint in uno supposito, cui neutra illarum naturarum insit *per accidens*, sed *per se*. Constat proinde; Incarnationis Mysteriũ esse possibile ex Intrinsecâ terminorũ habitudine, prout ista habitudo in Naturâ humanâ importat intrinsecã obedientialẽ potentiam; in Divinâ autem Verbi Hypostasi Formalem sub puræ actualitatis ratione ad extra communicabilitatem: ut adeò humana & Divina Natura *in concreto per se* prædicentur ad invicem: istâ quidem perseitate non *immediatè* ex parte Naturæ Divinæ se tenente, sed ex parte Hypostasis ab hac indistinctæ, seque *formaliter* communicantis humanæ naturæ. *Veluti præcitatus Angelicus Doctor innuit.*



CONTROVERSIA II.

Quantum ex lumine naturali cognosci possit de Mysterio Incarnationis?

1. EAdem in hujus Mysterij secundùm lumen naturale cognoscibilitate ratio ferè procedit, quam de sublimi Trinitatis Mysterio fusè ponderavimus in *1. parte. q. 11.* quò lectorem remittimus. Neque verò aliqua inter Doctores controversia se tenet de cognitione evidente: siquidem teste Suarezio *to. 1. in 3. p. disp. 3. sect. 1. concl. 2.* sit communis Theologorum sententia, quòd Incarnationis possibilitas non possit humanâ, vel Angelicâ cognitione naturali evidenter cognosci aut demonstrari: Apostolo *ad Ephes. 3.* asserente, *Divitias Christi investigabiles & Sacramentum absconditum à sæculis in DEO.* Ex hoc namque sacro textu evincitur: Mysterium Incarnationis non esse humanâ ratione probabile, sed spiritûs tantùm efficaciâ credibile. Uti habet Divus Ambrosius *1. ad Corinth. 2.* Unde Concilium Ephesinum *can. 13. Unionem Hypostaticam* vocat *ineffabilem, & indeprehensibilem.*

2. Solùm igitur superest difficultas: *Utrùm Angelus in solis naturalibus constitutus, suo naturali Intellectuali lumine intuens Christi humanitatem, non viso, eam terminari propriâ subsistentiâ, posset saltem probabiliter judicare vel suspicari de possibilitate unionis Naturæ humanæ cum Divinâ Hypostasi?*

Referuntur Sententiæ.

IOannes de Lugo *de Mysterio Incarnationis. disp. 1. sect. 1. n. 8.* ex fundamentis mox deducendis affirmat, sibi probari, quòd Angelus suæ naturæ relictus non foret tam alienus à suspicione unionis Hypostaticæ, sicut aliqui volunt. Fundamentum est *primò*. Angelus enim videns naturâ humanam terminari de facto subsistentiâ propriâ creatâ distinctâ ex naturâ rei; & sciens aliunde, Deum esse in se subsistentem, sive unâ sive multiplici subsistentiâ; posset cogitare & dubitare, an posset subsistentia Divina supplere respectu naturæ humanæ munus illud terminandi, quod præstat subsistentia creata: sicut de facto ex eo, quòd sciamus, Deum habere intellectionem infinitam, & hominem esse capacem intelligendi, dubitant Theologi, an de potentia absoluta posset Intellectus Dei reddere hominem *formaliter* intelligentem. 3.

Secundò. Illius dubitationis aliqua Intellectui Angelico præstò esset ratio: si enim fateri debemus: Angelum, comprehensâ entitate reali accidentali, cognoscere ipsam non habere dependentiam essentialem à subjecto, debemus à fortiori fateri, quando comprehendit Naturam humanam, cognoscere illam non habere dependentiam Essentialem à subsistentiâ, sed posse esse divinitùs sine illâ. Hoc autem admisso, facilè posset cogitare, an posset terminari per subsistentiam Divinam? 4.

Ioannes Martinon *disp. 1. de Incarn. sect. 2. concl. 2.* admittit quidem, potuisse cogitationem de Incarnationis Dei possibilitate venire in mentem angeli, negat tamen, simpliciter posse Incarnationem Dei etiam *probabiliter* cognosci solo lumine naturali: eò quòd tot occurrant difficultates in contrarium, sive ex parte Dei, quomodo possit uniri sine sui mutatione & imperfectione Dei repugnante: sive ex parte humanitatis, quomodo possit terminari subsistentiâ alienâ: sive etiam ex disproportione inter hujusmodi extrema ad physicam unionem & compositionem unius Entis *per se*; ut si in mentem angeli venisset de ejus possibilitate cogitatio; vel judicium prudenter cohibuisset; vel si de alterâ parte naturaliter statuere voluisset, victus difficultatibus, negasset potiùs ob apparentiam argumentorum de impossibilitate. 5.

CONCLUSIO.

NUlla in mentem Angeli venire potest cogitatio positivæ alicujus rationis etiam probabilis de possibilitate Incarnationis.

Probatur. Nam ut aliqua de possibilitate Incarnationis positiva, merè licèt probabilis ratio *Naturaliter* pateret angelico Intellectui, oporteret Intellectũ creatũ suo naturali lumine penetrare posse, quòd actus Purus omninò irreceptibilis sit *physicè* componibilis cum substantiâ seu naturâ creatâ, in ordine ad rationem Subsistentis & Existentis potentialitati *Essentialiter* immersâ, atque adeò *Intrinsecè* ac *Formaliter* determinabili per illum Purum Irreceptibilem actum. Atqui nulla merè licèt probabilis ratio de isto Mysterio potest Intellectui creato Naturaliter cognita esse. Major 6.

patet: quia subsistentia Dei sive absoluta, sive relativa est Essentialiter actus Purus ac omninò irreceptibilis. Nequit ergo Physica Hypostasis seu subsistentiæ Divinæ compositio & Unio per aliquam positivam merè licèt probabilem rationem concepta esse ab Intellectu creato, nisi intelligatur, Actum irreceptibilem Divinâ virtute esse componibilem cum naturâ creatâ potentialitati *Essentialiter* immersâ. Minor Probatur. Nihil enim naturali lumine per Intellectum creatum est de Deo intelligibile, nisi quod spectat ad rationem Divinæ sive Efficientis sive Idealis Causalitatis & Virtutis saltem radicalis. At purissimi Actûs cum naturâ creatâ componibilitas importat in Divinâ subsistentiâ superexcellentem eminentiam, quæ nulli creatæ substantiæ est communicabilis, nec adeò in ratione Causæ Idealis, imò nec Efficientis per *se Formaliter* vel etiam *Radicaliter* in *Quarto perseitatis modo* concurrit ad aliquem creatum effectum. Cùm igitur tota creati luminis Intellectualis vis intellectrix circa Deum coarctetur ad Formalitates ex creatis effectibus noscibiles, neque verò illa Purissimi omninò irreceptibilis Actûs cum Naturâ creatâ componibilitas ex creatis effectibus sit intelligibilis, utpote ad Dei ad extra sive Idealem sive Efficientem causalitatem neque *radicaliter* neque *Formaliter in Quarto perseitatis modo* concurrens, sequitur, nullam de illius Mysterij possibilitate rationem positivam posse intellectui creato ex vi luminis naturalis notam esse.

Responsio ad opposita fundamenta.

7. AD 1. Ioannis de Lugo *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd Intellectui Angelico comprehendenti naturam humanam, pateat illius realis à subsistentiâ distinctio: nullum tamen ipsi patere posse fundamentum de possibilitate Incarnationis, nisi ex creaturis trahere possit rationem aliquam ostensivam, quòd Purissimo Divinæ subsistentiæ Actui inexistat Eminentialis vis ad suum Formalem Subsistentis, vel etiam Existentis effectum naturæ creatæ communicandum. Hoc autem Mysterium utpote cum nullo creato effectu aliquam habens analogiam, omnis creatæ Intelligentiæ lumen naturale superexcedere. Ergo illam dubitationem; *An subsistentia Divina respectu naturæ humanæ posset creatæ subsistentiæ proprium terminandi munus supplere*? non posse cum ratione aliquâ positivâ stare in angelico Intellectu.

8. Ad 2. ejusdem de Lugo *n. 4.* oppositum Fundamentum Respondetur. Licèt Angelicus Intellectus comprehendendo naturam humanam videat & affirmet, quòd hujus à suâ propriâ subsistentiâ non sit Essentialis ac Divinitùs insuperabilis dependentia. Nihilominùs ad cognoscendam Mysterij Incarnationis possibilitatem opus esse, ut intelligeret Purum Divinæ subsistentiæ Actum omninò irreceptibilem, posse Formalem subsistentis effectum communicare Naturæ creatæ *Essentialiter* immersæ potentialitati. Quod adeò Mysterium cùm excedat omnis creati luminis Intellectualis virtutem ac proportionē, *uti superiùs est probatum*. Consequens est; ex prætacto per Ioannem de Lugo proposito fundamento nullam adhuc de possibilitate Incarnationis rationem positivam patere posse Angelico Intellectui.

ARTICULUS II.

DE

Convenientia Incarnationis.

TOta hîc difficultas reduci potest ad istud punctum. *An scilicet Incarnatio Dei fuerit etiam positivè conveniens, convenientiâ non tantùm Ostensivâ, sed Collativâ laudis Divinæ*? Circa quam difficultatem enucleatius 1.
expediendam oportet in actione Incarnationis distinguere, tum Immanentem Dei Causalitatem, tum extrinsecam in creatâ naturâ receptam Hypostasis Divinæ cum hâc unitivam actionem. Etenim cùm illa prior Deo immanens 2.
causalitas consistat in Volitione Divinâ; potest de ipsâ quæri, *An in genere moralis honestatis sit perfectior sive majoris laudis collativa volitio Divina Incarnationis effectrix, quàm ejus negatio; atque adeò si volitio Divina in ratione Moralis honestatis debeat esse perfectissima, Deus moraliter necessitetur ad decernendam Personæ Divinæ cum creatâ naturâ Hypostaticam unionem*? Quâ proinde quæstione *negativè* resolutâ supererit duntaxat Quæstio; *Qualiter Transiens Incarnationis actio sit positivè ostensiva laudis Divinæ.* 3.

CONTROVERSIA I.

Utrùm tanta sit Incarnationis Convenientia & Laudabilitas, ut Deus moraliter necessitetur ad ejus causatricem volitionem?

RUiz & Granado à Francisco Amico *to. 6. cursus Theologici. disp. 4. n. 3.* citati docent: Deum semper *moraliter* determinari ad Optimum. Unde cùm Optimum sit Deum Incarnari, fuisse *Moraliter* determinatum ad eligendam Incarnationē. Fundamenta per Amicū fusè deducta sunt. *Primò* ab auctoritate tam Philosophorum, quàm Patrum: Aristotele *8. Phys. tex. 46. & 48.* asserente, *Deum & naturam semper facere, quod optimum est.* Unde axioma commune profluxit: quòd *Deus & natura semper faciant meliora.* Cui consonat Divini Dionysij *cap. 4. de Div. Nom.* dictum: quòd *Optimi sit optima adducere.* *Secundò* ex ratione. Infallibile enim est, Deum ea semper velle ac facere, quæ suæ sunt Gloriæ magis declarativa, nec non majoris gaudij & lætitiæ in Deo causativa. At optima sunt magis Divinæ gloriæ declarativa, majorisque gaudij ac lætitiæ in Deo causativa. 4.
5.

6. Cardinalis Ioannes de Lugo *disp. 2. de Incarn. sect. 4. à n. 53.* probat; quòd Deus ex negatione Incarnationis haberet quidem occasionem summi gaudij ob experientiam Independentiæ, quam ejus beatitudo habet à Bono Incarnationis, vel à perditione, aut reparatione hominum. Nihilominùs per istud de negatione Incarnationis gaudium non æqualiter compensari gaudium de Bono Incarnationis. Fundamentum est. Quia Deus positâ Incarnatione habet totum illud gaudium, quod habet ex negatione Incarnationis: adhuc enim videt se habere talem tantamque

tamque independentiam à creaturis, ut etiam sine Incarnatione esset æquè beatus. Aliunde verò Deus magis complacet in homine magis Sancto. Cùm igitur Incarnatio de se sit objectum melius, quàm ejus negatio, sequitur, Deum majorem de illâ, quàm de ejus negatione lætitiam habere.

7. Quare citatus de Lugo *à n. 26.* actum Dei, quo vult objectum melius & honestius, non esse meliorem ac perfectiorem *Moraliter* actu alio, quo vult objectum minùs perfectum; probat sequenti argumento. Nam uterque actus continet *Virtualiter* infinitam perfectionem honestatis & Sanctitatis, cum quâ identificatur. Ergo neuter actus potest crescere in bonitate morali ex honestate objecti. Antecedens probatur *à n. 68.* Quia in Deo potest considerari honestas infinita tum in actu primo, tum in actu secundo. Est autem honestas in actu primo infinita, prout est necessitas quædam fundata in infinitâ Sanctitate Dei, quâ necesse habet Deus non eligere objectum nisi honestum, quin tamen teneatur semper eligere, quod melius, & perfectius est. Hæc verò in actu primo honestas licèt in se *formaliter* non sit laudabilis in genere moris, potest tamen refundere laudabilitatem & honestatem in actum secundum. In quo proinde actu secundo Dei est infinita honestas, prout quælibet Dei volitio circa quodlibet objectum habet infinitam perfectionem in se, ex eo, quòd petat identificari cum Voluntatibus honestis circa omnes materias morales: ex ejusmodi enim identitate, quam petit quælibet Dei volitio, redundat infinita laudabilitas in singulas Voluntates DEI honestas.

Conclusio.

8. **Ex formali Divinorum liberorum Decretorum specificatione est, quòd Divina Incarnationis Nolitio æquè foret moraliter perfecta, atque ejus Volitio; nec adeò Deus sit moraliter determinatus ad decernendam Incarnationem.**

Probatur. Nam Voluntas Divina prout in actu primo libera nihil aliud est, quàm Amor Dei necessarius specificatus per Formalem identitatem Bonitatis Divinæ, tum in Essendo, tum Efficiendo, tum *Finaliter* movendo infinitæ. Hæc autem Divinæ Bonitatis infinitas importat purissimam actualitatem. Ejusmodi verò purissimæ actualitatis ratio dicit independentiam actûs ex se in infinitum communicabilis, absque ullâ tamen sui ad extra communicatione in se *Absolutissimè* subsistentis. At per se manifestum est, actum ejusmodi in se *absolutissimè* subsistentem non esse determinatum ad sui ad extra communicationem, atque adeò effectûs alicujus extra se producendi determinationem. Constat igitur, ex Formali Divinæ Voluntatis specificatione esse, quòd Deus non sit determinatus, seu necessitatus ad ullum extra se objectum decernendum, seu producendum effectum aliquem; Divo August. *lib. 83. q. 22.* argumentante in hæc verba: *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas; ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo. Nulla ergo necessitas.*

Dices. Ex hoc discursu nondum evinci, quòd circa negationem, atque circa positionem Incarnationis foret in Divina Voluntate æqualiter perfecta moralitas. Probatur istud Assumptum. Nam perfectio moralis est secundùm regulabilitatem prudentiæ. At prudentia eatenus est Mediorum in Finem ordinativa ratio, ut in medijs Fini congruentioribus inveniat majorem honestatem moralem: Est autem ex se notum, quòd Incarnationis negatio non æquè, ac Incarnatio habeat convenientiam cum Fine, seu Motivo Formali Divinæ Voluntatis specificativo. Ergo Divinæ Incarnationis volitio est majoris perfectionis moralis, quàm ejus nolitio. 9.

Contra. Nam circa prudentialem regulabilitatem vel maximè attendere oportet illam Formalitatem, quæ voluntatis mediorum Electivæ est specificativa. At inprimis ista prudentialis regulabilitas, imò ipsa Formalis prudentiæ Regula in Deo *formaliter Identicè* specificatur per purissimam Essendi actualitatem in se intelligibiliter expressam. Hæc ipsa verò Divina *per se actualissimè* subsistens Regulabilitas est *formaliter identicè* specificativa Divinæ mediorum Electivæ volitionis. Unde hoc est discriminis inter creatæ, & Increatæ Intellectricis substantiæ tum formalem prudentialem regulationem, tum objectivam regulabilitatem, partim quòd hic ipse finis sit unica in Deo regulabilitas objectiva *Formaliter Identicè* specificativa Divinæ mediorum electivæ volitionis, mediorum ex fine derivatâ Honestate se ad istam volitionem Divinam habente solum *Materialiter* ac *Terminativè*; cum econtra in Voluntate creatâ mediorum Electionis specificatio sit ex ipsâ etiam mediorum Honestate tanquàm Formali objecto seu Motivo specificativo. Cùm proinde in omni volitione Divinâ secundùm omnimodam prudentialem regulabilitatem sit unica simplicissima specificatio per ipsiusmet Finis seu Bonitatis Divinæ ex se in infinitum communicabilis & cum summâ sui independentiâ *absolutissimè* subsistentis formalem realem identitatem, sequitur, non posse in Divinæ voluntatis actibus aliquam esse moralitatis inæqualitatem, atque adeò nolitionem de incarnando, æquè ac volitionem fore ejusdem in Deo moralis honestatis. 10.

Responsio ad opposita Fundamenta.

11. Ad primum ex parte Ruiz *n. 4.* oppositum Fundamentum Respondetur. Facturas Dei comparari ad Divinam voluntatem, sicut actus imperati comparantur ad voluntatis nostræ actus elicitos. Sicut ergo illi trahunt ab istis omnimodam suam moralitatem & Honestatem; sic omnis Dei Factura nullam in ordine ad Deum habet moralem honestatem formalem, nisi secundùm denominationem extrinsecam ex Divinâ propter Bonitatis suæ Increatæ Honestatem & Sanctitatem infinitam operante Voluntate desumptam. Iuxta quam adeò extrinsecam operum Divinorum denominationem Deus eatenus dicitur Sanctus in suis omnibus operibus, ut in horum omnibus ac singulis sit *Denominativè* unica Sanctitas & honestas moralis, licèt in ipsis *Formaliter* sint diversæ secundùm

species

species realiter inæquales physicæ Bonitates. Verum igitur est, quòd Deus semper faciat meliora *Moraliter* ac *Denominativè* secundùm extrinsecam Voluntatis Divinæ ex Sanctitate suâ operantis denominationem, tametsi inter hæc ipsa Dei opera unum sit altero melius *Physicè* secundùm intrinsecam inæqualitatem.

12. Ad 2. ex parte Ruiz *n. 5.* oppositum Fundamentum Respondetur. Aliam Gloriæ Deo extrinsecæ, aliam verò Gaudij ac Gloriæ Deo intrinsecæ habendam esse rationem. Nam Gloria Deo extrinseca *Formaliter* consistit in quâdam Divinæ Excellentiæ ex creaturis relucentis resplendescentiâ. At certum est, Divinorum attributorum perfectionem ac excellentiam *diversimodè* relucere ex creaturis: adeo ut juxta hunc Divinæ claritatis ex creaturis relucentis splendorem variæ sint Divinæ laudis materiæ Divinarum perfectionum nostro intellectui, has non nisi secundùm objectivas præcisiones cognoscenti, *quasi Divisim* repræsentativæ ac reflexivæ.

13. Nihilominùs hæc ipsa Divinæ laudis Materiarum diversitas ita est procedens ex unicâ simplicissimâ Voluntatis Divinæ Sanctitate & honestate morali, ut ab istâ respectu Voluntatis Divinæ unicam habeat laudabilitatem sui *Extrinsecè* Denominativam, tametsi respectu voluntatis humanæ fundet Diversas, non quidem *Specificè* ac *Formaliter*, sub ratione laudis & Gloriæ Divinæ, sed *Materialiter* duntaxat distinctas, in ipsis specificis creaturarum per Intellectum nostrum in Deum reflexis naturis radicatas laudabilitates morales. Constat proinde, non esse verum, quòd Deus semper velit & faciat ea, quæ respectu intellectûs nostri in Deum non nisi ex creaturis reflexi sunt Gloriæ suæ magis declarativa, & suæ Divinæ laudabilitatis respectu Voluntatis nostræ magis excitativa.

14. Econtra Gloria Deo intrinseca est lux Divinæ Excellentiæ in creaturis per ipsummet Divinæ Activæ suæ imitabilitatis & communicabilitatis in se Intelligibiliter expressæ splendorem in Intellectu Divino expressiva. Hæc verò lux ac splendor Divinus respectu quarumlibet creaturarum est *Formaliter Identicè* specificatus ex ipsâmet Formali Divinæ Majestatis superexcellenti claritate & candore, ut adeò non sit major Dei Gloria intrinseca respectu unius, quàm respectu alterius creaturæ. Unde à pari, cùm Dei Gaudium intrinsecum non minùs de negatione, quam positione Incarnationis ex unâ Divinæ in se *actualissimè* cum omnimodâ independentiâ subsistentis Bonitatis *Formaliter Identicè* specificetur, Incarnationis perfectione, & exinde resultante Dei Gloriâ extrinsecâ ad Gaudium Deo intrinsecum se habente *solùm Terminativè* ac *Materialiter*; negandum est, quòd incarnatio sit in Deo causativa lætitiæ *Formaliter* majoris, sed ad summum dici potest, quòd complacentia Incarnationis effectrix sit *Effectivè* & *Causaliter*, non *in se Formaliter* major, quàm nolitio Incarnationis. Divo Thomâ *in 1. p. q. 21. art. 3. & 4.* insinuante: *Deum meliora magis diligere, non in sensu Formali, sed Causali.*

15. Ad Cardinalis de Lugo *n. 6.* Oppositum Fundamentum Respondetur. In eo gratis supponi, quòd complacentia Dei in objectis melioribus sit major formaliter, non verò Causaliter duntaxat. At istud suppositum esse hoc ipso falsum, quòd formalis Bonitas & honestas Divinæ Complacentiæ non specificetur ex ullius objecti creati morali honestate, sed increatæ duntaxat in se *actualissimè* subsistentis Bonitatis. Negandum proinde, quòd Deus habere possit læti iam *Formaliter* majorem de Incarnatione, quàm de ejus negatione.

Ad ejusdem de Lugo *n. 7.* propositum argumentum Respondetur. Eo solùm probari, quòd 16. omnes Divinæ Voluntatis actus sint *Identicè* & *Entitativè*, non autem *Formaliter* & *Specificativè* unius Sanctitatis ac honestatis moralis. Opus proinde esse, alio per nos supra in conclusione deducto Fundamento ad demonstrandum, quòd in ratione moralitatis, atque adeò Laudabilitatis sit unica omnium Divinæ voluntatis actuum specificatio.

CONTROVERSIA II.

Qualiter Incarnationis Mysterium habeat convenientiam positivè ostensivam Divinæ Laudis?

Hic inter Theologos Christianos nullum 1. aliud in decantandis tanti Mysterij Laudibus esse potest certamen, nisi quis in superexaltatione Divinæ Bonitatis se majorem ostendat. Quod tamen Encomij officium eleganti figurarum varietate ornandum Encomiasti potius relinquimus, ex Theologiæ Scholasticæ visceribus duntaxat subministraturi materiam in sequentes conclusiones distinctam.

CONCLUSIO I.

DEO ejusque attributis divinis congruebat, Verbum æternum incarnari. *S. Tho. q. 1. a. 1.*

Probatur 1. Nam cuique rei conveniens dicitur, quod juxta propriæ naturæ rationem ipsi 2. congruit. At Dei Natura est ipsa Bonitatis Essentia, Bonum autem est sui communicativum & diffusivum. S. Dionysius *cap. 1. & 4. De Divin. Nominib.* Cùm igitur Deus sit summum Bonum, imò ipsa bonitas Essentialis, ipsi congruebat summo modo se communicare, quod fiebat per unionem Personæ divinæ cum naturâ creatâ & humanâ. 2. Ad Dei Gloriam extrinsecam maxime conducit Divinas perfectiones resplendescere in aliquo Dei opere. At in opere Divinæ 3. Incarnationis inprimis resplendet amor Dei erga hominem, juxta illud *Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Etenim amoris proprium est, amantem unire cum amato, uti habet Div. Dionysius *cit. cap. 4.* Non potuit autem major unio Dei cum homine excogitari, quàm illa, quâ factum est, ùt Deus sit homo, & homo Deus. Nam per istam unionem re ipsâ obtinetur, quod amicus secundùm Philosophum optare debet, ut dicere possit de amico, *Est alter ego.* Porrò Sapientia Divina præ- 4. cipuè resplendet in artificio admirabilis illius Compositi, in quo divinitas & humanitas terminantur eâdem hypostasi Verbi. Hinc meritò appellatur Adinventio Divinæ Sapientiæ, juxta illud *Isaiæ 12. Notas facite in populis Adinventiones*

Dei

Dei: Per hanc namque Divinæ Sapientiæ adinventionem modo prorsus mirando inter se fuere conciliatæ Iustitia & Misericordia Dei, quæ videbantur quodammodò discordes occasione peccati, dum scilicet Iustitia exigebat vindictam, & misericordia veniam. Verùm per Divinitatis cum naturâ humanâ unionem misericordia & veritas obviaverunt sibi, Iustitia & pax osculatæ sunt *Psalm. 84.* Iustitiæ enim satisfactum est superabundanter, dum proprio Filio suo Deus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, *ad Rom. 8.* Misericordia etiam potissimùm locum habuit in Redemptionis nostræ, ac Incarnationis Divinæ opere, secundùm illud *Luc. 2. Recordatus Misericordiæ suæ.* Unde Anselmus *Lib. 2. Cur Deus homo. cap. 20. Quæ major,* inquit, *Concordia Iustitiæ & Misericordiæ potest cogitari? Quid Misericordius, quàm ut Pater æternus peccatori unde se redimat non habenti dicat, accipe Unigenitum meum, & da pro te; & ipse Filius, Tolle me & redime te? Quid etiam justius, quàm ut ille, cui datur pretium majus omni debito, dimittat omne debitum.* Denique in nexu duplicis extremi summè distantis, Dei scilicet ac humanitatis, summi spiritûs & infimæ materiæ elucet divina Omnipotentia. Quo sensu
5. *Luc. 1.* Deus circa opus Incarnationis dicitur fecisse potentiam in brachio suo. Hinc S. Thom. *Opusc. 60.* loquens de Convenientiâ Incarnationis exclamat: *Quid potentius, quàm conjungere extrema summè distantia? Magna enim potentia fuit in conjunctione disparium elementorum, major in conjunctione illarum ad Spiritum Increatum.* Plura de his videri possunt apud SS. August. *lib. 13. de Trinit. cap. 10. & seq. & serm. 9. de Natali Domini.* Anselmum *lib. 1. Cur Deus homo. à cap. 4. & lib. 2. à cap. 18.* Leonem *serm. 1. de Natali Christi. serm. 5. 12. & 14. Item de Passione Domini.* Bernardum *ser. 1. de Annuntiatione & serm. 3. de Vigiliâ Nativitatis.*

CONCLUSIO II.

Incarnatio ad perfectiorem Divinæ Laudis ostensionem humanæ quoque Naturæ ac toti humano generi conveniens est.

6. Probatur 1. Nam conveniens dicitur rei, quod affert perfectionem. Etsi verò supra debitum & conditionem naturæ humanæ sit, quòd uniatur cum Personâ Divinâ, hæc tamen unio attulit perfectionem & excellentiam incredibilem humanitati in Christo, scilicet summum honorem, ac dignitatem Cultûs Latriæ, valorem infinitum in meritis, & satisfactione, sedem ad Dexteram Dei Patris, plenitudinem gratiæ & gloriæ, potentiam ad miracula omnia, thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Hinc August. *de prædestinat. Sanct. cap. 25.* ait; *Hoc Incarnationis divinæ Mysterio adeò sublevatam esse humanam naturam, ut*
7. *quò altiùs attollatur, non habeat.* 2. Omnibus ac singulis hominibus, seu toti humano generi fuit conveniens Incarnatio, quatenus per hanc mentis nostræ oculis nova Divinæ claritatis Lux infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Est autem intellectui humano summè conveniens, ut per visibilia deveniat in cognitionem invisibilium Dei; ad hunc namque Finem totus mundus est factus, ut D. Tho. *cit. a. 1.* notat ex *Apost. ad Rom. 1.* dicente: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Cùm igitur per Incarnationis Mysterium monstrentur humano generi bonitas, Sapientia, Iustitia, potentia & virtus Dei, sequitur; Mysterium illud maximè congruere humano generi. 3. Ex unione
8. divinitatis cum naturâ humanâ quædam cognationis & consanguinitatis conjunctio resultavit inter Deum, & humanum genus, ut loquitur D Cyrillus *Catechesi 4.* Insuper homo per
9. participationem gratiæ sanctificantis, quæ Virtute Incarnationis ac Meritorum Christi ipsi conceditur, ex Deo nascitur, fitque consors divinitatis. Unde August. *Manual. cap. 26.* inquit, *ut homines in Deo nascerentur, primò ex ipsis natus est Deus.* 4. Ex
10. Incarnationis opere maximus honor derivatur in humanum genus, quòd scilicet Angelorum Caput sit homo Christus. *ad Ephes. 4. & Coloss. 1.* Neque minor utilitas accrescit hominibus ex tanto Mysterio, cùm Christus sit factus nobis Sapientia, Iustitia & Sanctificatio *1. Corinth. 1.* Est namque Christus nobis Sapientia factus per suam divinam doctrinam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum *Ioan. 1.* Est nobis factus Iustitia, quatenus nostra merita ex vi ac intuitu meritorum Christi fundant in nobis Ius ad futuram gloriam, seu Iustitiæ coronam, quam justus Iudex nobis est redditurus, *2. ad Timoth. 4.* Est denique Christus nobis factus Sanctificatio, dum Sacrificio crucis tanquam dignissimus Sacerdos expiavit nostra peccata, & ad Sanctificationem nostram instituit Sacramenta, in quibus hauriuntur aquæ gratiæ cum gaudio de fontibus Salvatoris. *Isa. 12.*

CONCLUSIO III.

Incarnatio toti quoque Universo conveniens fuit. Cajet. *hic a. 1.* Medina *ibidem*

11. Probatur 1. Nam in homine inveniuntur omnes totius Universi gradus, habet namque commune Esse cum lapidibus, & cælis, aliisque inanimatis creaturis; Vivere seu vegetari cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Hinc annotante Gregorio Papâ *Hom. 29. in Marc.* continetur in homine omnis creatura, vocaturque à Philosophis Microcosmus, seu minor mundus, vel abbreviatus mundus. Quare Deus assumendo humanitatem, in summâ & brevi compendio sibi conjunxit universas creaturas. Unde Incarnatio est consummatio abbreviata *Isa. 10.* Eandem ob causam dicuntur omnia in Christo instaurata fuisse. *ad Ephes. 1.*
12. 2. Universi perfectioni congruebat, ut quemadmodum in tribus hominibus dantur tres essentiæ in tribus suppositis, & in Deo tria supposita in unâ Essentiâ, sic tres Essentiæ darentur in uno supposito, quod in Christo completur, in quo divinitas, corpus & anima tanquàm tres Essentiæ terminantur unâ verbi Hypostasi.



CON-

Conclusio IV.

Etsi nulla foret Inconvenientia, Patrem aut Spiritum Sanctum incarnari; specialis tamen convenientiæ ratio relucet ex Filij Incarnatione.

13. Probatur 1. Quia secundùm Damascenum *lib. 3. Orthodox. fidei. cap. 3.* in Mysterio Incarnationis manifesta a fuit Sapientia & Virtus Dei, Sapientia quidem, quia invenit difficillimi solutionem pretij quàm decentissimam. Virtus autem, quia victum fecit rursus victorem, dum natura humana, quæ in Adamo erat victa, in Christo vicit. Atqui Sapientia & Virtus appropriatur Filio in Divinis, juxta Doctrinam Apostoli *1. Corinth. 1. Christum* appellantis Dei *Virtutem*, & *Dei Sapientiam*. 2. Quæ similia sunt, conve-
14. nienter uniuntur. At Persona Filij in æternitate procedit à Patre tanquàm Verbum, seu conceptus Dei. Ergo cùm Deus ad extra operetur tanquàm artifex per exemplar intellectuale, seu ideam conceptam; Persona Filij procedens tanquàm Verbum & conceptus Dei est similitudo exemplaris respectu totius Universi, adeoque humanæ Naturæ. Econtra Pater & Spiritus Sanctus, cùm non procedant tanquàm similitudo exemplaris creaturarum, seu Verbum, & conceptus Dei; non habent illam rationem similitudinis respectu creaturarum; cujusmodi est in Filio vi suæ processionis. Ergo Filius, non autem Pater, aut Spiritus Sanctus, ob istam similitudinis rationem fuit convenienter unitus creatæ humanæ naturæ. 3. Artifex per formam artis perceptam, quâ condidit artificiatum, hoc
15. restaurat, si fuerit collapsum. Atqui per similitudinis exemplaris, quæ est Verbum Dei Patris, participationem creaturæ sunt institutæ in suis proprijs speciebus licèt mobiliter. Ergo conveniens erat, creaturam rationalem, & humanam mediante unione Verbi Hypostaticâ reparari in ordine ad æternam & immobilem per-
16. fectionem. 4. Quia Naturæ humanæ qua rationalis non est major, & convenientior perfectio, quàm Sapientia. Sed Filius Dei procedens à Patre per intellectum, est conceptus æternæ Sapientiæ, à quâ derivatur omnis hominum Sapientia, juxta illud *Eccl. 2. Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Naturæ igitur humanæ conveniebat, ut assumeretur, ac perficeretur à Filio, utpote cui ex vi suæ processionis appropriatur
17. Sapientia. 5. Conveniens erat, humani generis reparationem, seu recreationem respondere primæ creationi ipsius. Hæc autem facta est à potentiâ Dei Patris per Verbum, *ex Ioan. 1.* Ergo hominis recreatio convenienter fiebat à potentiâ Dei Patris per Verbum Incarnatum, juxta illud *2. Corinth. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians*
18. *sibi.* 6. Incarnationis divinæ effectus, ac finis est impletio prædestinationis eorum, qui præordinati sunt ad hæreditatem cælestem. Hæc autem datur illis tantùm, quos Deus sibi adoptavit in Filios, *ad Rom. 8. Si Filij & hæredes.* Sed ista Filiatio adoptiva est participata Similitudo filiationis divinæ naturalis. Hinc enim prædestinati Filij Dei adoptivi dicuntur conformes fieri Imaginis Filij æterni Patris *Rom. 8.* Congruum igitur erat, filiationem adoptivam prædestinatorum fieri per Filium Dei naturalem Incarnatum. 7. Homo peccavit appetendo Scientiam boni, 19.
& mali, *ex Gen. 3.* Conveniens igitur erat, hominem per Verbum veræ Sapientiæ reduci ad Deum, à quo recesserat per inordinatum scientiæ appetitum. Cùm autem Filius Dei, quatenus est Verbum à Patre per Intellectum procedens, sit & dicatur secundùm proprietatem personalem Patris æterna Sapientia. Iddirco cùm Incarnatio sit facta in remedium peccati, conveniens erat, Filium Dei Incarnari. 8. Denique, 20.
homo peccavit affectando divinitatis similitudinem, juxta serpentis dictum, *Eritis sicut Dij.* At Filius Dei ex proprietate suâ Personali est imago Patris æterni. Per hanc igitur consubstantialem Dei Patris Imaginem reduci debebat homo ad Deum, præsertim quòd peccando amiserit gratiam habitualem, seu divinitatis similitudinem accidentalem, & participatam: ad quam Deitatis imaginem homo reduci, ac reformari debebat per Imaginem consubstantialem, seu Filium Dei Patris.

Nec obstat, quòd Incarnatio ordinetur ad 21.
remissionem peccatorum, quæ attribuitur Spiritui Sancto. Unde videtur conveniens, incarnari Spiritum Sanctum. Nam remissio peccatorum fit per infusionem gratiæ, & charitatis, hæc verò diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui donatur nobis in Charitatis & gratiæ infusione. Unde remissio peccatorum fit per Spiritum Sanctum tanquàm Donum Dei. At Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis sicuti est amor Personalis; sic est Donum non Patris tantùm, sed etiam Filij. Cùm igitur Incarnatio sit facta in remissionem peccatorum, quæ fit per donationem Spiritûs Sancti, congruum erat illam Personam Divinam Incarnari, cujus Donum est Spiritus Sanctus. Ergo hâc ratione conveniebat potiùs Filium, quàm Spiritum Sanctum incarnari.

Conclusio V.

Conveniens fuit, Naturam humanam à Filio Dei assumptam esse ex stirpe Adami. S. Tho. *cit. q. 4. art. 6.*

Probatur 1. Nam Filius Dei venit in hunc 22.
mundum, ut satisfaceret pro peccatis hominum. At Iustitiæ conveniens erat, ut in naturâ, quæ offendit Deum, fieret satisfactio pro peccatis. Quamvis ergo haud congrueret, ut Filius Dei Naturam Adæ, sive alterius peccatoris in individuo assumeret, oportuit enim eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundandum, *Sapientiæ 10.* Nihilominùs congruebat, naturam à Filio Dei assumptam esse progenitam ex naturâ per peccatum corruptâ, sive ex stirpe Adami. In hoc namq; Divina Potentia non parùm elucebat, quòd ex naturâ corruptâ & infirmâ ad unitatem Personæ Filij Dei assumeretur humanitas, quæ in summam Virtutem, ac dignitatem extolletur. 2. Hominis dignitati congruebat, ut 23.
ex genere naturæ humanæ, quæ à Diabolo fuit devicta, prodiret humanitas à Verbo assumpta, & victrix Diaboli. Quo sensu Aug. *13. de Trinit. cap. 18.* ait: *Poterat Deus hominem aliunde suscipere non de genere illius Adæ, qui suo peccato obligavit genus*

genus humanum: sed melius judicavit Deus de ipso, quod victum fuerat, genere assumere hominem, per quem generis humani vinceret inimicum.

24. Nec obstat, quòd talis deceret, ut esset nobis Pontifex segregatus à peccatoribus: Christus autem nascendo ex stirpe Adæ fuerit sanguine conjunctus peccatoribus. Nam Christus à peccatoribus segregatus fuit quoad culpam, ita ut in ipso esset summa Innocentia, & Sanctitas per nullam peccati labem contaminata. Verùm quoad naturam debuisse hominibus assimilari, & trahere originem ex naturâ humanâ peccato
25. corruptâ. Tum quia hâc ratione fuit Deo satisfactum per naturam humanam, quæ in progenitoribus suis erat peccato corrupta, & sic satisfactio pro peccato, quantum fieri decebat, exhibita fuit per naturam non numero, sed origine eandem, quæ Deum offenderat peccando. Tum quia Humanitatis Christi Innocentia apparet magis mirabilis, quòd esset quidem de massâ peccati, tantam nihilominùs haberet puritatem, ut omninò esset impeccabilis. Tum quia in Christi humanitate duo sunt consideranda. Primum est munus satisfaciendi pro humani generis peccatis, quo respectu congruum erat, Christum nasci ex progenie, & Stirpe Adæ, in quo omnes homines peccaverunt. Alterum est Innocentia, & puritas Christi humanitatis. Quo respectu decens fuit, ut Mater ipsius & propinquiores progenitores, sancta scilicet Anna, & Ioachim essent præditi magnâ sanctitate, sicut etiam illi, quibus nempe Abrahæ, & Davidi specialiter facta fuit promissio de Christo ex ipsorum progenie nascituro. Ex quo duplici respectu congruum erat, Christum ita esse segregatum à peccatoribus, ut propinquiores saltem progenitores præsertim Mater ipsius essent Sancti ac Innocentes, ut tamen ex stirpe Adæ, aliorumque peccatorum nasceretur Christus.

Conclusio VI.

Ex speciali quadam ratione conveniens fuit, Incarnatonem neque fieri in primo statim mundi initio, nec differri ad finem mundi, sed fieri in tempore intermedio. S. Thomas *cit. q. 1. art. 4. & 6.*

26. Prior Pars probatur 1. Nam Incarnatio Verbi ordinatur ad reparandum humanum genus, & abolendum peccatum. Medicina autem non datur nisi infirmis. Congruum igitur erat, Deum non priùs Incarnari, quàm homo peccaverat, juxta verba Christi *Matth. 9. Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus, non enim veni vo-*
27. *care Iustos, sed peccatores.* 2. Primi hominis peccatum erat ex superbiâ, quem proinde decebat liberari eo modo, ut humiliatus recognosceret se indigere Liberatore. Ad quod expediebat, hominem inprimis relinqui sub lege naturali non scriptâ, & postea, dum deficiebat in hâc lege, subdi jugo legis scriptæ Mosaicæ; sic enim morbo peccati ingravescente per legum transgressiones, homo meliùs potuit agnoscere suam infirmitatem, ac defectum virium in servandâ lege tum naturali, tum scriptâ. Unde humiliatus potuit moveri ad quærendum medicum, & auxilium gratiæ per Christum obtinendum. 3. Ab uno extremo non transitur ad alterum, nisi per medium, nec ab imperfecto pervenitur statim ad summam perfectionem. Quare oportebat, hominem priùs secundùm intellectum conjungi cum Deo per lumen fidei divinis revelationibus successu temporis augmentatis, ac secundùm Voluntatem priùs uniri per unionem charitatis, quàm assumeretur Natura humana ad substantialem, & hypostaticam Unionem cum Verbo Divino. Non igitur statim post peccatum conveniebat assumi naturam humanam ad Divinitatis unionem personalem. 4. Quantò major Iudex veniebat, tantò longior præconum series debebat præcedere, veluti habet Gloss. *in cap. 4. Galatar.* Ergo ob Verbi Incarnati dignitatem congruebat Christum non venire, nisi post longum à condito mundo intervallum, longâ præconum serie Christi adventum prædicentium præcedente. 5. Si Christus venisset in principio mundi, homines pauci fruiti fuissent præsentiâ ipsius, atque ab ejus ore suscepissent doctrinam, & abundantiam gratiæ in adventu Christi communicatam. Cùm verò illa hominum sit conditio, ut charitatis ac Fidei fervor progressu temporis languescat in ipsis, veluti ex progressu Ecclesiæ constat, fideles defecisse statim à primo charitatis fervore. Quo sensu dixit etiam Christus *Luc. 18. Cùm Filius hominis veniet, putas inveniet fidem in terrâ?* Hinc si Christus venisset in principio mundi, gratiæ & doctrinæ ipsius fervor primus procedente tempore ita tandem defecisset, ut postquàm genus humanum pleniùs erat propagatum, & major hominum multitudo indigebat Incarnationis remedio, hujus Mysterij fides esset plurimùm obscurata, ac pauciores fruerentur Christi gratiâ & beneficijs. 28. 29. 30.

31. Posterior pars probatur 1. Perfectum diverso respectu est prius ac posterius imperfecto. Nam quatenus fit motus ab imperfecto ad perfectum, ut sic perfectum est posterius: sed quatenus perfectum est causa alterius minùs perfecti, ut sic posterius est imperfectum. At in Mysterio Incarnationis inprimis fiebat motus ab imperfecto ad perfectum, dum natura humana assumebatur ad perfectissimam & substantialem unionem cum Deo. Quo respectu decuit Incarnationem fieri non statim à principio mundi, sed post longum ab humano genere condito intervallum. Deinde natura humana *Personaliter* unita Verbo est causa Efficiens, ac meritoria omnis supernaturalis perfectionis, ac gloriæ cælestis, tum animæ, tum corporis; quæ corporis gloria conceditur Beatis in fine mundi per Christum tanquam causam efficientem, ac meritoriam. Decebat ergo Christum venire ante finem mundi, ne alioquin, mundo statim cessante post Verbum Incarnatum, istud Mysterium minùs prodesset humano generi, nec possent ampliùs institui Sacramenta. 2. Expediebat Christum venisse, quando genus humanum maximè indigebat subventione, ac beneficio redemptionis. Cùm autem languore ac tepiditate, seu malitiâ hominum inter ipsos cæpisset aboleri cognitio & cultus Dei, electus fuit à Deo Abraham, ut per ipsum tanquàm Exemplar reformarentur depravati hominum mores, & notitia Dei abolita restitueretur. Cùm deinde reverentia erga Deum magis minueretur, crescente Idololatriâ, Deus populo Israelitico per Moysen dedit 32. 33.

dedit legem ſcriptam, quam cùm Gentes ſprevissent, Iudæi verò non ſervaſſent; motus Miſericordiâ Dominus miſit Filium ſuum in peccatorum remiſſionem. Quod reparationis humanæ remedium non expediebat differri ad finem mundi, ne lex Naturæ & Scripta penitus extingueretur tanto tempore, & aboleretur antequàm Chriſtus adveniret. In quem ſenſum applicari poteſt Chriſti Parabola *Matth. 21.* Ubi Paterfamilias ſeu Pater æternus dicitur plantaſſe vineam, ſcilicet Eccleſiam, & pro accipiendis fructibus ſæpiùs ad agricolas miſiſſe ſervos ſuos ſcilicet Prophetas, & tandem Filium ſuum.

3. Duo ſunt Chriſti Adventus, alter Humi-
34. litatis & Miſericordiæ, de quo *Ioan. 12. Non veni, ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.* Alter Majeſtatis erit & Iuſtitiæ ad judicandos vivos & mortuos, de quo *Matth. 24. Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum Virtute multâ & Majeſtate.* Decebat igitur, ut ille Miſericordiæ adventus præcederet adventum Iuſtitiæ in fine
35. mundi futurum. 4. Denique Virtutis divinæ Manifeſtationi congruit, homines multis modis ſalvari. Ex eo autem, quòd Deus incarnatus fuerit non in initio aut fine mundi, ſed intermedio tempore; evenit, homines ſalvari per fidem in Chriſtum tum venturum, tum præſentem, tum præteritum.

36. Huic convenientiæ de Incarnatione factâ medio mundi tempore inſervit per ſenſum accomodatitium illud Habacuc *3. In medio annorum notum facies.* Et: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Quæ tamen ſcripturæ verba non ſic accipiuntur, quaſi mundus tanto adhuc tempore poſt Chriſti Adventum ſit duraturus, quanto duravit antea, hoc namque tam incognitum eſt, quàm incertus eſt dies Iudicij, ſed *Moraliter* non *Mathematicè* intelligitur inter finem & initium mundi eſſe tempus medium, quo filius Dei fuit incarnatus, uti exponit Suarez *hic ſect. 6. concl. 3.* In ſimili morali ſenſu explicantur SS. Litteræ *Genes. 49. Iſaiæ 2. Mich. 4. & Dan. 2.* ubi appellantur dies Noviſſimi, in quibus eſt venturus Meſſias; nam totum Novi Teſtamenti tempus vocatur noviſſimum. *1. Ioan. 2. Filioli jam Noviſſima Hora eſt. & 1. Corinth. 10.* dicitur *Finis ſæ-* 37.
culorum. Cujuſmodi modi loquendi poteſt eſſe ratio: tum quòd in hoc tempore ſit data lex gratiæ, quæ noviſſima eſt, & poſt quam alia non ſperatur. Tum quòd in iſto tempore omnes compleantur prophetiæ, ob quam fortaſſis rationem tempus legis Evangelicæ vocatur plenitudo temporum *ad Galat. 4.* Tum quòd iſtud tempus ſit ultima mundi ætas, quæ licèt reliquis diuturnior ſit, ſemper tamen cenſetur una, cum in eâ non fiat notabilis mutatio, per quam diſcernuntur mundi ætates, ſed ſemper duraturus eſt idem Eccleſiæ ſtatus ac modus regiminis, unaquè gratiæ communicatio. Quo ſenſu accipi poteſt Parabola *Matth. 20.* de *Patrefamilias primò manè, dein circa horam tertiam, poſtea verò ſextam & nonam, deniquè verò circa undecimam exeunte conducere operarios in vineam ſuam.* Hæc namque Parabola exponitur per SS. PP. de mundi ætatibus, atque Apoſtoli intelliguntur per illos, qui ultimo loco ſunt vocati ad operandum in vineâ Domini. Quomodo Auguſtinus *lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 23.* dicit, Chriſtum in ſextâ ætate humani generis tanquàm in ſenectute veniſſe; quamquàm idem Eccleſiæ Doctor *lib. 83. qq. quæſt. 44.* Tempus Incarnationis vocet Iuventutem mundi, ſcilicet ob vigorem gratiæ, ac fervorem fidei, quæ operatur per dilectionem, atque ex illo Myſterio redundavit in homines.

QUÆSTIO SECUNDA. DE NECESSITATE INCARNATIONIS AD REPARATIONEM HUMANI GENERIS ET CONDIGNAM PRO PECCATIS SATISFACTIONEM.

1. INcarnationis Divinæ necessitas ex triplici capite spectari potest. 1. *Absolutè*, ita ut Divina Bonitas haberet cum ipsâ connexionem ac inclinationem necessariam : de quo *in præcedentis quæst. art. 2. cont. 1.* diximus. 2. *Ex hypothesi peccati*, & *Comparatè* respectu Finis, reparandi humanum genus peccato infectum. De quo in proximo 1. articulo disseremus. 3. *Ex hypothesi condignæ satisfactionis*, ita ut Deus pro humani generis peccato vellet condignè satisfieri. Ubi duæ occurrunt difficultates generales. *An pura creatura posset pro peccato aliquo condignè satisfacere*? De quâ in 2. præsentis quæstionis articulo. 2. *An Christi Domini pro peccatis nostris satisfactio fuerit simpliciter condigna*? De quo in 3. Articulo.



ARTICULUS I.

Utrùm ex hypothesi peccati humani generis necessarium fuerit Deum Incarnari?

2. QUæ hîc breviter expediendæ occurrunt controversiæ excitatæ sunt occasione Sanctorum Anselmi, Bonaventuræ, & Richardi à Sancto Victore, prout teste *Cardinal. de Lugo disp. 2. de Incarn. sect. 1. n. 2.* citari solent, ac si Incarnationis necessitatem statuissent ex solâ peccati, vel reparationis humanæ hypothesi, cujus tamen oppositum sit omninò certum, atque commune apud Theologos. Quare ad illorum Sanctorum Virorum mentem probiùs intelligendam duplicem instituimus controversiam. 1. est, *An ex hypothesi peccati necessarium fuerit Deum Incarnari?* 2. *An ex Hypothesi reparationis humani generis Deus fuerit necessariò incarnatus?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm ex hypothesi peccati necessarium fuerit Deum Incarnari?

NOnnulli apud præcitatum de Lugo docent, Incarnationem fuisse necessariam ex suppositione peccati, eò quòd istud non aliter potuerit condignè compensari, & aliunde indignum fuerit Deo ac indecens, peccata manere sine debitâ pœnâ, sive hominem ad Gloriam creatum Dæmonis fraude perire. Argumentum ab Authoritate petitum est, 1. Ex Sancto Anselmo *Lib. 1. Cur Deus homo. cap. 4. & 25. & lib. 2. cap. 5. & 12.* 2. Ex Richardo de Sancto Victore *lib. de Incarn. Verbi. cap. 8.* 3.

CONCLUSIO.

SUpposito etiam peccato juxta prælegatos Patres nulla Verbi Divini incarnandi fuit necessitas Deum obligans, quàm Immutabilitatis Consequens liberum Dei Decretum.

Probatur. Nam Divus Anselmus *cit. lib. 1. cap. 4.* illius necessitatis rationem reddit ex eo, 4. quòd *non decebat, ut genus humanum tam pretiosum opus Dei omninò periret : nec decebat, ut, quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur : nec idem ejus propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso Creatore suo liberaretur.* Ex quibus proinde duplex statuitur Incarnationis necessitas, altera nimirum ex proposito sive Decreto Divino : Altera ex naturâ rei. At priorem necessitatem idem S. Doctor. *cap. 28. cit. lib. 1.* explicat sequenti suâ argumentatione. *Si enim*, inquiens, *est Deo inconveniens, hominem cum aliquâ maculâ perducere ad hoc, ad quod illum sine omni maculâ fecit: ne aut boni incepti pœnitere, aut propositum implere non posse videatur : multò magis propter eandem inconvenientiam impossibile est, nullum hominem ad hoc provehi, ad quod factus est.* Ne verò quis imaginaretur

retur sibi, hanc Impossibilitatem esse antecedentem; *lib. 2. Cur Deus homo. cap. 5.* asserit: *Deum bonitate suâ creando sponte hominem, se, ut perficeret, inceptum bonum, quasi obligasse.* Ex qua proinde obligatione concludit, *necessum esse, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine, quod incepit, quamvis totum sit gratia, quod fecit Bonum.* Manifestum igitur est, priorem necessitatem de Verbo Divino incarnando Dei obligatoriam non esse nisi Immutabilitatis fundatam in ipsius Decreto libero & Gratuito. Alteram proinde po-

5. steriorem ex ipsâ rei naturâ necessitatem Sanctus Doctor *præcitato lib. 1. Cur Deus homo. cap. 5.* adstruens, sic habet. *An non intelligis, quia quæcumque alia Persona: (quàm Dei) hominem à morte æternâ redimeret, ei servus homo rectè judicaretur? Quòd si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset: cùm ipse, qui non nisi Dei servus, & æqualis Angelis bonis per omnia futurus erat; servus ejus esset, qui Deus non esset, & cujus Angeli servi non essent.* At ex his verbis clarè constat, Incarnationem ex Naturâ rei non adstrui *simpliciter* necessariam ad hominem redimendum, sed tantùm *secundùm quid*, ut plenè in suam pristinam dignitatem restitueretur, nevè alterius quàm Dei ex redemptione servus fieret. Cujusmodi proinde necessitatem, ut homo scilicet juxta rationem justitiæ ex satisfactione resurgeret, & ad plenum repararetur, Richardus *citatus* asserit circa Divinam Incarnationem. Hæc igitur ex naturâ etiam rei non nisi *secundùm quid* ad plenam seu condignam satisfactionem, & ad hominem omnimodè reparandum ac pristino statui plenè restituendum juxta præcitatos Doctores fuit necessaria.

6. Dices. Sanctum Anselmum *cit. lib. 2. c. 5.* necessitatem Incarnationis fundare in obligatione, quam Deus sponte in se suscepit, creando taliter hominem, ùt perficeret inceptum opus. Ex hoc autem inferri; quòd Verbi Divini Incarnandi necessitas Deum obligans sita sit in ipso creationis Decreto.

7. Contra. Nam Divina simplicis Intelligentiæ idea inter varios status, sub quibus humanum genus creari potuisset, *antecedenter* ad omne Decretum repræsentabat hunc ipsum statum, in quo de facto humanum genus à primævâ conditione usque ad ultimam sui consummationem stabit. Huic autem Ideali per simplicem Intelligentiam repræsentationi respondebat unum re ipsâ simplex, sed *virtualiter* multiplex Decretum comprehendens omnes status, in quibus humani generis membra unà cum Capite suo se habitura erant. At verò in tali Decreto continebatur obligatio, quâ Deus sponte se obligabat tum ad Verbi Divini Incarnationem, tum ad aliquos Christo, ut pro eis *Efficaciter* se offerret, dandos, atque ut sic ad vitam æternam eligendos, atque adeò post peccatum denuò justificandos, & in gratiâ stabiliendos, & *ultimatè* in gloriâ consummandos. In quâ proinde obligatione erat Verbi Divini incarnandi necessitas effectrix & causatrix, *formaliter* sita in Decreto decernente Incarnationem pro salute in tali signo non *absolutè* & *quoad efficaciam*, sed *conditionatè* & *quoad sufficientiam* omnibus volitâ. Hanc ipsam verò Incarnationis liberè effectricem necessitatem seu causalitatem pro altero signo consequebatur voluntas de opere creationis quoad aliquos homines in Gloriâ consummando ac perficiendo taliter, ut Christo per æterni Patris designationem dati præeligerentur ad æternam gloriam, Christo ex Divinæ ordinationis efficaciâ pro ipsis specialiter applicante sua merita. At per se notum est, in tali aliquos per Christum in Gloriâ efficaciter consummandi Decreto importari Incarnationis necessitatem, vi cujus propter Immutabilitatem suam Bonitas Dei obligaretur perficere de homine, quod incepit, atque adeò Verbi Divini Incarnationem hominis unicè consummativam implere. Constat proinde, Incarnationis obligatoriam necessitatem in Deo rectè reduci in ipsum creationis Decretum, si hoc sumatur *completè*, prout omnes in quibus homo usque ad ultimam in Gloria consummationem ponendus erat, status comprehendit: uti fecit Sanctus Anselmus non distinguendo in voluntate Divinâ instantia seu rationis signa à Theologis majoris claritatis gratiâ postmodùm adinventa.

CONTROVERSIA II.

An ex Hypothesi reparationis humani generis Deus fuerit necessariò Incarnatus?

Suppositâ hominum reparatione, fuisse Deo necessarium incarnari, eò quòd non superfuerit aliquod medium, quod prudenter posset à Deo eligi ad hunc finem; docent nonnulli à Card. de Lugo *præs. disp. 2. sect. 1. n. 2.* allegati, in suam sententiam trahentes Divum Bonaventuram *in 3. dist. 2. art. 1. q. 1.* 1

Verùm hic Sanctus Doctor expressis verbis adstruit Incarnationem necessariam non necessitate *Inevitabilitatis* & *Coactionis*, sed *Immutabilitatis* duntaxat, consurgente ex stabilitate & immutabilitate Divinæ dispositionis. 2

CONCLUSIO.

Attentâ rerum naturâ, Verbi Divini Incarnatio fuit necessaria non ad substantiam reparationis humani generis, sed ad melius Esse quoad aliquas circumstantias.

Probatur. Nam Patres nominatim S. Athanasius *serm. 3. contra Arianos.* Eusebius Emissenus *hom. 6. de Paschate.* Leo I. *serm. 2. de Nativit. Domini ante medium & serm. 12. de Pass.* Greg. *lib. 17. moral. c. 18.* Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 10. & 13.* docent: Deo alia, quàm Verbi Divini Incarnationem, fuisse media liberandi humanum genus à peccato. Unde idem Augustinus *lib. de Agone Christiano. cap. 11.* loquitur in hæc verba: *Sunt stulti, qui dicunt, non poterat aliter Dei Sapientia hominem liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex Feminâ, & à peccatoribus illa omnia pateretur.* Asserendum proinde, hominem potuisse in gratiæ statum restitui. 1. Ex purâ Misericordiâ Dei sine omni præviâ satisfactione, omninò gratis remittente totum peccatum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. 2. Per Satisfactionem imperfectam ipsius peccatoris liberaliter absq; ullo ad redem- 3.

 ptorem

ptorem aliquem reſpectu excitati ad pœnitentiam. 3. Per ſatisfactionem congruam puri hominis vel Angeli cum plenitudine gratiæ & poteſtate alijs merendi, ac pro ipſorum peccatis ſatisfaciendi conditi à Deo in vi pacti nullo licèt condigno pretio nitentis ſe obligante ad ejuſdem acceptationem 4. Per ſatisfactionem condignam & Iuſtitiæ, nec non per reparationem plenam & talem, ut nulli creatæ, ſed Divinæ duntaxat Perſonæ ex Redemptionis beneficio homo redderetur ſubjectus. Quamvis igitur quoad iſtum ultimum reparationis humanæ modum opus fuerit Redemptore, qui eſſet Perſona Divina, *uti ſequenti articulo probatur*, attamen *quoad Subſtantiam Reparationis* humanum genus priſtino gratiæ ſtatui *reſtituentis* non erat neceſſe, Deum Incarnari.



ARTICULUS II.

An pura creatura poſſet pro peccato aliquo condignè ſatisfacere?

1. UT Incarnationis Divinæ ad condignam pro peccatis ſatisfactionem neceſſitas demonſtretur, oportet probare, nulli puræ creaturæ viribus etiam gratiæ eſſe potentiam *Condignè* ſatisfaciendi pro offensâ Dei. Circa quod ſequentes extant Controverſiæ. 1. *An aliquis puri hominis actus ſit ad æqualitatem ſatisfactorius, vel ex naturâ ſuâ deletivus debiti ac reatûs culpæ?* 2. *An improportio ad ſatisfaciendum condignè pro peccato mortali ſit ex hujus infinitate?* 3. *An peccatum Veniale, vel etiam ex genere ſuo mortale abſque tamen advertentiâ ad offenſam Dei patratum poſſit condignâ hominis ſatisfactione deleri?* 4. *An purus homo ad ſublimiorem innocentiæ ac Sanctitatis gradum elevatus poſſet pro aliorum peccatis condignè ſatisfacere?*

CONTROVERSIA I.

An aliquis puri hominis actus ſit ad æqualitatem ſatisfactorius, vel ex naturâ ſuâ deletivus debiti ac reatûs culpæ mortalis?

2. SCotus *in 3. diſt. 2. quæſt. un. n. 9. & in 4. diſt. 15. q. 1. n. 7.* arbitratur, de potentiâ abſolutâ fieri poſſe, ut homo purus ſatisfaceret pro ſuo Mortali peccato. Fundamentum Scoti in priori loco deductum eſt. Quia ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſine meritis; ſicut modò licèt quilibet ſit Filius iræ, cuilibet tamen Deus dat primam gratiam ſine meritis; tunc mereretur beatitudinem. Ergo potuit e-
3. tiam meruiſſe deletionem culpæ. Confirmatur iſta conſequentia ex poſteriori ſubtilis Doctoris loco. Dici enim poteſt; quòd Deus de potentiâ abſolutâ poſſet poſt attritionem tanquàm diſpoſitionem congruam, & meritum de congruo dediſſe peccatori Gratiam; per quam motus ejus fieret contritio, & ſic per ſatisfactionem deleviſſe peccatum: ſiquidem per actum illum redderetur Deo æquivalens illi bono, quod abſtulit peccatum.

Vaſquez *to. 1. in 3. p. diſp. 2. cap. 5. & 6.* arbitratur, contritionem naturâ ſuâ abſtergere, ac delere omnem peccati maculam & offenſam pro toto debito peccati eluendo. Fundamentum eſt. Nam debitum peccati ſive Originalis ex primo parente, ſive actionis propriæ non tantùm eſt carendi viſione & amicitiâ Dei, ſed etiam auxilio gratiæ excitantis, & adjuvantis; quo in ſtatum amicitiæ reſtitueremur. At per ſe manifeſtum eſt, iſtud gratiæ auxilio carendi debitum ſupponi gratis remiſſum, priuſquàm habeatur contritio. Hæc igitur non poteſt eſſe ſatisfactoria pro debito carendi gratiâ præveniente & adjuvante: tametſi ſit ſatisfactio de ſe ſufficiens ad abſtergendam peccati maculam. 4.

Cardinalis de Lugo *præs. diſp. 5. ſect. 1. à n. 6.* præfatam Vaſquezij ſententiam impugnat ſequenti argumento. Etenim debitum culpæ *Habitualiter* manens conſiſtit in eo, quòd peccatum præteritum *Moraliter* maneat in ordine ad reddendum Deum rationabiliter averſum à peccatore. Hæc autem permanentia tollitur vel per condonationem ipſius Dei, vel per condignam & ſufficientem placationem & ſatisfactionem, quâ poſitâ, jam Deus non ſit rationabiliter averſus ob culpam præteritam. Unde licèt condonato debito carendi primo auxilio, cenſeatur condonata pars aliqua pænæ debitæ ex peccato: culpa tamen in ratione culpæ nullo modo cenſetur condonata: alioquin enim poſt collationem illius auxilij, & ante actum contritionis non eſſet in homine integra ratio peccati & culpæ habitualis, quod eſt valdè abſurdum. Conſequens igitur eſt, illum, qui ſatisfacit pro toto illo, quod poſt condonatum debitum carendi primo auxilio, manet, ſatisfacere planè pro culpâ in ratione culpæ *æqualiter* & *de condigno*. At ex mente Vaſquezij per contritionem ſatisfacere poteſt homo pro toto illo præter debitum carendi primo auxilio. Ergo poteſt ſatisfacere *adæquatè* pro culpâ, prout condiſtinguitur à debito pænæ. Ergo ſecundùm Vaſquezium poteſt purus homo ſaltem ex viribus à Deo acceptis *ſimpliciter* & *abſolutè* ſe redimere & liberare condignè à peccato. 5.

CONCLUSIO.

SImpliciter fatendum eſt; hominem purum ex viribus etiam gratiæ eſſe impotentem ad condignè ſatisfaciendum non tantùm pro debito carendi primo auxilio, ſed etiam pro abſtergendâ maculâ peccati.

Probatur. In ipsâ enim remiſſione peccati *Formaliter* intervenit gratia. At ſi contritio à ratione condignæ pro peccato ſatisfactionis ideo duntaxat deficeret, quòd ſupponat condonationem debiti primo auxilio carendi, dum alioquin ex naturâ ſuâ ſufficiens foret ad peccati maculam abſtergendam, ſequeretur: remiſſionem 6.

peccati

peccati non in se ipsâ *formaliter* esse gratiam, sed tantùm *Causaliter* ratione auxilij actu conferentis contritionem ex naturâ suâ deletivam peccati. Probatur ista sequela. Non enim est *Formaliter* Gratia in effectu, secundùm ipsam rei naturam consequente formam aliquam supernaturalem, sed ista eatenus potest esse gratia, ut tamen effectus in eâ radicatus non sit gratia, sed debitum ex intrinsecâ connaturalitatis exigentiâ: veluti patet in Gloriâ, quæ non *Formaliter* est Gratia, sed *Radicaliter* duntaxat in suo semine, justitiâ nimirum *Connaturaliter* illam exigente. Pari ergo ratione peccatorum remissio, & Sanctitatis infusio non esset *Formaliter* gratia, si contritio per naturam suam esset deletiva peccati, sed licèt in contritionis donatione intervenirct gratia, effectus tamen remissionis peccatorum *Connaturaliter* in eâ radicatus, non nisi *Causaliter* seu *Radicaliter* sortiretur rationem gratiæ. Hoc autem videtur pugnare cum doctrinâ Apostoli *ad Rom. 8.* asserentis: hominem justificari gratis. Nequit ergo contritio à ratione condignæ pro peccato satisfactionis ex hoc solùm excludi, quòd supponat gratuitam debiti primo auxilio carendi condonationem, sed oportet, illâ etiam suppositâ, fieri adhuc gratiam in peccati remissione, atque adeò ipsam non esse ex naturâ suâ *Formaliter* exclusivam peccati, sed habere duntaxat aliquam congruitatis proportionem ad hoc, ut Dei Misericordia ad Gratiæ justificantis infusionem, atque adeò peccati remissionem flectatur.

7.

8. Respondebis ex Vasquezio *cit. disp. 2. cap. 6. n. 60.* Verum quidem esse, quòd, si contritio in ordine causalitatis efficientis esset antecedens Gratiæ habitualis infusionem, tunc ipsa non solùm condigna foret satisfactio pro peccati maculâ, sed etiam mereretur Condignè gratiæ habitualis infusionem. At verò infusionem gratiæ in viâ causalitatis efficientis esse priorem motu contritionis. Unde per hanc nos non mereri gratiæ infusionem: atque adeò in justificatione & peccatorum remissione Formaliter fieri Gratiam & Misericordiam.

9. Contra. Nam de fide est, quòd contritio ex motivo dilectionis Dei concepta habeat rationem dispositionis, quam justificatio ipsa consequitur. ex Concil. Trident. *sess. 6. de justif. cap. 6. & 7.* Hæc autem justificatio non est sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam gratiæ & donorum susceptionem *ex cit. cap. 7.* Unde contritio *secundum Concilium Tridentinum* in viâ dispositionis est prior remissione peccatorum & & Gratiæ Sanctificantis infusione. At si contritio per naturam suam esset deletiva peccati, sequeretur; pro illo etiam priori habere intrinsecam Connaturalitatis exigentiam ad gratiæ habitualis infusionem, ac peccatorum remissionem. Hæc ipsa verò intrinseca connaturalitatis exigentia importaret rationem meriti condigni. Probatur istud assumptum. Tum quia

10. Ius hæreditatis ad Gloriam in justo nihil aliud importat, quàm connaturalitatis in Gratiâ ad Gloriam proportionem ac exigentiam intrinsecam, unà cum pacto Divino super hanc connaturalitatis exigentiam fundato. At eo ipso, quòd contritio per naturam suam esset deletiva peccati, haberet cum remissione peccatorum proportionem & connaturalitatis exigentiam intrinsecam. Unde accedente pacto, seu promissione Divinâ; non minùs ex Iure deberetur Gratiæ habitualis infusio ac peccatorum remissio, quàm ex Gratiâ justificante debeatur æterna gloria. Tum quia ratio meriti Condigni 11.
nihil aliud importat, quàm opus ex libertate nostrâ proveniens per gratiam Sanctificantem eatenus dignificatum, ut habeat cum præmio intrinsecam connaturalitatis exigentiam Divinæ promissionis firmitate roboratam. At contritio pro illo priori, in quo sub ratione dispositionis antecedit justificationem, est opus supernaturale à nostrâ libertate Divinitùs præventâ elicitum, ex Divinæ saltem promissionis firmitate habens cum Gratiæ habitualis infusione ac peccatorum remissione connexionem certam & infallibilem. Si proinde ista contritionis cum peccatorum remissione ac justificatione connexio non sit merè extrinseca ex voluntatis Divinæ promissione gratuitâ, sed fundetur in supernaturalis contritionis intrinsecâ habitudine, ita ut hæc per naturam suam sit deletiva peccatorum, sequitur; ipsam pro illo priori habere rationem meriti condigni. At istud adversatur Concilio Tridentino *cit. sess. 6. cap. 8.* decernenti: quòd *per Apostolum ideò dicamur justificari gratis, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Consequens proinde est, Contritionem *ex Concilio Tridentino* inter dispositiones justificationem præcedentes recensitam non habere per naturam suam, quòd Sanctitatem & peccatorum remissionem conferat.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD Scoti *n. 2. & 3.* oppositum fundamentum ejusque confirmationem Respondetur. In 12.
eo inprimis suppono, quòd opus in Gratiâ factum foret condignum peccati Mortalis offensâ. Hoc autem falsum esse, in sequenti controversiâ demonstrabitur. Deinde eo ipso, quòd Gratia sanctificans sit *Formaliter* expulsiva peccati, non posse opus in statu gratiæ elicitum stare nisi suppositâ peccatorum remissione. At causam ex ratione suâ intrinsecâ importare prioritatem respectu sui effectûs. Quare contritionem, si supponeret Gratiæ statum, non posse peccati Mortalis deletionem mereri, & causare.

Ad Vasquezij *n. 4.* oppositam doctrinam 13.
Respondetur. Verum quidem esse, non tantùm non posse ab homine satisfieri pro debito carendi primo auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis: sed hominem quantumvis in Gratiâ constitutum esse impotentem, ut merito aliquo condigno se elevaret ad statum, in quo aliquod etiam minimum gratiæ efficax auxilium sibi deberetur. At isto non obstante, per opus supernaturale ex Divinæ causalitatis efficaciâ donatum mereri hominem *Condignè* Gloriam æternam, eo ipso, quòd opus ejusmodi habeat intrinsecam cum Gloriâ connaturalitatis exigentiam. An non igitur ipsa peccati remissio esset ex condigno debito, si contritio, licèt fluere deberet ex liberali Gratiæ Divinæ excitantis donatione, haberet intrinsecam cum tali remissione Connaturalitatis proportionem, ac exigentiam.

CON-

CONTROVERSIA II.

An Improportio ad Condignè satisfaciendum pro peccato mortali sit ex hujus infinitate?

1. DOctor Angelicus *in 3. p. q. 1. art. 2. ad 2.* hujus quæstionis: *Cur homo purus nequeat pro peccato mortali condignè satisfacere*; rationem reddit ex eo, quòd peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habeat ex infinitate Divinæ Majestatis: Siquidem offensa tantò fit gravior, quantò major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam utpote Dei & hominis existens. In quâ proinde ratione vel firmandâ vel evertendâ variè distrahuntur Doctores.

Referuntur Sententiæ.

2. PRima sententia simpliciter negans infinitatem peccati traditur à Vasquezio *cit. disp. 2. cap. 2. n. 8.* & Mæratio *tract. de incarn. disp. 3. sect. 5.* & Hiquæo *in Commentario sui subtilis Doctoris in 4. dist. 15. q. 1. à n. 13.* prællegatam Divi Thomæ rationem taliter impugnante. Etenim in peccato mortali non potest esse major malitia, quàm sit bonitas, quâ privat. At hæc finita est, potestque in actibus puræ creaturæ inveniri. Ergo & satisfactio condigna peccato.

3. Quòd si Respondeatur, oportere in peccato mortali distingui inter offensam Dei, & malitiam bonitati morali virtutis oppositam; adeò ut hæc finita sit, non verò illa: tunc Hiquæus *n. 15.* radicem illius infinitatis expugnare nititur sequenti Argumento. Etenim offensa, quæ est in peccato mortali, vel est oppositio peccati ad Charitatem, quatenus dirimit amicitiam cum Deo, privatque vitâ spirituali: vel consistit in aliquâ injuriâ Deo factâ. At quidquid horum dicatur, erit finitum. Minor probatur. Nam ratio tam oppositionis ad charitatem, quàm injuriæ Deo factæ importat *Formaliter* oppositionem cum aliquâ Virtute. At nulla virtus perfectiùs attingit Deum, quàm Charitas, cujus rectitudo tamen finita est, & consequenter privatio ejus vel oppositio. A fortiori igitur oppositio ad alias virtutes, ipsaque adeò injuriæ Divinæ ratio Virtuti alicui opposita est finita.

4. Si denuò respondeatur; Peccatum in ratione offensæ spectatum esse contra Deum, atque adeò ex oppositione ad Majestatem Dei esse infinitum; tum idem Hiquæus taliter instat. Eo ipso, quòd Deus sit Esse necessarium, non datur privatio aut negatio sui Esse, neque aliquid contrarium suo Esse. Ergo peccatum non contrariatur Deo, prout in se consideratur. Antecedens confirmatur, quia omne aliud à Deo, in quantum ens est creatum & participatio Divini Esse. Ergo repugnat, ut inferat aut fundet privationem aut negationem Divini Esse, sicut neque effectus fundat non Esse causæ, à quâ *Essentialiter* dependet. At verò peccatum neque ex affectu peccatoris est Privatio, aut negatio Divini Esse, cùm quilibet alioquin peccator vellet Deum non esse, adeoque supponeret errorem ac hæresin: quod tamen est falsum.

Si rursus respondeatur; Peccatorem ex suo affectu non quidem *Formaliter* ac *Explicitè*, sed *Virtualiter* & *Implicitè* velle, Deum non esse, tunc prællegatus Author *n. 16.* sic opponit. Nam operans *Virtualiter* & *Implicitè* vult omnia, sine quibus repugnat actum esse: qui enim vult finem, vult omnia necessaria ad finem. At sine Deo nequit operari voluntas peccatrix. Ergo hæc operando *Implicitè* saltem vult Deum esse. Ergo repugnat ipsam peccaminosè operando *Virtualiter* ac *Implicitè* velle, Deum non esse. 5.

Si denique Respondeatur; Peccatorem ex hoc velle *Virtualiter* Deum non esse, quòd rationem ultimi Finis statuat in creaturâ; præcitatus Hiquæus *n. 17.* taliter instat. Nam ratio Ultimi finis potest dupliciter statui in creaturâ, *Positivè* nimirum ac *Negativè*. At si peccator rationem ultimi finis *Positivè* statueret in creaturâ, tunc committeret hæresin, & peccaret semper in specie contra charitatem. Ergò *Negativè* duntaxat ponit rationem ultimi Finis in objecto peccaminoso. Hoc autem nihil aliud est, quàm peccatorem non tendere in ultimum finem per opera virtutum, & prout voluntas Divina ipsum ordinavit. Ex hoc verò non sequitur, eum velle, Deum non esse, etiam *Implicitè*, sed tantùm non velle, se pervenire ad ultimum Finem. Siquidem nolens media ad Finem necessaria, non queat idcirco redargui, quasi vellet, talem Finem non esse, sed non velle, talem Finem sibi assequi. Consequens proinde est, peccatum non esse *Directè* contra Deum, nec adeò ex oppositione ad Deum trahere aliquam offensæ infinitatem. 6.

Secunda sententia è diametro opposita in peccato mortali infinitam, atque adeò ex purâ hominis satisfactione inexæquabilem offensæ Divinæ gravitatem adstruens traditur ab Alensi *3. p. suæ Sum. q. 1. a. 2.* Richardo *in 3. dist. 20. q. 4.* Cajetano *præs. q. 1. a. 2. §. ad alteram objectionem.* Fundamentum per Ioannem à S. Thomâ *hic disp. 1. art. 2. à n. 28.* sic deducitur. Nam Ius Divinum, quod peccato mortali læditur, est fundatum in supremâ Dei Majestate ac Dignitate. Ergo ratio injuriæ in peccato attingens hoc jus, pertinet ad ordinem infinitè superantem omnem Dignitatem creatam, imò ex eo, quòd sit læsio Iuris Divini, est lædens omnes dignitates creatas; ut adeò talis injuria sit *simpliciter* infinita non ex eo quidem capite, quòd Divinam Majestatem omni modo, quo injuriabilis est, lædat, sed quòd omnem creaturarum multitudinem offendat. Probatur ista consequentia. Nam *teste* Divo Thomâ *2. 2. q. 65. art. 4.* quantò aliqua injuria in plures redundat, tantò cæteris paribus est gravius peccatum. Unde, quia percussio Principis redundat in injuriam totius multitudinis, sequitur; gravius esse peccatum, si quis percutiat Principem, quàm Personam privatam. *ex præcitato Sancto Doctore.* At hujus in totam multitudinem redundantiæ non est alia ratio, nisi quòd Princeps sit Caput totius multitudinis, ut adeò ipso læso, lædatur tota multitudo. A fortiori igitur, cùm Deus sit Princeps omnium creaturarum in infinitum eas excedens 7.

cedens

cedens; sequitur, injuriam Deo illatam redundare in totam multitudinem creaturarum etiam possibilium, si per impossibile omnes essent productæ. Etsi proinde injuria peccati ex parte injuriantis, nec non ex modo lædendi Deum in præceptis suis & displicendi ipsi, possit crescere; peccatum tamen ex hoc induit infinitatem Injuriæ *simpliciter*, quòd ad omnes creaturas, quantum est de se, injuriandas sit sufficiens.

8. Tertia sententia Suarezij *præs. disp. 4. sect. 7.* Ioannis à Sancto Thomà *cit. disp. 1. a. 2. à n. 32.* Card. de Lugo *disp. 5. de Incarn. sect. 4.* asserit; peccatum Mortale ne in ratione quidem offensæ Divinæ esse *simpliciter* infinitum, esse tamen inadæquabile per satisfactionem à personâ finitâ exhibitam. Primum ex Suarezio petitum Fundamentum est. Nam Valor Satisfactionis non sumitur *Principaliter* ex objecto, sed potiùs ex dignitate Personæ satisfacientis: ècontrario verò gravitas peccati in ratione Injuriæ & offensæ sumitur *præcipuè* ex dignitate Personæ offensæ. Ergo licèt actus charitatis comparatus cum peccato in ratione bonitatis moralis æquivaleat malitiæ peccati: in ratione tamen satisfactionis nequit habere sufficientem proportionem vel æqualitatem cum peccato in ratione offensæ ac injuriæ Divinæ spectato.

9. Secundum ex Ioanne à Sancto Thomà *cit. a. 2. à n. 36.* petitum Fundamentum est. Nam charitas & Gratia potest spectari tum secundùm valorem intrinsecum, seu effectum suum formalem, quem præbet subjecto: tum secundùm quod procedit à remissione Divinâ, prout est effectus gratuitæ dilectionis & placationis Divinæ. At Gratia & Charitas hoc posteriori modo spectata peccatum in ratione etiam offensæ eatenus tollit, ut hunc tamen remissionis effectum Formalem non conferat, nisi prout gerit vices illius gratuitæ dilectionis, à quâ *Efficienter* procedit. Unde ad gratiam solùm pertinet, rationem offensæ tollere *Formaliter gratuitò*; non autem *Formaliter satisfactivè*. At verò Gratiæ & charitatis illo priori modo spectatæ effectus formalis est in hoc ponere justitiam. Hæc verò est ordo & rectitudo rationis in Esse supernaturali elevans hominem ad ordinem supernaturalem. Ejusmodi autem rectitudo, quâ peccatum privat, eatenus adæquat peccati malitiam *Privativè* sibi oppositam, ut tamen offensæ seu Iuris Divini læsioni ac dehonorationi Dei *Formaliter* non opponatur.

Probatur istud Assumptum. Quia Ius Divinum est omninò diversum ab illâ intrinsecâ per gratiam collatâ supernaturali rectitudine. Ergò gratiæ privatio ut sic, non est *Formaliter* Iuris Divini læsio: siquidem homo per Dei Voluntatem privari posset gratiâ absque omni suâ culpâ seu Iuris Divini læsione. Sicut ergo Gratia non opponitur *Privativè* cum Divini Iuris læsione, sic per rationem suam intrinsecam non est *Formaliter* reparativa offensæ Dei, utpote sub ratione suâ formali oppositæ Iuri Divinæ Majestatis, non autem supernaturali hominis rectitudini.

10. Tertium ex Card. de Lugo *cit. sect. 4. à n. 55.* petitum argumentum est. Sicut enim, pensatâ gravitate culpæ mortalis, & proclivitate hominum ad malum, *Condignè* statuta est pœna æterna, quia minor pœna non sufficeret ad homines continendos: sic etiam, pensatâ gravitate offensæ Divinæ, & hominum levitate & impudentiâ, *condignè* sequitur; hominis nulla obsequia admittenda esse pro perfectâ Dei placatione; sed quocumque obsequio exhibito, adhuc manere Deo jus integrum ad rationabilem aversionem & indignationem, ne vilesceret apud homines offensa, quam scirent posse *Condignè* suis operibus expiari.

Conclusio.

Impotentia puri hominis ad satisfaciendum pro offensâ peccati mortalis est ex eo, quòd Ius Divinæ Majestatis nullo puræ creaturæ actu sit adæquabile.

Explicatur & Probatur. Nam speciale erga creaturam rationalem Dei jus est, ut quando instructa est viribus ad Moraliter benè operandum sufficientibus, possit Deus ab illâ exigere ejusmodi opus moraliter honestum. Hoc autem Iure suo utitur Deus ferendo Leges, easque intimando creaturæ rationali. Ejusmodi verò Lex alia est *Naturaliter* indita per modum proprietatis, radicata in intrinsecâ rationalis creaturæ exigentiâ, supponensque Legem æternam seu imperium Deo immanens tanquam sui effectricem causalitatem. Alia verò est *Positiva* nullam cum creaturæ rationalis intrinsecâ ratione connaturalem habens exigentiam, sed ex mero Divinæ Voluntatis placito proficiscens. At hæc ipsa Lex Divina discriminatur à Divinis inspirationibus, quòd istæ supra vim *Moraliter benè* operandi importent quidem honestatis Deo placitæ intimationem, quin tamen Deus per talem intimationem ex jure suo Divino exigat opus bonum inspiratum, sed supererogatoriæ voluntati nostræ relinquat. Quare Lex Divina sivè *Naturalis* sive *positiva* importat operis boni ex jure Divino exactionem. At in hâc ipsâ Iuris Divini exactione intenditur Majestatis Dei recognitio. Unde omne peccatum *Transcendentaliter* adversatur Virtuti Religionis, prout est quædam à debitâ, & secundùm Ius Dei proprium exactâ Majestatis Divinæ recognitione deviatio. At hæc ipsa Dei Majestas ac supremum in eâ radicatum Ius atque Dominium ita se habet ad creaturam rationalem, ut per nullum istius actum plenè & ad æqualitatem recognosci possit. Est autem Iuris alicujus violatio tantò gravior, quantò minùs propter sui supereminentiam non est adæquabile per alterius sub tali jure constituti actionem. Hinc enim impietas in violentâ Filij in Patrem manûs injectione majoris est malitiæ, quàm injuria stricta seu injustitia erga extraneum in pari materiâ. Hinc etiam fit; ut quantò vilior est Persona, tantò graviorem committat injuriam in dehonorando Majestatem Regiam; tantò enim plùs despicitur aliquis, quantò vilitas injuriantis minùs coæquari potest cum injuriato. At verò Divina Majestas ita comparatur ad creaturam rationalem, ut hujus quæcumque Sancta operatio sit Divina quædam Participatio, Iuris in Dei Majestate radicati recognoscitiva; ut tamen radius solaris in terram demissus magis coæquetur plenæ luci ac intrinseco splendori solis, quàm puræ creaturæ opus pium & Sanctum possit Iuris ac Majestatis Di- 11. 12.

vinæ ad æqualitatem esse repræsentativum seu recognoscitivum. Ex qua proinde actionis piæ à pura creatura elicitæ ad Divinæ Majestatis Ius inæquabilitate & distantia infinita fit, ut offensa Dei sit in suo genere infinita: econtra verò satisfactio puræ creaturæ excedatur in infinitum à Divinæ Majestatis Iure.

12. Probatur istud assumptum. Nam istud Ius non tantùm spectari debet *secundùm objectum suum materiale* seu rem debitam ex tali jure: sed *secundùm rationem suam Formalem*, seu radicem, ex qua oritur ejusmodi debitum. Hæc autem Iuris Divini ratio *Formaliter* radicatur in dignitate Divinæ Majestatis seu Esse per se subsistentis ex se *Idealiter*, *Effective*, ac *Finaliter* profundentis Esse totius creaturæ. Ad hanc verò dignitatem ita comparatur vilitas creaturæ, ut sit illius quædam repræsentatio, adeò tamen diminuta; ut ne tota quidem possibilium creaturarum collectio possit ejus ad æqualitatem esse repræsentativa, seu recognoscitiva. Atqui offensa Divina non tantùm debiti ex illo Divinæ Majestatis Jure resultantis, sed ipsius etiam Divini Iuris est læsio non quidem *Physica*, sed *Moralis*: siquidem ratio Divinæ offensæ *Formaliter* specificetur non præcisè ex honestate actioni peccaminosæ opposita, sed ex ipso Jure ac Majestate Divina. Est autem per se manifestum, læsionem juris alicujus non posse condigna satisfactione compensari, nisi per actionem cum tali jure adæquabilem. Cùm igitur nulla creaturæ rationalis actio sit cum Divinæ Majestatis Jure adæquabilis, rectè infertur, non posse puræ creaturæ actionem aliquam esse *condignè* satisfactoriam pro peccato mortali.

13. Respondebis ex Vasquezio *cit. disp. 2. sect. 3. n. 22.* negando, quòd offensa contra Deum sit contra Jus Justitiæ, sed contra legem duntaxat Divinam, cujus est transgressio. Quare ex Iuris Divinæ Majestatis per actionem nostram inadæquabilitate malè inferri impotentiam puræ creaturæ ad satisfaciendum pro peccato Mortali.

14. Contra. Nam omnis lex proficiscitur ex Jure Majestatis seu Jurisdictionis. Hoc verò Jus Majestatis aliter est in Rege creato, & aliter in Deo. Etenim Rex creatus non habet Dominium in subditorum actiones, sed jus duntaxat habet super actum legislationis aliudve Jurisdictionis exercitium. Unde Dominium Jurisdictionis ac Majestatis in ipso non violatur per injustitiam, nisi vel à ferendis legibus violenter impediatur, vel aliàs turbetur in Jurisdictionis Exercitio, vel per injuriam Personalem Majestas ipsius exponatur ludibrio, quod redundat in Diminutionem Publicæ authoritatis. Quare transgressio legum ejusmodi *per se*, ac *immediatè* non adversatur juri Regio, sed imperio ac legi proficiscenti ex tali Jure. At sicuti alia est honestas, Justitiæ nimirum, *Immediatè* radicata in Jure Regi competente, alia verò, obedientiæ scilicet honestas est, quæ immediatè fundatur in actu Imperij ex illo Jure emanantis: sic alia est peccati species ex difformitate cum imperio, alia verò ex difformitate cum Jure Regi inexistente. Consequens proinde est, legis à Rege creato latæ transgressionem ideò non esse offensivam Juris Regij, eò quòd præceptum Regis non sit aliqua actionum sub Regio Jure existentium à subditis exactio, nisi in certas istorum operas à se præceptas habeat Dominium etiam proprietatis. At secus est circa leges Divinas, quibus convenit esse à creaturis rationabilibus actionum præceptarum exactiones ex Divino proprietatis Dominio. Probatur istud Assumptum.

Certum enim est Deo inexistere Dominium 15.
Proprietatis non in actum duntaxat suæ legislationis, sed in omnes craturarum rationalium actiones. Hoc autem suo Dominio Deus utitur per suam ad extra causalitatem. Ista verò Dei ad extra Causalitas appellari solet Voluntas signi. Ejusmodi verò signi Voluntas, alia consideratur præcisè sub ratione operationis, alia verò sub ratione Præcepti, alia verò sub ratione Consilij. At in his istud est discriminis, quòd Voluntas Consilij supra rationem Causalitatis ex Dei voluntate emanantis (cujusmodi ratio convenit Voluntati operationis) importet intimationem aliquam Divinæ ad finem creaturæ rationali destinatum ordinabilitatis: Voluntas verò præcepti supra istam in Finem ordinabilitatem dicat quandam ex Jure Divino exactionem. Hæc autem exactio importat in Divinis præceptis obligationem, quæ non tantùm *remotè & radicaliter*, sed *immediatè* ac *Formaliter* est repræsentativa Divini in actiones creaturæ rationali præceptas Dominij.

Probatur hoc assumptum. Nam *Luc. 19.* 16.
Christus Dominus juris naturalis obligationem ad Dona tum Naturæ, tum Gratiæ in Dei cultum referenda exponens, ad servum, qui Mnam sibi concessam reposuit in sudario, ait: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Ex hoc autem manifestum est: quòd virtutis benè operandi usum Deus sub parabolica illa similitudine exigat, tanquam usuram sub suo Dominio existentem. Unde Deus præceptis à se latis præfixit quandoque verba *to Ego Dominus*, vel *ly Hæc dicit Dominus*, ad insinuandum, quòd actiones à se præceptas exigeret ex Jure sui Dominij. Atqui actionis alicujus à creatura rationali exactio intimata per signum Dominij erga talem actionem competentis *Formaliter* repræsentativum, inducit obligationem non tantùm obedientiæ seu præcepti, sed juris stricti ac rigorosi. Ejusmodi verò ex Jure stricto intimatæ obligationis violatio est injuria *per se* ac *immediatè* lædens Jus ac Dominium, in quo radicatur illa obligatio. Consequens igitur est, peccata nostra Juris Divini exactioni *Formaliter* adversantia habere rationem injuriæ ac Injustitiæ. At verò injuria non tollitur *Condignè* nisi per satisfactionem ex æqualitate reparativam Juris læsi. Unde condigna pro peccatis nostris satisfactio debet ad æqualitatem esse reparativa Juris Divini læsi. Hoc autem licet *Materialiter* quoad rem debitam sit adæquabile, *Formaliter* tamen quoad suam radicem, & rationem Formalem non potest ulla creata actione coæquari. Ergo ex Juris Divini per nostras actiones inæquabilitate fit, quòd nulla puræ creaturæ satisfactio pro peccato morali possit esse condigna.

Replicabis. Jus Divinum peccato mortali 17.
non lædi *absolutè* ac in se ipso, sed prout per operis rationali creaturæ præcepti est recognoscibile. At Juris Divini per creaturæ rationalis moralem actionem recognoscibilitas, in se *Formaliter* est semper finita, nec nisi *Objectivè* ac *Terminativè* est infinita: cujusmodi adeò infinitas *secundùm quid tantùm*

inest

inest offensa Divinæ Majestatis. At verò sicuti Divinæ Majestatis non absoluta, sed creaturæ Intellectualis capacitati commensurata recognoscibilitas per moralem honestum præsertim Charitatis actum est æquabilis, sic ejusdem violatio est ad æqualitatem reparabilis. Non igitur subsistit, quòd Ius Divinæ Majestatis, quoad sui nimirum creaturæ Intellectuali impositam recognoscibilitatem non sit adæquabile.

18. Contra. Falsum enim est, quòd peccatum mortale sit Iuris divini læsio non in se ipso, sed in sui duntaxat creaturæ intellectuali commensuratâ recognoscibilitate. Nam sicuti Regis creati subditorum peccata alia sunt offensiva ipsius Regiæ Majestatis; veluti rebellio, seu verbalis contemptus & invasio sive Iurisdictionis, sive Personæ Regiæ; alia verò sunt læsiva alicujus duntaxat actionis ex Regiâ potestate emanantis, veluti transgressio legum, seu non solutio vectigalium; cujusmodi actiones per se ac directè non pugnant cum intrinseco Regiæ Majestatis Iure, sed cum actu Iurisdictionis ipsius: Sic creaturæ Intellectualis in Deum peccata alia *Moraliter* redundant in ipsam Divinæ Majestatis Dignitatem; alia verò in ejus duntaxat actum. Atqui peccatum mortale, ac Veniale differunt, quòd Mortale sit contra legem ac Finem, includatque adeò Finis ultimi contemptum & creaturæ præ Deo prælationem Virtualem: Econtra verò Veniale sit contra media duntaxat, ac præter legem Dei, nec aliquam cum Dei dilectione habeat oppositionem, seu positivam ab Ultimo Fine Deviationem; sed carentiam duntaxat actualis in Finem Ordinabilitatis, ex Divo Thomâ *1. 2. q. 88. a. 1. & 2.* Unde patet, peccatum Veniale *Moraliter* non redundare in Divinam Majestatem, sed circa hujus duntaxat effectum scilicet mediorum ad ultimum Finem Ordinabilitatem, sive actualem Dei recognoscibilitatem importare defectum aliquem. Econtra verò peccatum Mortale *per se ac directè* reduci in Divinam Majestatem in se *Formaliter* continentem rationem ultimi Finis, ut adeò Iuris in Divinâ Majestate fundati sit *Formaliter* læsivum, non quidem *physicâ* læsione, sed *Morali* imputatione. At per se manifestum est, Ius Divinæ Majestatis in se non esse adæquabile, sive ad æqualitatem recognoscibile, nec consequenter, si læsum fuerit, *simpliciter* reparabile esse per puræ creaturæ actum. Ergo ex Iuris Divini per puræ creaturæ actionem inadæquabilitate rectè infertur, non posse hominem purum pro peccato mortali *Condignè* seu *ad æqualitatem* satisfacere.

Responsio ad Fundamenta *à n. 2.* opposita.

19. AD Hiquæi *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. In peccato mortali quatuor esse distinguenda. Primum est disconvenientia cum Naturâ rationali, quæ importat oppositionem cum Virtute aliquâ, prout hæc dicit conformitatem cum rectâ ratione. Secundum est aversio à Deo tanquam ultimo fine. Hæc autem in eo sita est, quòd, cùm objectum aliquod cum Deo quà Ultimo creaturæ rationalis Fine necessariam habeat connexionem, Voluntas creata se convertat ad oppositum, itaque Bonum creatum *Virtualiter* præferat Deo. Tertium ex isto consequens est Privatio Gratiæ sanctificantis tanquam supernaturalis habitualis rectitudinis elevantis hominem ad statum supernaturalem. Quartum denique est injuria redundans in Deum per aversionem ab ultimo Fine, ut Virtualem præ Deo Boni creati Prælationem, quæ ut sic est violatio Iuris Divinæ Majestatis exigentis à creaturâ rationali per opera præcepta sui quà Primæ causæ & Ultimi Finis recognitionem. Quare secundùm hos diversos peccati mortalis respectus verificatur, non plus esse malitiæ in peccato mortali, quàm sit Bonitatis in Formâ oppositâ. At secundùm ultimum injuriæ nimirum Divinæ respectum est Oppositio peccati non cum actu Virtutis, sed cum Iure Divinæ Majestatis. Unde sicuti Majestas Divina est Dignitatis infinitæ, sic peccatum Mortale sub ratione Divinæ Majestatis *Moraliter* læsæ habet aliquam infinitatem à creatæ voluntatis actibus sanctitate quâlibet creatâ dignificatis omnino insuperabilem, eò quòd nulla Iuris in Divinâ Majestate fundati, atque peccato mortali læsi sit per actus creaturarum adæquabilitas.

Ad 1. ex Hiquæo *n. 3.* oppositam instantiam Respondetur. Ex dictis patere, offensam in peccato mortali consistere in injuriâ Deo illatâ. Hanc verò injuriæ Divinæ rationem non cum Virtute, sed cum ipso Divinæ Majestatis Iure importare oppositionem, non quidem *Physicam*, sed *Moralem*. Ex quâ proinde oppositione habere quandam infinitatem. 20.

Ad 2. Hiquæi *n. 4.* oppositam instantiam Respondetur. Illo quidem argumento probari; nihil dari in rebus creatis, quod *Physicè* opponatur cum Esse Dei: benè tamen subsistere; quòd peccatum *Moraliter* adversetur Divinæ Majestati. Hanc vero Moralem cum Divinâ Majestate peccati mortalis oppositionem importare voluntariam Boni Creati præ Deo quà ultimo Fine prælationem, non quidem *Explicitam* & *Formalem*, sed *implicitam* & *virtualem*: quæ tamen non magis supponat aliquem in Fide errorem seu hæresin, quàm Formale Dei Odium.

Ad 3. ejusdem authoris *n. 5.* oppositam instantiam Respondetur. In ejus argumento supponi, quoties voluntas elicit aliquem actum, hunc esse instar Finis volitum ab illâ. At contra esse, quòd nihil sit volitum, nisi quà Cognitum, neque verò actus à Voluntate eliciendus debeat priùs *reflexè* cognitus esse, quàm Voluntas velit illum elicere. Etsi proinde voluntatis actus nequeat sine Deo quà Causâ Effectrice subsistere, non sequi, quòd Esse Dei *Virtualiter* ac *Implicitè* involvatur in objecto Voluntatis, quoties ista Moraliter operatur. 21.

Ad 4. præcitati authoris *n. 6.* oppositam instantiam Respondetur. Rationem ultimi Finis à peccatore constitui in creaturâ non quidem *positivè*; nec tamen *purè Negativè*. Etenim non tendentia in Ultimum Finem convenit peccato etiam veniali, quod habet repugnantiam non directam cum Fine, sed cum ordinabilitate ad Finem, nec est contra, sed præter legem Dei. Unde peccatum Mortale oportet, in eo discriminare à culpâ veniali, quòd habeat oppositionem cum Ultimo Fine. Hæc autem oppositio in eo sita est, quòd, cùm Deus aliquam actionem 22.

creaturæ rationali præfixerit, per quam fiat Dei quà Ultimi finis recognitio, creatura illa intellectualis per liberam suam Voluntatem deflectat ab isto Fine, eumque *Virtualiter* ac *Interpretativè* transferat in bonum creatum. At hæc ipsa ultimi Finis ratio est fundata in Divinâ Majestate per Causalitatem Efficientem ex se taliter profundente totius Entis creati Esse, ut hoc ipsum Esse creatū ad eandem Dei supremam Majestatem ex Iure Primi in se stantis Esse per actiones creaturæ præsertim intellectualis *Finaliter* reduci debeat. Hæc autem in Deum quà ultimum Finem totius Esse nostri reductio posset eatenus à Deo exigi, ut nihil esset moralis in nobis actionis, quam Deus non ex Iure Majestatis cum actuali *saltem Virtualiter* permanente in se reflexione Finali exigeret. At quia hoc ipsum, attentâ humanæ infirmitatis conditione, erat difficile, Deus saltem aliquas ex Iure Majestatis suæ per præcepta sua exigit actiones sui quà Ultimi Finis eatenus recognoscitivas, ne saltem eas transgrediendo protestaremur, nos alienos à supremo Divinæ Majestatis Iure, utpote actualiter exigente sui in actione præceptâ recognitionem. Quare istius in supremâ Dei Majestate fundati Iuris Divini, non quidem *Physica*, sed *moralis* fit læsio per peccatum mortale; cui proinde ex hâc ad Ius Divinum oppositione Morali inest quædam infinitas per puræ creaturæ actionem in adæquabilis.

23. Ad Ioannis à Sancto Thomâ pro secundâ sententiâ *n. 7.* deductum Fundamentum Respondetur. Displicere, quod infinitatem injuriæ contra Deum commissæ reducat in Offensæ ad omnes infinitè possibiles creaturas redundantiam. Tum quia per istam præcisè redundantiam argueretur injuriæ Divinæ infinitas solùm *Extensiva,* non verò *Intensiva.* Tum quia illa ipsa ad creaturas infinitas redundantia supponit in Dei Majestate infinitatem intrinsecam in seipsâ Fundatricem Iuris ad ejusdem Divinæ Majestatis per morales in se *Finaliter* reductas actiones recognitionem. At hoc ipsum in Dei Majestate *Formaliter* radicatum Ius peccato læsum arguit in hoc infinitatem non *Extensivam duntaxat*, ex illâ offensæ in creaturas infinitas redundantiâ, sed *intensivam* ex intrinsecâ Divinæ Majestatis læsæ Dignitate *simpliciter* infinitâ. Oportet igitur Divinæ injuriæ nostris actionibus inadæquabilem infinitatem non tam reducere ad illam offensæ in creaturas omnes redundantiam, quàm in intrinsecam infinitæ Majestatis Divinæ Dignitatem.

24. Ad 1. ex Suarezio pro tertiâ sententiâ *n. 8.* propositum Fundamentum Respondetur. Id nobis optimè probari. Etenim Principis occisio, vel è regno suo deturbatio *Physicè loquendo* æqualis est, sive fiat per subditum, sive per non subditum; imò si fiat à Rege potentiore, tantò gravior est *Physicè*, quantò vires istius magis prævalent. Attamen *Moraliter* diversas habet species & rationes Formales, si violentia ejusmodi inferatur à subdito. At ista moralitatis differentia specifica in eo sita est, quòd Principi inexistat Ius ad suæ Majestatis per subditos recognitionem ex ipsâ subjectionis conditione inexæquabilem: cùm econtra respectu non subditorum habeat in bona sua Ius duntaxat Commutativum. Pari ergo ratione Injuria Divinæ Majestatis offensiva tanto proportionaliter excessu crescit, quantò creaturæ Intellectualis est major subjectio ad Deum, atque hujus ex supremâ Majestatis Dignitate Ius altius ad sui peractiones ex hoc ipso Majestatis Iure præceptas recognitionem; Sicuti econtra satisfactio pro tali injuriâ eò minùs adæquare potest Ius Divinæ Majestatis læsum, quò creatura minùs comparari potest cum Deo, magisque impotens est ad Divinæ Majestatis *Adæquatè* repræsentativam recognitionem.

25. Ad 2. pro tertia sententiâ *n. 9.* ex Ioanne à S. Thomâ propositum Fundamentum Respondetur. Id posse taliter stabiliri. Nam Valor satisfactionis à purâ creaturâ exhibitæ dignificatur per Gratiam sanctificantem. Hæc autem non est reparativa peccati mortalis, prout istud est Iuris Divini læsio seu offensa. Probatur istud assumptum. Nam Deus per Ius tum Naturale, tum Positivum quasdam ex Iure sui absoluti Dominij à nobis exigit actiones, tanquam Divinæ suæ Majestatis protestativas. Est autem Iuris effectus Formalis ac proprius, ut in altero inducat obligationem Iustitiæ. Hunc ipsum verò Formalem obligationis effectum solvit, ipsumque Domini Ius *Moraliter* infringendo & tollendo, quisquis contra obligationem ejusmodi operatur. Unde contra populum peccatorem *Ierem. 2. vers. 20.* conqueritur. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam.* At eo ipso, quòd ista vinculi ex Divinæ Majestatis jure resultantis ruptio & in libertatem quasi assertio, Gratiæ sanctificanti quà tali non præcisè sit opposita; sequitur, peccati mortalis offensam, seu injuriæ contra Deum factæ Maculam non posse *Formaliter* ad æqualitatem tolli *præcisè* per creatam Gratiæ sanctificantis formam. Cum igitur tota satisfactionis condignitas in purâ creaturâ desumi debeat ex Gratiæ sanctificantis formâ creatâ, sequitur: nullam pro peccato mortali quà Dei injuriâ & offensâ posse à purâ creaturâ exhiberi satisfactionem condignam.

26. Ad tertium *pro dictâ tertiâ sententiâ n. 10.* ex Card. de Lugo petitum fundamentum Respondetur. Id posse nonnullas pati instantias. Si enim hominum ad peccandum proclivitas sit fundamentum Divinæ non nisi per infinitam satisfactionem placabilis indignationis; Cur igitur Deus *Gen. 8.* ait: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ.* Quid? cur Deus hominibus, non verò Angelis peccatoribus parcere voluerit, hujus per Franciscum de Lugo *1. p. lib. 3. disp. 26. cap. 1. n. 7. & 12.* affertur ratio ex illorum innatâ peccandi pronitate, ex horum verò Intellectûs perspicacitate. At contrarium statui deberet, si hominum ad peccandum facilitas esset ratio Implacabilis iræ Divinæ. Quare illud Card. de Lugo fundamentum est aliqualis duntaxat congruentiæ, non autem Certitudinis.

(MARIA)

CON-

CONTROVERSIA III.

An peccatum Veniale possit hominis condignâ satisfactione deleri?

1\. NEgativa sententia tribuitur Petro à Soto *tract. de instit. Sacerdotum cap. 18.* Fundamentum à Mæratio *tract. de Incarn. disp. 3. sect. 5.* deductum est. Quia peccatum Veniale, sicut est verè & propriè peccatum, utpote verè propriéq; contra Divinam legem & Voluntatem; ita est verè & propriè offensa, quâ Deus Persona infinitæ dignitatis offenditur à creaturâ habente infinitam, si cum Deo comparetur, vilitatem. Vel igitur infinitas offensæ in peccato mortali secundùm infinitam Dei offensi ac creaturæ offendentis distantiam considerata non impedit adæquabilitatem satisfactionis per puram creaturam exhibendæ, vel eadem militabit ratio pro peccato etiam Veniali.

2\. Econtrario hominem justum posse pro peccato veniali ad æqualitatem satisfacere; affirmant ex diversis licèt fundamentis Paludanus *in 4. dist. 16. q. 1. a. 2. ante 3. concl.* Suarez *pras. disp. 4. sect. 2.* Vasquez *disp. 3. cap. 3.* Nazarius *hic q. 1. art. 2. cont. 6.* Ioannes à Sancto Tho. *disp. 1. art. 4.* Card. de Lugo *disp. sect. 7.* Mæratius *cit. disp. 3. sect. 1.* Amicus *disp. 1. sect. 6.* Fundamentum Vasquezij ab Amico præcitato refutatum ita deducitur. Illa enim satisfactio prò peccato condigna est, quæ tantæ bonitatis est ac valoris, ut vi suâ totam peccati maculam & debitum dissolvat absque ullâ gratuitâ condonatione Dei partem aliquam debiti remittentis. Atqui purus homo ex auxilio gratiæ Dei potest perfectam contritionem de peccato suo veniali concipere, quo actu doleat omnem ejus maculam, totumque ex eâ ortum debitum necessariam habens cum eâ connexionem, ita quidem, ut nulla interveniat gratuita Dei Creditoris remissio aliquam debiti partem condonantis. Probatur istud assumptum.

3\. Si enim aliqua interveniret gratuita Dei condonatio, id esset, quatenus non posset ille perfectæ contritionis, aut alterius Virtutis actus satisfactorius exerceri sine prævio Divinæ gratiæ auxilio gratis dato, cujus auxilij donatio gratuita esset partis debiti condonatio liberalis. Atquamvis prædicti actus satisfactorij exerceri nequeant sine prævio illo auxilio, gratuita tamen ejus donatio non est aliqua gratuita partis debiti condonatio.

4\. Minor ista Probatur. Ut enim hoc esset, oporteret, hominem per peccatum veniale contraxisse debitum, seu dignitatem carendi in perpetuum auxilio gratiæ ad emundationem peccati venialis necessario, sicut gratuita donatio auxilij necessarij ad peccati mortalis emundationem est ob eam causam gratuita partis debiti condonatio, quòd homo per mortale peccatum contraxerit debitum, seu dignitatem carendi auxilio illo in perpetuum. Atqui homo per peccatum veniale non contrahit, nec contrahere potest debitum seu dignitatem carendi auxilio gratiæ ad actum contritionis, & per consequens ad peccati illius emundationem necessario.

5\. Probatur hæc minor. Nam alioqui sequeretur; peccatum veniale per se dignum esse puniri pænâ æternâ: Peccatum enim dignum est puniri, quamdiu est, ejusque macula non deletur: dignum autem esset, cujus macula nunquam deleretur, quia dignum esset carere omni gratiæ auxilio ad ejus deletionem necessario. At falsum est, peccatum veniale per se dignum esse puniri pænâ æternâ. Ergo ex peccato veniali non resultat aliquod debitum carendi auxilio gratiæ ad ejus deletionem necessario. Ergo ejus extinctio fit per contritionem sine gratuitâ debiti alicujus condonatione. Ergo contritio est satisfactio ejus condigna & æqualis.

CONCLUSIO.

HOmo Iustus potest pro suo veniali condignè satisfacere, eò quòd veniale non sit injuria seu offensa Divinæ Majestatis.

Probatur. Nam circa Finem Intellectualis creaturæ duo sunt consideranda, nimirum ordinabilitas in Finem, & ipsa ratio Finis. Atqui ultimus Intellectualis in statu sive naturali sive supernaturali consideratæ creaturæ Finis est ipse Deus, Ordinabilitas verò in hunc Finem est quid creatum, estque Triplex, ita ut prima ex ipso ultimi Finis ac Primi in se stantis Esse Divinæque adeò Majestatis Iure sit exacta; secunda verò ex radicali creaturæ intellectuali intrinsecâ in Deum Ordinatione originetur, quin tamen à Deo ex Finis Ultimi ac Majestatis suæ Divinæ jure sit imposita: Tertia denique sit omnino supererogatoria, nullam sive ex Iuris Divini exactione, sive ex creaturæ Intellectualis in Deum intrinsecâ ordinabilitate obligationem importans. Est autem inter duas priores in Deum ordinabilitates id discriminis, ut primæ transgressio ipsum Divinæ Majestatis Ius attingat & offendat; Secundæ verò violatio non redundet in Divinam Majestatem, sed in creaturæ Intellectualis Debitum connaturale. Quare prima habet rationem peccati Mortalis, secunda venialis. At verò ordinabilitatis in Deum transgressio importat malitiam Bonitati duntaxat creatæ oppositam, atque adeò *simpliciter* reparabilem per Bonitatem creatam actûs contritionis, sive dilectionis Divinæ utpote non minus habentis de Ordinabilitate in Deum, quàm istius Ordinabilitatis negatio habeat deordinationis. Consequens proinde est, peccatum veniale, cùm strictè loquendo non sit offensivum Divinæ Majestatis, esse *simpliciter* reparabile per actum dilectionis Divinæ. 6.

Dices. In Divinæ etiam Legis transgressione dari materiæ levitatem, per quam fit peccatum duntaxat veniale. At sicuti lex Divina est Iuris in Ultimi Finis, & Majestatis Divinæ ratione radicati exactio quædam, sic ejusdem violationem esse consequenter Iuris Divini læsionem. Ergo peccatum etiam veniale ita esse contra legem Divinam; ut consequenter habeat rationem aliqualis injuriæ contra Deum commissæ. 7.

Contra. Nam Prohibitio Adamo factâ de Pomo non comedendo *Materialiter* spectata erat 8.

de levi materiâ, at *Formaliter* considerata erat gravis. Hæc verò gravitas in eo duntaxat se tenebat, quòd in recognitionem supremi Dominij Dei ex Ultimi Finis & Divinæ Majestatis Iure esset exacta illa abstinentia. Quare Materiæ levitas non stat sub præcepto aliquo, quatenus per istud ex Divinæ Majestatis seu ultimi finis Iure fit exactio. Oportet igitur, præceptum Divinum sub Divinæ Majestatis Iure, ac Ultimi Finis recognitione non exigere actum aliquem, qui ratione parvitatis materiæ excusatur à peccato mortali. Unde de tali etiam Venialiter peccaminoso actu dici solet; tum quòd non sit contra, sed præter legem seu legis Finem; tum quòd non sit contra ultimum Finem, sed contra Medij in hunc
9. ordinabilitatem. Cujus ratio sic deduci potest. Nam Deus in suis Divinis circa creaturas intellectuales ordinationibus se accommodat ipsarum naturis. Hinc enim secundùm proportionem Dignitatis Naturæ concessit Angelis sublimiorem Gratiæ, & Gloriæ gradum. Hinc etiam quia in Angelis ex suo naturali agendi modo media cum Fine attingentibus nulla datur materiæ levitas, idcirco nullum ipsis imponit præceptum, quod non *absolutè* sit quædam ex Divinæ Majestatis jure exactio. Hinc pari ratione, quia in materiâ Venereâ quoad puræ naturæ statum respectu Finis humanæ rationi debiti consideratâ non datur materiæ levitas, idcirco in ordine ad statum etiam supernaturalem voluit Deus, illam materiam prohibitam; non *præcisè* ob intrinsecam ejus cum naturâ rationali disconvenientiam, sed ex ipso suæ Divinæ Majestatis & Ultimi Fini ratione. Econtra verò in materiâ Furti, cùm in puræ naturæ intellectualis statu detur parvitas non habens gravem à Fine naturæ humanæ debito deordinationem, idcircò respectu Finis etiam supernaturalis noluit Deus illam materiam exactam ex gravi aliquâ obligatione. At verò si Deus ex Iure Ultimi Finis, seu Majestatis suæ Divinæ Dominio materiam Furti quantumvis levem exigeret, non esset *Formaliter* minùs gravis, quàm in Adamo Pomi vetiti comestio. Constat proinde, Deum se accommodando creaturarum Intellectualium naturis, non facere in suis legibus ex Divinæ Majestatis Iure exactionem materiæ de se levis. Ergo peccatum ratione levitatis materiæ Veniale non est læsivum Iuris Divinæ Majestatis. Ergo non est *strictè loquendo* Injuria, seu offensa Divinæ Majestatis.

10. Replicabis. Ex hoc discursu evinci, quòd, si levitas materiæ aliquod præceptum excuset à mortali, talis materia levis non cadat sub præceptum Divinum. Probatur istud Assumptum. Quia Lex Divina *secundùm nos* est quædam operis præcepti exactio ex ipsomet Iure Divinæ Majestatis. Atqui talis exactionis transgressio est *Moraliter* læsiva ipsius in Majestate Supremâ radicati Iuris Divini. Quare vel peccatum veniale non adversatur legi Divinæ, nec ipsius adeò materiæ in peccato mortali excusans levitas cadit sub præceptum Dei: vel oportet, culpam etiam venialem esse Iuris Divini læsivam, habereque adeò rationem injuriæ contra Deum commissæ.

11. Contra. Nam in lege Divinâ sive Naturali sive positivâ duplex est ratio; alterum est rei præceptæ per legem Divinam Ordinabilitas ad finem taliter determinata, ut ejus negatio non sit etiam *Imperativè* ordinabilis in Finem. Alterum verò est rei præceptæ ex Supremi Dominij in Fine Ultimo seu Majestate Divinâ radicati Iure exactio. Atqui hæc ita locum habet in omnis præcepti materiâ gravi, ut Deus præcipiens obedire Magistratibus etiam terrenis, hanc sui Divini Iuris authoritatem applicet legibus quoque humanis. Econtra verò Deus humanæ infirmitati condescendens non vult ordinariè in materiâ levi facere Iuris sui Divini exactionem. Unde in ejusmodi materiâ Deus legibus suis facit solummodò determinationem ordinabilitatis in Finem: cùm econtra in Consilijs suis non ponat in opere consulto illius ad Finem Ordinabilitatis determinationem, sed opus ejusmodi ita statuat ordinabile ad Finem, ut ejus tamen negatio, seu actus contrarius possit *Imperativè saltem* ordinari ad eundem Finem. Constat proinde, Materiam levem cadere sub legem Divinam, non qua Iuris Divini exactivam, sed qua ordinabilitatis in Finem determinativam. At illius Ordinabilitatis negatio eatenus habet malitiam moralem, ut tamen non opponatur Fini seu juri in ratione ultimi Finis & Majestatis Divinæ radicato. Quare talis Ordinabilitatis Transgressio non est *Moraliter* læsiva Divini, in suprema Majestate fundati juris, nec habet adeò rationem injuriæ contra Deum commissæ, sed fundat negationem creatæ duntaxat moralis Bonitatis, seu actûs alicujus in Finem Ordinabilis.

Instabis. Ex hoc iterum sequi, quòd peccatum Veniale non habeat rationem offensæ Divinæ. At hoc esse absurdum, eò quòd sit objectum iræ ac indignationis Divinæ, nec non Dei erga hominem aliqualis aversionis. 12.

Contra. Nam offensa Dei alia est stricta, prout est Iuris Divini læsio moralis; alia verò est lata, prout est objectum aversionis Divinæ Voluntatis, vel est *Moraliter* concitans iram Dei seu excitans Divinam Voluntatem ad pœnam ex Iustitiâ suâ Vindicativâ decernendam. At licèt peccato Veniali non conveniat priori modo esse offensam Dei, ipsi tamen convenit esse objectum Divinæ aversionis: sicut enim Bonitas est objectum Effectivè fluens ex Divinâ Voluntate, sic malitia est objectum aversionis Divinæ Voluntatis amando influentis Bonitatem, & aversando taliter negantis istam Bonitatem, ut hæc ipsa tamen negatio respectu Voluntatis creatæ *Directè* vel *Indirectè* amantis ipsam, induat rationem malitiæ Moralis, non autem respectu Voluntatis Divinæ, utpote non per amorem, sed per aversionem duntaxat terminatæ ad negationem ejusmodi. Ex quo proinde inordinato negationis amore saltem indirecto, ex suæ Iustitiæ vindicativæ Motivo concitatur Divina Voluntas ad Vindictam seu pœnam Creaturæ negationem ordinabilitatis in Finem *saltem indirectè vel interpretativè* adamanti infligendam. Patet igitur, peccatum veniale in creatura Intellectuali importans negationis illius amorem saltem indirectum, vel Bonitatis moralis aversionem saltem interpretativam, habere rationem offensæ Divinæ, non quidem strictæ, sed latæ. 13.

Urgebis. Ex prætacto discursu inferri, quòd peccatum cum ignorantiâ Dei invincibili, vel 14.
absque

absque advertentiâ ad injuriam Divinam in materiâ quantumvis enormi perpetratum non esset mortale, sed veniale, essetque adeò per hominis puri satisfactionem *adæquatè*, atque *condignè* reparabile. Quam tamen sententiam Salas *1. 2. tract. 13. disp. 16. sect. 22.* dicit parum tutam & perniciosam.

15. Contra est primò. Sicut enim homo per suam Essentiam quà Intellectualem est *Essentialiter* subjectus Divino in ratione supremæ Majestatis ac Finis ultimi radicato juri; sic hujus subjectionis fit repræsentatio in omni gravi morali materiâ intrinsecè malâ, utpote *Essentialiter* repugnante ac *Moraliter* tollente subjectionem ejusmodi. At sicuti hæc subjectio Essentialem dicit respectum ad Dei Dominium, ex quo secundùm Esse physicum *Efficienter* derivatur, & quoad Esse morale *Formaliter* specificatur; sic nequit illius ad Divinæ Majestatis ac Finis ultimi Ius *Essentialiter* relatæ & ab isto Iure specificatæ subjectionis esse cognitio, quin in actu talis subjectionis *Moraliter* destructivo fiat repræsentatio Iuris in Divinâ Majestate & Ultimi Finis ratione radicati. Est autem in moralibus *intrinsecè* malis materijs id discriminis, ut omnibus conveniat aliqua ad Finem ultimum ordinabilitatis negatio; in materiâ tamen gravi Deus prohibendo exigat subjectionis in Majestatis suæ Divinæ & Ultimi finis ratione radicatæ recognitionem; in materiâ autem levi non stet ista formalis & actualis ex Ultimi Finis jure exigentia, sed sola moralis ad Finem ultimum ordinabilitatis negatio. Unde non fit materiæ *Moraliter* gravis in creaturâ Intellectuali repræsentatio actualis, quin ordinabilitatis ad Finem ultimum negatio actualiter cognoscatur qua *Formaliter* repugnans subjectioni Majestatis Divinæ & ultimi Finis Iuri ac Dominio supremo debitæ, ut adeò creatura Intellectualis talem materiam liberè amplectendo ponat actum non purè ad finem ultimum Ordinabilitatis, sed ipsius Divini in Fine ultimo & Majestate supremâ radicati Iuris *Moraliter* destructivum, *uti ex parte demonstravimus in 1. p. q. 2. ad 1. cont. 4.*

16. Contra est secundò. Nam posito, quòd facinus aliquod naturæ rationali dissonum perpetraretur cum invincibili Dei ignorantiâ, vel absque aliquâ ad offensam Divinam advertentiâ; tunc peccatum ejusmodi non esset mortale, sed veniale, uti Card. de Lugo *cit. disp. 5. sect. 5. pluribus*
17. *ostendit.* Cujus ratio sic deduci potest: Nam peccatum mortale dicit Formalem à Deo aversionem Divo Thomâ *2. 2. q. 20. a. 3.* attestante: *Si posset esse conversio ad Bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non fore peccatum mortale.* Atqui aversio à Deo est duplex, altera *Negativa* importans in actu negationem conversionis seu Ordinationis ad Deum; cujusmodi *formaliter* inest inordinatæ ad creaturam conversioni. Altera proinde aversio à Deo est *Positiva* importans non solius in Deum conversionis seu Ordinationis negationem, sed ipsius Finis ultimi, seu Iuris in supremâ Majestate ac ultimo Fine radicati destructionem Moralem. Hæc proinde, non illa *ex mente præclara Angelici Doctoris* constituit peccatum mortale. At per se clarum est, talem Divini Iuris moralem destructionem non posse condignè reparari, nisi mediante actu cum intrinseco Divinæ Majestatis Iure adæquabilem; cujusmodi nequit esse actus Moralis à purâ creaturâ exhibitus. Econtra verò cùm negatio conversionis in Deum sit rectitudinis creatæ *Moraliter* destructiva, consequens est, talem negationem ut sic esse *adæquatè* reparabilem per actum conversionis in Deum sive Naturalis; si creatura Intellectualis foret in statu puræ naturæ; sive supernaturalis, dum rationalis creatura ad statum supernaturalem elevata, in omni etiam veniali peccato ponit negationem supernaturalis in Deum conversionis. Patet proinde; si daretur casus, quòd per invincibilem Dei ignorantiam, seu offensæ Divinæ inadvertentiam facinus aliquod Naturæ rationali graviter repugnans non esset Formalis Dei injuria, seu Divini in ultimi Finis ac supremæ Majestatis ratione radicati Iuris destructio moralis, tunc peccatum ejusmodi neque futurum Mortale, neque irreparabile fore per puri hominis satisfactionem. A fortiori igitur dici debet, quòd peccatum Veniale possit hominis Iusti satisfactione *Condignè* & *ad æqualitatem* deleri.

Instabis Ultimò. Ex hoc inferri, quòd Christi Domini Redemptio non foret necessaria ad condignam pro peccato veniali deletionem. 18.

Contra. Nam hæc ipsa condigna satisfactio, suppositâ hominis ad statum supernaturalem elevatione, importat actum supernaturalem. Atqui ad hujus efficientiam præter gratiam sufficientem requiritur gratia efficax, quæ actûs ejusmodi Donatio gratuita est *Activè* importans liberalem Divinæ causalitatis voluntatis actum, *Passivè* verò ipsummet supernaturalem actum à nobis liberè elicitum, sed ex Causalitate Divinæ prædestinationis libero creato arbitrio nostro datum & donatum. Est autem indubitatum, quòd hæc ipsa gratia efficax, atque adeò actus pro peccato veniali satisfactorius non sit in nobis nisi per sanguinem ac Redemptionem Christi. Constat igitur, Redemptionis Christi pretium necessariò influere in peccati venialis condignam satisfactionem. 19.

Responsio ad fundamenta contraria.

AD argumentum pro Negativâ sententiâ *n. 1.* ex Mæratio deductum Respondetur. Offensam Divinam *strictè ac propriè* tangere ipsum Deum, esseque Moralem Iuris in Majestate Dei supremâ radicati læsionem: cujusmodi non esse in peccato veniali, sed mortali. Ob quam adeò disparitatis rationem illud, non verò istud esse per puri hominis satisfactionem condignam adæquabile. 20.

Ad Vasquezij pro sententiâ affirmativâ *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. In eo displicere 1. quòd asserat, nullam peccati venialis fieri à Deo condonationem gratuitam, si homo justus pro illo *Condignè* satisfaciat. Sicut enim gratuita Dei dilectio est causalitas effectrix Gratiæ sanctificantis Formaliter tollentis maculam peccati mortalis; sic gratuita Dei voluntas, in homine justo effectrix actûs pro peccato veniali satisfactorij, est condonatio liberaliter causans venialis. 2. Displicere, quod asserat ex peccato veniali non contrahi debitum carendi auxilio ad satisfactionem seu expiationem peccati Venialis condignam necessario. Nam licèt illud debitum non sit ad instar debiti ex peccato mortali 21.

mortali contracti *ab intrinseco* irreparabile, sed stet unà cum Gratiâ sanctificante, habente in se radicem ac exigentiam intrinsecam, ut Deus in Gratiâ perseveranti in fine saltem vitæ conferat actum Venialis culpæ seu Maculæ ex illâ resultantis deletivum. Nihilominùs sicuti peccatum mortale, sublato reparabilitatis Principio intrinseco, inducit debitum ex se perpetuum carendi omni gratiæ auxilio: sic peccatum Veniale inducit aliquale, per gratiam tamen sanctificantem ex legibus saltem amicitiæ reparabile, atque adeò Temporale duntaxat debitum carendi gratiâ actuali requisitâ ad condignam Venialis culpæ satisfactionem.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm purus homo, constitutus Caput Reliquorum, pro peccatis totius humani generis posset condignè Deo satisfacere?

1\. PRima Sententia Scoti *in 3. dist. 20. q. un. n. 9.* Paludani *ibidem q. 2. a. 2.* Soti *in 4. dist. 1. q. 5. a. 4. §. igitur.* Suarezij *præs. disp. 4. sect. 7. concl. 1.* Vegæ *lib. 3. in Trident. cap. 5.* Radæ *in sua 3. p. cont. 13. concl. 5. & 6.* affirmat. Fundamentum afferri potest ex Ioanne à Sancto Thomâ *præs. disp. 1. a. 2. n. 19.* Etenim homo purus potest recipere à Deo tantam gratiæ plenitudinem, ut possit illam derivare ad alios *Ministerialiter,* Divo Thomâ *in 3. p. q. 64. art. 4.* attestante: Christum potuisse alicui homini communicare potestatem excellentiæ ad instituenda Sacramenta, & ad influendam gratiam in alios. Atqui talis homo posset mereri alijs de condigno gratiam & gloriam, & auxilia Divina, quibus à peccato resurgerent. Est autem impossibile, aliquem mereri gratiam de condigno, quin mereatur de condigno abolitionem peccati. Ergo talis homo posset de condigno mereri alijs peccati abolitionem.

2\. Secunda sententia Alensis *3. p. q. 1. mem. 6. a. 2.* Alberti Magni *in 3. dist. 20. ad 3.* Divi Bonaventuræ *ibi. q. 3. & 4.* Sancti Thomæ *præs. q. 1. a. 2. ad 2. & 3. contra Gentes. cap. 54. in fine & cap. 55. ad 21.* Ferrariensis *ibidem.* Capreoli *in 3. dist. 18. quæst. un. & in 4. dist. 15. q. 1.* Ioannis Medinæ *in Cod. de satisfactione. q. 1.* Ioannis à Sancto Thomâ *supra citati.* Barthol. Medinæ *hic art. 2. dub. 3.* Valentiæ *punct. 5. in 3. quæsito.* Vasquezij *disp. 4. cap. 4. cit. a. 2. à n. 61.* Mæratij *præs. disp. 6.* Card. Ioan. de Lugo *disp. 5. sect. 8.* Amici *disp. 5. sect. 7.* Ysamberti *disp. 4. art. 1.* Pesantij *disp. 4.* negat. Fundamentum ex Vasquezio *cit. disp. 4. cap. 5.* adduci potest. Nam si una pura creatura pro peccatis alterius *Condignè* posset satisfacere, non alio modo id efficeret, quàm *Condignè* impetrando illi gratiæ auxilia, quibus tandem à peccato justificaretur, aut denique impetrando ei ipsam formam justificantem absque ullâ aliâ ipsius præparatione, quâ peccatum & offensa contra Deum deleretur. Atqui nulla pura creatura potuit alteri auxilia gratiæ, aut ipsam formam justificantem *Condignè* impetrare. Probatur ista Minor. Ad hanc enim impetrationem deberet in impetrante supponi gratia tum sanctificans, tum actualis. Atqui hæc gratia quantumvis intensa ejusdem rationis esset cum gratiâ, quam modò justi habent. Neque verò potest nunc justus aliquis mereri alteri primam gratiam, sed solum sibi vitam æternam, & incrementum ipsiusmet gratiæ. Ergo nec in casu præfato potest quis constitutus aliorum Caput per charitatem & gratiam quantumvis intensam mereri alteri primam gratiam, nedum toti humano generi.

Tertia sententia Cajetani *præs. a. 2. §. ad horum evidentiam.* asserit; dum Sanctus Doctor *eodem art. ad 2.* negat, puri hominis satisfactionem sufficere pro peccato; per *ly purus homo* fieri exclusionem, non tantùm conjunctionis cum Divino supposito, sed etiam Misericordiæ Divinæ gratificantis opus hominis ad hoc, quòd sit acceptum. Fundamentum est. Nam opus satisfactionis à purâ creatura exhibitæ, prout informatur gratiâ, per quam Deo reddatur acceptum; accipit ex infinitate Divinæ Misericordiæ quandam infinitatem cum offensæ Divinæ infinitate Adæquabilem. Ergo si dicatur, purum hominem non posse pro Divinæ Majestatis offensâ satisfacere ad æqualitatem, redditur sensus, quòd seclusâ Misericordiâ Dei acceptantis opus alicujus pro satisfactione, purus homo non possit viribus suis satisfacere; sicuti econtra Deus homo potest viribus suis ad æqualitatem satisfacere pro peccatis. 3.

Huic sententiæ adstipulatur Nazarius *præs. a. 2. cont. 4. conc. 4.* docens: quòd purus homo per absolutam Dei Potentiam potuit pro totius humani generis offensis Deo satisfacere *perfectè* seu *ad æqualitatem,* non *simpliciter,* sed ex *suppositione Divinæ gratiæ à Deo receptæ,* prout gratia se tenet ex parte satisfacientis, & quatenus tanquam unum cum eo consistens actionis Principium, consideratur. 4.

CONCLUSIO.

PEr Divinæ Voluntatis vim & efficaciam fieri posset, ut unius creaturæ satisfactio esset condigna pro aliorum peccatis, non quà Divinæ Majestatis seu Ultimi Finis sunt Moraliter offensiva, sed quà continent aliquam cum naturâ rationali ad statum etiam gratiæ supernaturalem elevatâ repugnantiam & oppositionem.

Explicatur & Probatur. Nam in peccato mortali duplex est malitiæ Formalitas. Altera est Divini in supremâ Majestate radicati Iuris læsio: Hæc autem in puræ etiam naturæ statu subsisteret, quatenus Fines hominis intrinseci tum intermedij tum ultimus, nec non media per naturam rationalem ad hos fines *intrinsecè* determinata, essent à Deo ordinata, non præcisè secundùm intrinsecam cum intellectuali creaturâ convenientiam, sed secundùm Divini in ultimi Finis ac Majestatis supremæ Dominio radicati juris exactionem. Cujus proinde Iuris Divini læsio moralis per creaturam in statu puræ etiam naturæ foret *simpliciter* irreparabilis ac inadæquabilis, *veluti superiùs probatum est.* Altera igitur in peccato mortali malitiæ formalitas est disconvenientia 5.

venientia cum naturâ Intellectuali. Hæc autem disconvenientiæ ratio alia est in statu naturæ, alia verò in statu elevationis ad Finem supernaturalem: nam in priori statu fundat negationem Rectitudinis ad Finem duntaxat naturalem, vel ab intrinseco per legem naturalem, vel ab extrinseco per legem positivam ordinatæ; in statu autem elevationis fundat negationem rectitudinis, seu Bonitatis proportionatæ cum Fine supernaturali. At hæc tota ipsius etiam supernaturalis Finis *Quo* rectitudo est forma creata, estque adeò *intrinsecè* finita. Est autem per se notum, quòd formæ alicujus negatio *simpliciter* & *absolutè* reparetur per formæ oppositæ positionem. Consequens igitur est; illam cum naturâ rationali in peccato mortali disconvenientiæ seu rectitudinis Formæ, seu actui alicui creato convenientis negationem esse *adæquatè* reparabilem per formæ oppositæ positionem. At nulla est Forma creata etiam supernaturalis, ad quam aliquis puræ creaturæ in excellenti Sanctitatis gradu constitutæ actus non habeat proportionem condignam. Non igitur repugnat, à purâ creaturâ per vires gratiæ poni actum peccato mortali quà rectitudinis creaturæ Intellectuali debitæ privativo *condignè* proportionatum, atque adeò rectitudinis amissæ *de condigno* reparativum & consequenter *adæquatè* satisfactorium.

6. Dices. Negationem seu privationem non tolli per formam oppositam, nisi hæc ponatur in subjecto negationis seu privationis. Ergo actum in alio existentem non posse peccati mortalis de condigno esse expiativum seu Deletivum, atque adeò satisfactorium.

7. Contra. Sicut enim frigus aëri inexistens non *Formaliter*, sed *Physicè Efficienter* est reparativum frigoris ex aquâ per calorem expulsi: sic actus homini Sancto inexistens posset gratiæ peccato mortali amissæ in altero esse *de condigno* reparativus non quidem *formaliter*, sed *moraliter efficienter*, Divinâ ordinatione mediante, causando in peccatore gratiam sanctificantem *Formaliter* expulsivam privationis seu maculæ ex culpâ mortali relictæ.

8. Probatur istud Assumptum. Etenim Ordinatio Divina, si absoluta sit, habet rationem causalitatis *physicè* ad extra efficientis. Atqui alia potest esse Divina effectûs alicujus ad extra ordinatrix voluntas, quæ ad intrinsecum duntaxat Increatæ Bonitatis Dei Motivum respiciat, nullo alio præsupposito Decreto alicujus in creaturâ præviæ ad effectum illum dispositionis causativo, veluti est prædestinatio primæ vocationis supernaturalis, utpote nullum sive congruũ sive condignũ meritum præsupponens. Alia vero Dei ad extra ordinatrix voluntas supponit ex parte creaturæ Formam aliquam ex Decreti *Virtualiter* prioris causalitate positam, cui insit intrinseca sive congruitatis sive condignitatis proportio ad objectum, seu effectum illius *Virtualiter* posterioris ordinatricis Voluntatis: veluti est voluntas Dei remuneratoria supponens merita ex vi Voluntatis Divinæ *Virtualiter* prioris causata & donata. Unde prior illa Voluntas Dei ad extra Ordinatrix est puræ Misericordiæ ac liberalitatis: ista vero est Iustitiæ, utpote Decretoria Formæ ex respectu ad intrinsecam Dignitatem seu Proportionem condignam alicujus in creaturâ præsuppositi actûs. Hâc igitur ratione & modo dicimus, Deum posse respicere ad puræ in Excellentis sanctitatis gradu constitutæ creaturæ actum, & ex hujus respectu efficaciter ordinare alicui peccatori contritionem & gratiam Sanctificantem, quà *Formaliter* expulsivam peccati mortalis, ac reparativam intrinsecæ supernaturalis ex culpâ lethali amissæ rectitudinis.

Instabis. In hoc discursu supponi: quòd actus puræ creaturæ per ejus Sanctitatem dignificatus haberet proportionem condignitatis ad Gratiam sanctificantem in alio etiam subjecto *Moraliter* seu *Meritoriè* efficiendam. At hoc esse falsum, cùm alioquin posset homo Iustus suum condignum alicujus gradûs gratiæ Meritum etiam alteri applicare. 9.

Contra. Nam condignitas meriti importat connaturalem alicujus effectûs Divinitùs conferendi exigentiam. Atqui actui supernaturali per gratiam sanctificantem dignificato inest ista connaturalis exigentia ad gratiæ intensionem. Hæc autem intensio importat actionem per se effectricem gratiæ. Unde actui supernaturali per gratiam dignificato convenit ratio Meriti condigni ad actionem gratiæ effectricem. Atqui Meritum hominis Iusti condignum ita subest Dominio ipsius, ut tamen effectus tali merito respondens dependeat *Physicè* ex solâ Divinæ voluntatis causalitate. Eo ipso verò, quòd meritum hominis justi condignum subsit ejus Dominio, sequitur; posse ejus valorem alteri donari, ita tamen, ut, quia effectus talis meriti non ex creatâ hominis Voluntate, sed ex solâ Divinæ voluntatis causalitate pendet, nequeat meriti condigni donatio efficax esse, nisi Deus illam Donationem acceptando, habeat Voluntatem effectûs merito condigno respondentis effectricem. At verò Deus de facto nullum acceptat puræ creaturæ meritum condignum, nisi pro effectu merenti inexistente: eò quod viæ statum taliter ordinaverit, ut nullus homo purus in termino plenitudinis gratiæ & Sanctitatis sibi determinatæ positus esset, nisi post periodi sui consummationem, postquàm non esset ampliùs aliquod meritum, sed impetrationis duntaxat communio. Nihilominùs *absolutè loquendo* non 11. repugnat, Merente Ius meriti sui condigni transferente in alterum, Divinam Voluntatem effectûs seu gratiæ Merito condigno correspondentis esse taliter ordinatricem, ut non merenti, sed illi alteri velit effectum seu gratiam ejusmodi. At hæc ipsa gratia est abstersiva totius peccati Mortalis Maculæ, quà privativæ rectitudinis supernaturalis. Constat proinde, non repugnare, quòd Deus constituendo hominem in plenitudine Sanctitatis sibi præfinitæ, hujus actus acceptaret, totum eorum valorem condignum Voluntatis suæ Divinæ effectrice causalitate ordinando ad aliquem alium sanctificandum, ejusque adeò peccata per Sanctitatem ex alterius condigno merito collatam abstergenda.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD primæ sententiæ ex Ioanne à Sancto Thomâ adductum Fundamentum Respondetur, 12. Eo probari; hominem gratiæ plenitudine instructum cum potestate derivandi gratiam in alios homines, posse *de condigno* mereri abolitionem

nem peccati, quatenus istud importat Privationem supernaturalis rectitudinis, non autem offensam Divinæ Majestatis.

Ad 2. Sententiæ ex Vasquezio deductum
13. Fundamentum, negatâ minore, Respondetur. In Merito Iusti esse intrinsecam condignitatem ad augmentum, atque adeò ad substantiam Gratiæ seu actionem ejus productricem. Hanc verò intrinsecam condignitatem ita subesse Dominio Iusti merentis, ut ejus tamen effectus, sive gratiæ infusio, vel augmentatio *physicè* pendeat ex solâ Divinâ causalitate. Hinc Iusti merenti eatenus esse facultatem meriti sui valorem ac Ius donandi alteri, ut tamen ista donatio nullum sortiatur effectum, nisi voluntas Divina illam acceptando ad nutum merentis, decernat alteri gratiæ infusionem. At istud de facto non subsistere, sed de possibili duntaxat. Etsi proinde gratia Iusti de facto habeat remotam, non autem proximam proportionem fundandi condignitatem pro gratiâ alteri promerendâ, attamen de potentiâ Dei absolutâ condignitatem illam in opere supernaturali à Dei effectrice Voluntate acceptatam posse habere actualem in gratiam alteri promerendam influxum moralem & meritorium. Tunc igitur posse Iustum alteri, imò frequentatis saltem actibus supernaturalibus, toti humano generi peccato mortali infecto *Condignè* mereri gratiam culpæ lethalis *Formaliter* expulsivam.

14. Ad Doctrinam ex parte tertiæ sententiæ expositam Respondetur 1. Verum quidem esse, quòd, uti asserit Cajetanus, homo purus Dei Misericordiâ seclusâ, non possit *Condignè* tollere offensam Dei, seu læsionem Iuris Divini; sed implicare, quòd Dei offensam suam remittentis Misericordiâ interveniente, fiat pro peccato satisfactio condigna, & ad æqualitatem. Ratio
15. est. Nam ista Dei Misericordia est ipsa voluntatis Divinæ Causalitas *Efficienter* influens gratiam. Hic autem gratiæ in peccatorem influxus nequit supponere opus hominis non Dei cum Iure Divino *Moraliter* læso adæquabile, *uti supra ostensum est.* Quæ ratio est, cur illa Divina Gratiam peccati *Formaliter* expulsivam influens Voluntas nequeat esse Iustitiæ, sed tantùm Misericordiæ. At eo ipso repugnat, opus esse *Condignè* satisfactorium, si non sit adæquabile cum Divini Iuris læsione morali tollendâ per Gratiam non nisi Misericorditer donandam. Ergo quia purus homo nequit ponere opus Remissione offensæ Divinæ condignum, sed Voluntas Divina ex Motivo duntaxat misericordiæ est in peccatorem *Causaliter* influens gratiam peccati mortalis *Formaliter* expultricem, repugnat simpliciter hominis non Dei pro peccato mortali satisfactio condigna & ad æqualitatem.

16. Respondetur 2. ad Nazarij n. 4. propositam Doctrinam. Purum hominem, ne suppositâ quidem gratiâ homini ejusmodi infusâ, unumque cum eo actionis Principium constituente; posse pro peccati mortalis offensâ *ad æqualitatem* Satisfacere. Ratio est. Tum quia gratia creata quantumvis intensa non est adæquabilis cum Increato Divinæ Majestatis, & Ultimi finis Iure per peccatum mortale læso. Ergo nequit hominem elevare ad potentiam *Condignè* satisfaciendi pro tali Iuris Divini læsione morali. Tum
17. quia licèt ex receptione gratiæ homo elevari possit ad statum alteri *Condignè* merendi gratiam peccati mortalis *Formaliter* expulsivam. Hæc tamen culpæ lethalis expulsio non fit per gratiam alteri promeritam, nisi quatenus ista *Causaliter* fluit ex voluntatis Divinæ ordinatione, non nisi Misericordiæ Motivo innitente; *uti superiùs probatum est.* At eo ipso implicat, opus esse ad æqualitatem satisfactorium, si gratia ex Condignitate talis operis *Meritoriè* fluens non sit peccati *formaliter* expulsiva, nisi quatenus fluit ex liberali Misericordiæ Voluntate Divinâ. Quare implicat simpliciter, quòd homo purus pro peccato mortali satisfaciat ad æqualitatem, tametsi *absolutè loquendo* fieri posset, ut peccatori mereretur *Condignè* Primam Gratiam, peccati Mortalis *formaliter* expulsivam, ita tamen, ut ejusmodi Formalis gratiæ effectus responderet condigno illi hominis puri merito, quatenus peccati mortalis supernaturali intrinsecâ rectitudine privantis expulsio est, non verò quatenus Iuris Divini redintegratio, seu moralis ejusmodi læsionis extinctio est.



ARTICULUS III.

A N

Christi Domini pro nostris peccatis satisfactio fuerit simpliciter condigna?

Cum nullius puræ creaturæ actio moralis possit esse condignè satisfactoria 1.
pro peccato mortali, manifestè evincetur, Verbi Divini Incarnandi ad condignam peccatorum satisfactionem necessitas, ubi probatum fuerit, actionum Christi valorem ac pretium esse condignum, imò superexcedens injuriæ Divinæ gravitatem, atque malitiam. In quem proinde finem tres hîc expendemus controversias. 1. erit. *Utrùm Operum Christi valor pro humano genere satisfactorius ac meritorius sit condignus, imò Formaliter infinitus?* 2. *Qualis in moralibus Christi actionibus sit infinitas?* 3. *Qualiter ista infinitas ex Hypostasi ac Divinitate Verbi derivetur in Christi opera meritoria, & satisfactoria?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm operum Christi Valor pro humano genere satisfactorius ac meritorius fuerit condignus, imò formaliter infinitus?

Scotus *in 3. dist. 19. q. un. n. 7.* Lychetus *ibidem in Comment. à n. 2.* Durandus *dist. 20. q.* 2.
2. Gabriel *art. 1. notab. 3.* Mayronius *dist. 17. q. 2.* Marsilius *q. 12. a. 2. par 2. ad 4. controv. 2. concl.* negant. Fundamentũ subtilis Doctoris est 1. Quia meritum Christi pendet à Principio *Essentialiter* finito, etiã accipiendo ipsum cũ omnibus respectibus, sive cũ respectu ad suppositum Verbi, sive cum re-

respectu

respectu ad finem: omnes enim isti respectus erant finiti. Ergo Christi meritum quomodocumque circumstantionatum erat finitum. An-
3. tecedens probatur ex Lycheto *citato n. 1.* Tum quia Principium meritorum Christi erat Voluntas animæ ipsius. Hæc verò Christi creata voluntas non alios ad Verbum & Finem ultimum habebat respectus, nisi qui fundati erant in illâ creatâ Voluntate, nec adeò poterant esse *Formaliter* infiniti. Tum quia isti respectus non sunt de genere activorum. Ergo non possunt voluntati humanæ Christi esse ratio formalis producendi actum. Ergo Christi creata Voluntas quantumvis circumstantionata illis respectibus, in ratione tamen Principij merentis erat finita. Atqui à Principio *Formaliter* finito non potest esse effectus *Formaliter* infinitus. Ergo me-
4. ritum Christi quantumvis circumstantionatum non potest esse *Formaliter* infinitum. 2. Si enim Christi meritum fuisset infinitum, sequeretur, ipsum non magis fuisse meritum secundùm *Velle* creatum, quàm secundùm *Velle* Verbi increatum. Atqui Verbum secundùm Velle suum proprium
5. non potuit mereri. Hinc 3. si quæstio incidat, *in quantum potuerit Christi meritum acceptari à* DEO, tunc dicendum erit: quòd, sicut omne aliud à Deo ideo est bonum, quia à Deo volitum, & non econverso: sic meritum Christi tantum fuerit bonum, pro quanto fuerat acceptatum, ita ut esset meritum, quia acceptatum, non verò, quia meritum erat & bonum, fuerit idcircò acceptatum. Atqui potuit acceptari *passivè*, quantum tota Trinitas potuit, & voluit acceptare *activè*. In hoc ipso autem Christi merito alia est Bonitas ex ratione ejus formali, secundùm quam non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis, sed pro finitis. Ut sic autem *de congruo* habuit quandam rationem extrinsecam, propter quam Deus poterat illud acceptare in infinitum *Extensivè*. Quare meritum Christi ex respectu ad Verbum seu quà elicitum à Voluntate in Verbo suppositatâ, non tam ex se, quàm ex Voluntatis Divinæ acceptatione Extrinsecâ habuit congruitatem *Extensivè* infinitam, uti exponit Lychetus *citatus n. 5.*

6. Econtrario Alensis *3. p. q. 1. memb. 7.* Divus Bonaventura *in 3. dist. 20. q. 3. & 5. ad ultim.* Sanctus Thomas *3. p. q. 1. a. 2. ad 2. & q. 48. art. 2.* Item *4. contra gent. cap. 5. ad 24.* Ferrariensis *ibidem §. ad evidentiam.* Sotus *in 4. dist. 1. q. 5. art. 4.* Cajetanus *3. p. q. 1. a. 2. ad 3. dub.* Suarez *præs. disp. 4. sect. 3.* Vega *lib. 7. in Trident. cap. 8. & 9.* Vasquez *disp. 5. à cap. 2.* Ysambertus *disp. 5. a. 6.* Amicus *disp. 5. sect. 8. & disp. 6. sect. 2.* Card. de Lugo *disp. 6. sect. 1.* Martinon *disp. 2. sect. 6.* Mæratius *disp. 6. sect. 1. & sequent.* Nazarius *pres. art. prim. par. 2. Controv.* Ioannes à Sancto Thomâ *disp. 2. art. 1.* Petrus Labat *disp. 1. dub. 2. §. 4.* affirmant; satisfactionem Christi pro humani generis peccatis non tantùm esse condignam & æqualem, sed superabundantem & *simpliciter* infinitam. Fundamentum 1. petitur ex illo *Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratiâ unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Nam hisce verbis sacris fit comparatio Christi meritorum ad peccatum Adami. In hâc autem comparatione Merita Christi quoad valorem & efficaciam salvandi præferuntur de-merito Adæ, uti Sanctus Anselmus in illum locum observat; *Non sic est*, inquiens, *efficax peccatum Adæ ad damnationem, ut gratia Christi ad salvationem.* Hæc autem meritorum Christi prælatio non potest stare quoad majorem effectûs gratiæ ad plures extensionem: siquidem Adæ peccatum *actualiter* sit transfusum in omnes, non verò effectus gratiæ Christi. Ergo debet illa meritorum Christi præ Adami demerito prælatio intelligi quoad efficaciam Virtutis, ita ut major in merito Christi sit intrinseca virtus ad salvandum, quàm in Demerito Adami fuerit vis ad nocendum, Agapito Papâ *in Epist. 1. quæ est ad Anthimum* asserente: *Effusionem Christi sanguinis tam fuisse divitem ad pretium, ut validius factum fuerit donum libertatis, quam debitum servitutis.*

2. Ex illo *ad Colossens. 2. Delens, quod adversùs nos erat Chirographum Decreti, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* 7.
At si Christi satisfactio non ex se, sed per acceptationem Dei duntaxat sufficiens fuisset, Christus non triumpharet in semetipso de nobis à se redemptis, 8.
sed in acceptatione Dei. 3. ex *1. Corinth. 6.* Ubi dicimur *Empti pretio magno*, Passionis nimirum Christi. At pretium emptionis ex se ipso debet 9.
habere valorem condignum cum re emptâ. 4. ex illo *Iob. 6. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in staterâ, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Hæc enim verba Gregorius Magnus *lib. 7. Moral. cap. 2.* accipit de satisfactione Passionis Christi præponderante nostris peccatis.

CONCLUSIO.

Operum Christi moralium Valor satisfactorius ac Meritorius est simpliciter ac intrinsecè infinitus, atque adeò superabundans & excedens humani generis peccata.

Probatur ex Clementis VI. *Extrav. Unigenitus. de pænit. & remiss.* decernentis in hæc verba: 10.
Christus suis meritis acquisivit infinitum thesaurum hominibus, nec formidandum est, ne exhauriatur vel minuatur propter infinita Christi merita, cujus una Sanguinis gutta propter unionem ad Verbum pro Redemptione totius humani generis sufficeisset. Ex quo ita licet argumentari. Sufficientia Christi Meritorum pro humani generis Redemptione est propter Hypostaticam Sanguinis pro nobis effusi unionem ad Verbum. At per hanc unionem non res duntaxat oblata seu Christi Sanguis habet infinitatem Hypostasis, sed ipsa Persona offerens seu satisfaciens est Dignitatis *simpliciter* infinitæ. Hæc autem satisfacientis Dignitas ita derivatur in actiones Christi satisfactorias ac meritorias, ut istarum valor *intrinsecè* importet Personæ Christi Dignitatem infinitam. Probatur istud 11.
assumptum. Nam Divinus Dionysius *Epistolâ 4. ad Caium. & cap. 2 de Divinis Nominibus.* item Damascenus *lib. 3. Orthod. fidei. cap. 15. & 16.* actiones Christi ob dignitatem Personæ operantis vocant Deificatas, seu Theandricas, id est, Divinas Viriles, seu Divinas humanas. At Christi Domini actiones erant ex hoc ipso salutiferæ, quòd non tantùm humanæ essent, sed etiam Divinæ seu perfusæ Deitate. Ex Damasceno *citato.* Unde Theodorus etiam Ancyranus *hom. de Nativit. Domini in Concil. Ephes. to. 6. cap. 10.* dixit; Deum assump-

sumpsisse Passiones, ut illæ Deificatæ victoriam adversùs passiones nobis obtinerent. At verò Passiones & actiones quà Deificatæ seu perfusæ Deitate important aliquod compositum ex Christi actionibus & Deitate Verbi non *immediatè physicè*, sed *moraliter* unitis. Ejusmodi verò Compositum licèt morale *Essentialiter* ac *intrinsecè* importat Deitatem, seu Deitatis Hypostasin *Formaliter* Dignificativam Christi Moralium actionum. At per se notum est, Compositum *intrinsecè* constans Deitate, seu Divinâ Verbi Hypostasi esse *intrinsecè* infinitum. Consequens proinde est, Dignitatem Christi Personæ infinitam ita derivatam fuisse in ejus operationes satisfactorias & meritorias, ut his conferret valorem *simpliciter* infinitum.

12. Dices. Eo ipso, quòd Compositum ex operibus Christi Moralibus ac Personæ Verbi Dignitate sit tantùm Morale, sequi; Personam Verbi non nisi *Moraliter* esse Dignificativam Meritorum Christi. At istam Dignificationem moralem non tam in re ipsâ subsistere, quàm in æstimatione hominum duntaxat. Unde valorem operum Christi Meritoriorum & satisfactorium non re ipsâ, sed ex hominum duntaxat æstimatione importare infinitam Personæ Verbi Dignitatem.

13. Contra. Nam illud ex operibus Christi Moralibus ac Personæ Verbi Dignitate compositum dicitur morale, quòd nulla sit Physica extremorum unio, sed aliqua duntaxat concurrentia ad Divinam Voluntatem taliter movendam, ut Increata Christi Domini Hypostasis habeat rationem motivi Formalis, opera verò per Humanitatem supernaturalibus infusis Virtutibus elevatam elicita sint objectum duntaxat materiale, quo mediante fiat illius Motivi Formalis applicatio ad Voluntatem Divinam efficaciter movendam in ordine ad effectus gratiæ ac Gloriæ hominibus decernendos. Probatur

14. istud assumptum. Quia Voluntas Divina ad nullum effectum extra se producendum moveri potest ex bono aliquo creato, sed ex suâ duntaxat Increatâ Bonitate cuique Formalitati Deo intrinsecæ *realiter Formaliter* identificatâ. At Christi humanitatis operibus moralibus eo ipso, quòd egrediantur à Personâ infinitæ ac Increatæ Dignitatis, convenit, ut Deus illa acceptando in merita & satisfactiones, priùs respiciat ad Personam merentem, quàm ad ejus moralia opera. Veluti Sanctus Thomas *q. 27. de Verit. art. 4.* probat ex illo *Genes. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Hinc autem fit, opera Christi moralia ita se habere ad Dei voluntatem flectendam, ut Personæ *meritoriè* ac *satisfactoriè* operantis Dignitas sit Motivum *Formaliter* applicans illa moralia opera ad Divinæ Voluntatis Decretum Redemptionis nostræ effectuũ præfinitivum & causativum, veluti Apostolus ad *Hebr. 5.* videtur insinuare, dum *Christum preces supplicationesque diebus carnis suæ offerentem* asserit *exauditum pro suâ Reverentiâ.* At per se notum est, opera Christi meritoria & satisfactoria eo ipso *Moraliter* dignificari per infinitam Christi Personam, quòd ista Voluntati Divinæ sit Motivum efficax ad redemptionis effectus meritis illis decernendos, & ut sic causandos. Patet igitur, illam moralem meritorum, & Satisfactionum Christi ex hujus Personâ dignificationem non consistere in hominum duntaxat æstimatione, sed partim in Physicâ operum Christi moralium egressione ab humanitate per Increatam Verbi Hypostasin terminatâ, partim in ipsâ Personæ Christi Dignitate infinitâ quà voluntatis Divinæ motivâ ad effectus Gratiæ decernendos Christi operibus moralibus. At hæc ipsa Personæ Christi Dignitas eatenus est *intrinsecè* infinita per se ipsam *Formaliter* actuans purissimum amoris Divini actum, ut possit hujus amoris efficaciter esse motiva ad quoslibet in infinitum Gratiæ & Gloriæ effectus decernendos ac producendos. Quia igitur opera Christi moralia ex hâc infinitâ Personæ Christi Dignitate eatenus dignificantur, ut ex istâ accipiant valorem sive rationem Motivam, sub quâ voluntas Divina efficaciter excitetur ad amorem illorum, operum intuitu, efficaciter determinativum redemptionis effectuum. Consequens est; operum ejusmodi valorem esse *simpliciter* infinitum. At eo ipso, quòd iste valor *intrinsecè* ac *Formaliter* importet Dignitatem increatam, quæ amoris Divini effectuum Gratiæ causativi sit Motivum *Formaliter identicè* specificativum, sequitur; ipsum excedere infinitatem offensæ ac injuriæ Divinæ.

Probatur istud assumptum. Quia hæc est Iuris Divini læsio, non *physicè* Destructiva, sed *Moraliter* duntaxat, ex affectu saltem Virtuali ac interpretativo creatæ Voluntatis. At eo ipso, quòd ista Voluntas Ius Divinum non attingat suo affectu, nisi in quantum præcognitum, & in actionis creatæ morali gravitate exactum est, sequitur; talem injuriam non *absolutè*, sed cum addito in genere moris esse *simpliciter* infinitam. Econtra verò ille Meritorum Christi valor *Formaliter* importat Hypostasis Increatæ dignitatem, atque adeò Bonitatem Increatam, prout per purissimæ Simplicitatis actualitatem se habet ad Divinam Voluntatem humanitatis Christi opera moralia ad Redemptionis effectus decernendos eatenus acceptantem, ut opera ejusmodi sint amoris Divini objectum *materiale*, Dignitate illâ increatâ se habente, ut objectum Formale atque adeò ut motivum operum illorum Dignificativum. Est autem indubitatum, quòd valor Dignitatem Increatam *formaliter* importans *simpliciter* & *absolutè* infinitus sit. Consequens igitur est, valorem operum Christi Meritorium & satisfactorium *infinitè* fuisse superabundantem, ac excedentem humani generis peccata. 15.

Responsio ad Scoti fundamenta.

AD 1. subtilis Doctoris *n. 2. & 3.* oppositum argumentum Respondetur. In eo supponi, quòd valor Christi meritorum vel *Efficienter* promanet ex humanâ Christi voluntate, vel *secundùm nos* derivetur ex aliquo ejusdem voluntatis ad Verbum respectu. At neutrum istorum subsistere. Etenim valor meriti est illa ratio, quæ habet vim movendi Voluntatem præmiantis ad præmij collationem. At supra ostendimus, istam ad Redemptionis effectus decernendos vim voluntatis Divinæ motricem esse ipsammet Personæ Christi merentis Dignitatem intrinsecam. Hæc igitur, non autem creatus voluntatis Christi 16.

sti humanæ ad Verbum respectus aliquis est ratio, cur merita Christi habeant Dignitatem seu Valorem simpliciter infinitum.

17. Ad 2. Scoti *n. 4.* oppositum fundamentum Respondetur. Operum Christi moralium valorem satisfactorium ac meritorium non dignificari per Velle Verbi increatum, sed per hujus velle quà Redemptionis effectum Causativi Motivum formale. Hoc autem esse Increatam Personæ Christi Dignitatem.

18. Ad 3. Scoti *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Divinam omnis extra se Boni effectricem Voluntatem eatenus comparari ad Bona creata, ut, licèt universa sint ejus objecta duntaxat Materialia, unum tamen ex parte volitorum possit respectu alterius esse finis, seu objectum *Finaliter* Terminativum. Quare opus morale Meritorium eatenus esse causatum à Divinâ Voluntate, ut ejus tamen Dignitas, si ex Formâ creatâ Gratiæ Sanctificantis promanet, sit in merente ratio, propter quam Deus ipsi tanquàm Fini *Cui* decernat effectum præmij. At verò si Personæ merentis Dignitas sit Infinita, tunc habere rationem Finis non *ex parte volitorum* duntaxat ad extra effectibilium, sed ipsius Divinæ ob Meriti ejusmodi Dignitatem effectum aliquem ad extra decernentis Voluntatis esse Finem *Formaliter* Motivum, ac *Intrinsecè* Specificativum. Quocirca meritum Personæ infinitæ non habere duntaxat congruitatem *Extensivè* ac *Extrinsecè* infinitam, sed talis meriti valorem *Formaliter* dicere Dignitatem in Esse purissimo eatenus subsistentem, ut per sui Bonitatem *Essentialiter* infinitam habeat vim Voluntatis Divinæ *Intrinsecè* motivam ad quælibet in infinitum præmia decernenda.

19. Instabis. Si valor meritorum Christi simpliciter infinitus est, habeatque proportionem ad quodvis præmium possibile. Ergo merita Christi non possunt unquam *Condignè* præmiari à Deo, cùm implicet præmium *actu simpliciter* infinitum, vel saltem repugnet, omnia præmia possibilia *actu simul* existere. Hinc autem sequi videtur, Christi merita fuisse majora, quàm in Deo sit potentia præmiandi, quod absurdum est.

20. Respondetur. Christi operum valorem spectari posse *vel absolutè secundùm se*, quo modo habuisse proportionem ad præmiũ *syncategorematicè* infinitum: vel posse Christi merita considerari in ratione meriti actualis, quo modo ex intensione Christi merentis, & ex acceptatione seu promissione Dei respiciebant præmium finitum, ac determinatum. Etsi porrò valor meritorum Christi *absolutè*, ac *secundùm se* erat infinitus, potens suâ condignitate movere divinam Voluntatem ad quodvis præmium possibile, ex hoc tamen non sequitur, vim meritorum Christi excedere virtutem Divinæ Potentiæ, quæ nunquam potest producere præmium adeò perfectum, quod adæquare valeat Dignitatem Meritorum Christi.

21. Probatur istud Assumptum. Nam Omnipotentia quoque Divina est in ratione Potentiæ *simpliciter* infinita, quæ tamen producere non potest effectum *Categorematicè actu simpliciter* infinitum, sed Virtutis Divinæ Infinitas in eo consistit, quòd nunquam possit adeò exhauriri, quin creaturarum quovis numero producto, possit plures, ac perfectiores in infinitum *syncategorematicè* producere. Sic ergo meritorum Christi valor in eo consistit, quòd ipsi respondeant in actu primo præmia syncategorematicè infinita, ex quo minimè infertur, efficaciam meritorum Christi excedere vim Divinæ Potentiæ.

Replicabis. Valor meritorum & Satisfactionum Christi est infinitus, quatenus per modum formæ dignificantis includit Increatam Verbi Hypostasin: Ergo hic valor est *actu*, & non tantùm *Potentiâ* infinitus. Unde sequitur, quòd vel in Deo non sit Potentia *Condignè* præmiandi Merita Christi, vel possibile sit præmium *actu* infinitum, ac commensuratum valori operum Christi. 22.

Respondetur, negando ultimam consequentiam. Nam Omnipotentia Divina est in ratione potentiæ Productivæ *simpliciter actu* infinita, non tamen possibile est, terminum ejus adæquatum *actu simul* existere. Quamvis ergo Christi operum valor *simpliciter* infinitus sit, non infertur, præmium ipsi commensuratum posse *actu simul* existere, sed tantùm sequitur merita Christi nunquam posse in tantum præmiari, quin habeant semper condignitatem ad plura & perfectiora præmia *secundùm potentiam*, & *syncategorematicè* infinita. Ex quo fit, præmium Christi meritis commensuratum adæquari termino totali Divinæ Omnipotentiæ. 23.

Urgebis. Unio cum aliâ Personâ Divinâ, scilicet Patre aut Spiritu Sancto foret præmium condignum meritorum Christi. Probatur. Tum quia totus valor meritorum Christi provenit ex unione humanitatis ad Verbum Divinum; cui unioni quoad perfectionem æquivalet Hypostatica unio cum Personâ Patris æterni, aut Spiritûs Sancti. Tum quia sicut merita Christi dignificantur ex hypostasi Verbi Divini, sic per Unionem Personalem Naturæ humanæ Christi cum supposito Patris aut Spiritûs Sancti communicaretur humanitati Christi infinita dignitas Christi humanitati de novo unita. Ejusmodi ergò unio Hypostatica foret præmium condignum meritorum Christi. Ergo præmium Christi meritis *adæquatè* correspondens non commensuratur cum termino totali divinæ omnipotentiæ, sed merita Christi possunt *actu simul* præmiari *adæquatè*. 24.

Respondetur. Si intuitu Meritorum Christi assumeretur humanitas ad unionem cum aliâ Patris, aut Spiritûs Sancti divinâ Hypostasi, tunc præmium Christi meritis correspondens non fore ipsam Divinam Hypostasin *absolutè* & *in se* spectatam; sed quatenus communicatam, seu unitam humanitati. Probatur istud assumptum. Nam præmium importat dependentiam à merito, ceu Causâ. Atqui Hypostasis divina nequit esse dependens à Causâ tum Physicâ tum Morali. Ergo præmium meritorum Christi in casu præfato non esset Hypostasis divina, sed hujus communicatio & unio cum humanitate. At ista unio, cùm sit finitæ essentiæ & perfectionis, nequit adæquare meritum Christi, hujus namque valor non provenit præcisè ex unione Hypostaticâ Verbi; sed *Formaliter* constituitur per infinitam hypostasis Divinæ dignitatem. Cùm proinde unio, per quam humanitati communicatur divina hypostasis, finitæ sit perfectionis, ipsa verò hypostasis Personæ Divinæ nequeat esse præmium meritorum Christi, quorum valor *intrinsecè* includit subsistentiam Verbi, sequitur, unio- 25. 26.

unionem humanitatis cum Personâ Divinâ Patris, aut Spiritûs Sancti non fore præmium condignum meritorum Christi.

27. Instabis denuò. Si valor meritorum Christi *Formaliter* dignificatur non per unionem tantùm Hypostaticam, sed ipsammet Verbi divini hypostasin, sequitur, quòd divinæ quoque potentiæ terminus adæquatus non sit præmium commensuratum meritis Christi. Probatur ista sequela: Nam potentiæ divinæ terminus adæquatus consistit intra limites entis creati *secundùm Essentiam & actu simpliciter* finiti. Econtra divina Hypostasis Verbi *Formaliter* dignificans merita Christi est Ens Increatum *essentialiter*, & *actu* infinitum. At finiti ad infinitum nulla est proportio. Non posset igitur Omnipotentiæ Divinæ Terminus adæquatus esse præmium *simpliciter* condignum meritis Christi.

28.

29. Respondetur. Retorquendo argumentum in omnipotentiâ Dei. Hæc namque secundùm Essentiam est Ens increatum *simpliciter actu* infinitum, cujus tamen terminus totalis consistit intra limites Entis creati *actu & simpliciter* finiti. At isto non obstante, inter Divinam Potentiam, ejusque terminum adæquatum est porportio & commensuratio non in ratione Entis ac perfectionis, sed in ratione causæ & effectûs, seu Potentiæ ac termini. Sic ergo valor & efficacia meritorum Christi, quatenus *Formaliter* importat Increatam Verbi dignitatem, habet proportionem, & commensurationem cum omni, ac quolibet præmio possibili, quæ tamen commensuratio non est in ratione Entis ac perfectionis, sed in ratione Causæ cum effectu, scilicet meriti ad præmium.

30. Urgebis Ultimò. Si merita & Satisfactio Christi sunt valoris infiniti, sequitur 1. Quòd vel unum infinitum possit esse majus altero, vel omnes actus meritorij, & satisfactorij Christi sint æqualis valoris. At prius pugnat cum Essentiâ infiniti, quo per rationem intrinsecam nihil potest esse majus: posterius autem videtur habere absurdum. Nam actus meritorij, & satisfactorij Christi non ad unam, sed diversas Virtutes morales pertinebant; Ergo erant bonitatis & honestatis inæqualis, nec adeò æqualis meriti. Insuper unus dolor in Passione Christi fuit acerbior altero; unde videtur inæqualis satisfactionis valor fuisse circa passionem Christi. 2. Sequitur ex illâ doctrinâ, unum actum

31. Christi Meritorium & satisfactorium tanti fuisse valoris, ut omnibus Christi meritis *collective* sumptis æquivaleret. Hinc autem fit, actum ab humanitate Christi in primo conceptionis instanti elicitum fuisse sufficientem, imò superabundantem ad totius humani generis Redemptionem. Ergo non erat ratio, cur Deus tanta pateretur pro nobis, & acerbissimam subiret mortem. 3.

32. Sequitur; non posse causam assignari, cur Passio & Merita Christi, si erant infiniti valoris, tam paucis hominibus *efficaciter*, & *actu* applicentur.

33. Respondetur ad 1. sequelam: In actibus Christi meritorijs & satisfactorijs duo esse consideranda. Alterum est honestas, & bonitas moralis cuique virtuti propria, quæ pro diversitate actuum & objectorum erat secundùm speciem diversa & inæqualis in Christi operibus. Alterum est valor meritorius, & satisfactorius, qui in nobis dependet quidem non tantùm ex dignitate Gratiæ sanctificantis, sed ex intensione actûs, ejusque specificâ morali bonitate, alijsque circumstantijs. At verò, cùm dignitas infinita Verbi quodlibet Christi opus elevârit ad infinitum, & tantum valorem, qui *Eminenter* in se continebat, quidquid valoris conferre possunt bonitas & honestas, aliæque circumstantiæ operis. Idcirco actus meritorij Christi in ratione meriti non augebantur ex specificâ bonitate ac honestate cuique Virtuti propriâ, sed omnia Christi opera sicuti erant infiniti, sic æqualis fuerant valoris in ratione meriti & satisfactionis.

Respondetur ad 2. sequelam: Concedendo, 34. quòd unicus Christi actus secundùm valorem meritorium, & satisfactorium sit æqualis omnibus meritis *Collective* sumptis, & consequenter opera Christi *Extensive* tantùm sint plura merita; at *Intensive* non plus valoris existat in multis, quàm in unico Christi actu meritorio; velut ex communi Theologorum sententiâ tradit Suarez *disp. 4. sect. 4. §. hinc tertiò.* Quare actus in primo conceptionis instanti elicitus ab humanitate Christi habebat valorem condignum, imò infinitè excedentem humani generis Redemptionem. Ex quo tamen minimè sequitur, Passionem & mortem Christi non fuisse necessariam ad redimendum genus humanum. Nam actus virtutis, ut habeat rationem meriti actualis, debet præter valorem intrinsecum à merente ordinari ad certum effectum seu præmium, debetque à Deo in hunc finem acceptari. At Christus totam vitam suam ita ordinavit ad humani generis Redemptionem tanquàm finem ultimatum, ut nollet tamen istud opus Redemptionis perfici ac compleri, nisi per Passionem, & mortem suam. Neque Deus, qui merita Christi licèt infinita potuisset non acceptare, ad humani generis Redemptionem voluit humanitatis Christi actus acceptare, nisi consummarentur per mortem. Quare merita & satisfactiones Christi mortem ipsius præcedentia operabantur humani generis Redemptionem dependenter à Passione, & Morte Christi, cum quâ constituebant unum totale, & consummatum meritum. Ergo ex ordinatione Voluntatis tum humanæ in Christo, tum Divinæ in Sanctissimâ Trinitate, ad humani generis Redemptionem perficiendam fuit necessarium, ut Christus pro nobis pateretur, ac moreretur.

Respondetur ad 3. sequelam: Quæstionis 35. ibi insinuatæ; *Cur scilicet Redemptio Christi tam copiosa, & infinita hominibus adeò paucis efficaciter applicetur,* hujus, inquam, quæstionis solutionem pertinere ad profundum Prædestinationis Mysterium, & ad altitudinem Divitiarum Sapientiæ Dei, quam exemplo Pauli ad *Rom. 1.* potiùs convenit admirari, quàm curiosiùs perscrutari. Nihil posse perperam imputari, cùm intuitu meritorum Christi omnibus conferat media salutis sufficientia. Quòd autem ista media non omnibus efficaciter applicentur, altiorem hujus esse rationem, Deumque id permittere ad ostensionem Iustitiæ, & majorem gratiæ commendationem, quæ tantò pluris æstimatur, quantò paucioribus communicatur.

CON-

CONTROVERSIA II.

Qualis in operibus Christi Moralibus sit infinitas?

1. YSambertus Sorbonicus *pras. disp. 5. pracipuè art. 5.* tres in meritis Christi specie Morali distinctos asserit valores. *Primus* inerat operibus Christi Moralibus, quatenus erant reflexiva supra Personam Verbi, ita ut ex Divini hujus suppositi Dignitate & Christi actione Morali resultaret Totum quoddam morale, in quo tanquàm Redemptionis nostræ pretio *intrinsecè* iucluderetur Hypostasis Verbi. Cujusmodi reflexivæ actiones erant Humiliatio Christi, suique in mortem oblatio: siquidem in his actionibus facta fuerit ad Deum oblatio non actionis duntaxat à Christi humanitate elicitæ, sed ipsius Personæ humiliantis & offerentis semetipsam, juxta illud ad *Philippens. 2. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*; Et *ad Heb. 9. Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.*

2. *Secundus* operum Christi moralium Valor est ex Personâ Verbi quà speciali circumstantiâ *Extrinsecè duntaxat* se habente ad illa, veluti ad multiplicationem quinque panum, & duorum Piscium; item ad resuscitationem Lazari, & Filij viduæ, nec non ad curationem Socrûs Simonis, cæterasque id genus transeuntes actiones se habebat Personalitas Christi non ut pars *Moraliter* in illis inclusa, sed ut conditio tantùm, & qualitas Suppositi illas exercentis.

3. *Tertius* valor erat ex mediatâ naturæ humanæ *Moraliter* operantis unione cum Divinâ Naturâ: hunc enim tertium Valorem distingui à secundo, Ysambertus *citatus* evincit ex eo, quòd si per impossibile Divina Natura esset realiter distincta à Personalitate Verbi, nec proinde *Mediatè* unita humanitati, tunc morales Christi actiones carerent istâ dignitate per talem mediatam Unionem sibi proveniente, remanentibus tamen duobus prioribus valoribus. Cujus proinde triplicis valoris infinitatem præsenti controversiâ discutiemus.

Referuntur Sententiæ Doctorum.

4. CIrca primum Reflexivum Meritorum Christi valorem Vasquez *disp. 6. cap. 2. n. 7.* videtur negare, infinitatem pretij Redemptionis desumi ex infinitate rei oblatæ, quòd alioquin Beatissima Virgo in mortem pro nobis offerens filium suum, persolvisset etiam pretium infinitum pro nobis.

5. Econtrario Ysambertus *cit. disp. 5. a. 7.* illum meritorum Christi reflexivum valorem aliàs *Personalem* & *Radicalem* dictum, utpote duorum posteriorum Radicem, esse *Simpliciter* infinitum sequenti probat Argumento. Etenim valor actionis reflexivæ commensuratur Dignitati Personæ, supra quam talis actio se se reflectit, & crescit penes modum, quo talis actio importat Personam, ejusque dignitatem. Atqui actio Christi Domini tam satisfactoria, quàm meritoria est reflexiva supra Personam & Dignitatem Verbi Incarnati, & modus, quo talis utraque actio se se reflectit supra Personam Verbi, illamque importat, est, quòd Christus Dominus sic operando, non solùm hanc suam actionem Deo offerat in obsequium & subjectionem; sed & ipsam suam Personam simul: Sacris Litteris attestantibus; *Christum humiliasse semetipsum, vel obtulisse, seu tradidisse semetipsum.* Cùm igitur Dignitas Verbi Divini *simpliciter* infinita sit, consequens est; valorem actionis Christi Domini quà Reflexivæ tam Meritorium, quàm satisfactorium esse *etiam simpliciter* infinitum.

Huic sententiæ adstipulatur Amicus *disp. 6. sect. 3.* & Petrus Labat *disp. 1. dub. 2. §. 4. in confirm. 2.* adstruentes, operum Christi valorem infinitum ex rei etiam oblatæ infinitate, eò vel maximè, quòd Divus Thomas *3. p. q. 48. a. 2.* satisfactionis Christi valorem desumat ex infinitâ dignitate per Verbi Personam Hypostaticè terminatæ pro nobis oblatæ vitæ & Carnis ipsius. 6.

Circa secundum ex priori (velut Ysambertus *cit. disp 4. a. 7.* asserit) derivatum valorem idem author *a. 1. & 7.* affirmat; Personam Verbi tanquàm specialem actionum Christi moraliũ circumstantiam in hos derivare Dignitatem & Valorem meritorium & satisfactorium infinitum, secundùm speciem moralem distinctum à priori Radicali, eò quòd ille prior Radicalis, non verò hîc posterior Derivatus *Formaliter* ac *Intrinsecè* includat Divini Verbi suppositum. Fundamentum *cit. a. 7. pracipuè in fine* insinuatum est: Quia Persona Verbi quà Meritorum Christi Forma dignificans potest ad ea comparari, partim ut causa Efficiens, partim ut causa quasi Formalis. Atqui ad priorem Radicalem valorem se habet Personæ Divinæ Verbi dignitas instar causæ quasi Formalis, ad posteriorem verò Derivatum valorem se habet ut Forma in genere Causæ Efficientis Dignificans. 7.

E contrario videtur stare Ioannes à Sanctô Thomâ *pras. disp. 2. a. 1. à n. 32.* asserens: Dignitatem Personæ Verbi, quatenus operibus Christi Moralibus tribuit valorem, non habere rationem Circumstantiæ. Fundamentum est. Nam Persona in tantum redditur circumstantia moralis actionis, in quantum à ratione regulante sumitur ut conditio, seu accidens concomitans substantiam actûs humani individui. Unde non nisi per conformitatem ad talem Regulam actus assumit moralitatem ex circumstantiâ Personæ provenientem. At verò Dignitas Personæ Verbi in ratione meriti dignificans actiones Christi, tribuebat his pretium solùm ex conjunctione, quam actiones ejusmodi habebant ad Verbum tanquàm Principium *Quod*. Unde pretium & valor actionum Christi moralium non derivabatur in ipsas conformitate ad regulas rationis, sed ipsâ conjunctione & quasi informatione, quâ Persona Verbi humanitati unita tanquàm Principium meriti informabat actiones Christi morales ab humanitate tanquàm Pricipio *Quo* & ab hypostasi Verbi tanquàm Principio *Quod* profluentes. 8.

Circa Tertium ex secundo derivatum valorem sentit Amicus *disp. 5. sect. 11. concl. 1.* sat sfactionem Christi fore sufficie[illegible] pro [illegible] rei quâ Derivatam ex præcisâ Relativâ Verbi Personalitate, non considerando eam ut cond[illegible] [illegible]tatam à Naturâ seu Essentiâ Divinâ; Fundamen- 9.

mentum est. Nam licèt peccatum sit contra Deum ut Deum, non tamen per intrinsecam læsionem, sed per extrinsecum contemptum. E-contra verò satisfactio Christi fuit per intrinsecam submissionem Personæ Divinæ se se humiliantis & submittentis in obsequium & compensationem Dei offensi. At per hoc ipsum, quòd Persona Divina se offerat per intrinsecam sui exhibitionem, suppletur gravitas offensæ sumptæ ex Naturâ Divinæ contemptu duntaxat extrinseco. Ergo licet Verbum quoad solam proprietatem Relativam se ipsum in obsequium Patri pro satisfactione hominum obtulisset, adhuc ejus satisfactio fuisset condigna pro offensâ peccati.

10. Ex opposito sentiunt alij apud Amicũ *cit. sect. 11. in init.* operationem Christi non habitualem fuisse ad satisfaciendum sufficientem valorem ex solâ Personalitate Verbi, sed ex Naturâ Divinâ *Mediatè* unitâ Humanitati. Fundamentum est. Nam per peccatum læditur non solùm Dignitas Relativa Divinarum Personarum, sed ipsa etiam Deitas: siquidem lædatur Deus ut Ultimus Finis. Ergo ut sit condigna pro peccato satisfactio debet exhiberi à Personâ increatâ Verbi secundùm absolutam Naturæ perfectionem.

Conclusio.

IN Moralibus Christi operibus non est intelligibilis valor ex Dignitate Personæ Verbi derivatus, quin hæc dignitas tanquàm res sive *Signatè* ac *Reflexè* sive saltem *Exercitè* oblata intrinsecè ac Formaliter includatur in tali valore, ut adeò in actionibus Christi non sit nisi unicus secundùm speciem moralem valor infinitè meritorius, ac satisfactorius.

11. Probatur. Omnis enim actio *Moraliter* honesta importat *Formaliter* conformitatem cum Fine ultimo tanquàm supremâ totius honestatis mensurâ. Hæc autem conformitas alia est secundùm Identitatem & Puritatem actûs *Realiter Formaliter* identificati cum Fine ultimo; Cujusmodi est solius Dei propria, nec potest esse Meritoria, siquidem meritum dicat viam ad præmium seu Finem: in illâ verò honestate per realem Formalem Identitatem conformatâ cum Fine ultimo, non sit ratio viæ, ac tendentiæ in

12. Finem, sed sit hujus actualissima possessio. Alia proinde ad Finem Ultimum conformitas est per modum tendentiæ. Hæc autem tendentia ex ratione suâ Formali respicit Finem Ultimum tanquàm Numen superius *primò* regulativum omnis actionis moralis, & Beatificativum potentiæ actionum Moralium Directivæ ac Electivæ. At verò de ratione Formalis meriti est se habere ad Finem per modum tendentiæ. Ergo in omni merito est respectus ad Finem Ultimum tanquàm Numen aliquod superius *Primò* Regulativum omnis actionis Moralis, & *Ultimò* Beatificativum potentiæ actionum moralium Directivæ ac Elicitivæ. Atqui hic respectus importat ultimatam Principij meritorij subjectionem ac submissionem ad Finem ultimum, quâ Primam Regulam omnis actionis meritoriæ ex lure ultimi Finis directivam. Hæc autem ad Finem ultimum Directio creatæ Intelligentiæ innotescit ex Voluntatis Divinæ Causalitate & Manifestatione. Unde omni merito inest quædam submissio ad Divinam Voluntatem: Divo Thomâ *2. 2. q. 14. a. 5.* attestante. *Quæcumque virtutum opera ex hoc meritoria esse apud Deum, quòd fiant, ut obediatur Voluntati Divinæ; adeò ut, si quis etiam Martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem Divinæ Voluntatis, meritoria esse non possent.* Constat proinde, omni merito inesse *Formaliter* Principij Meritorij submissionem liberam ad Finem Ultimum & Voluntatem Divinam. At ista subje- 13.
ctio est quædam Victima, in quâ Voluntatis propriæ tanquam Principij *ut Quo* Meritorij ipsiusque adeò suppositi proprij tanquam Principij *ut Quod* Meritorij fit ad Deum oblatio. Unde sequitur, in omnis meriti ratione Formali *Transcendentaliter* involvi aliquam in Principium Meritorium Reflexionem, per quam *in actu saltem exercito* fiat proprij suppositi tanquàm victimæ ad Deum oblatio. Hæc ipsa verò ratio est, cur Deus in homine Munus aliquod Religiosè sibi offerente per prius respiciat ad Suppositum offerens, utpote primam quasi victimam, quàm ad munera oblata, victimam quasi secundariam; juxta illud *Gen. 4.* præcitatum. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus.* At verò Principium me- 14.
rendi *Quod* in actionibus Christi moralibus est ipsa Increata Verbi Divini Hypostasis. Hæc autem Verbi Divini Hypostasis respectu actionum Christi habet rationem Principij *Quod*, quatenus per Unionem Hypostaticam Humanitati communicat Esse subsistens, *veluti ex sequenti cont. elucidabitur.* At istud Esse subsistens est *Formalissimè* Essentia Divina per sui cum humanitate unionem Hypostaticam Humanæ Naturæ *Formaliter* sanctificativa. Nequit ergo intelligi aliquod in Christo meritum, nisi quatenus importat moralem quandam submissionem Suppositi Verbi Divini Formaliter includenti Divinam Essentiam, & ut sic Formalem existendi, ac subsistendi Effectum humanitati sibi unitæ communicantis. At in tali submissione morali importatur 15.
Verbi Dignitas per modum rei *in actu saltem exercito* oblatæ meritorum Christi eatenus Dignificativæ, ut illorum valor infinitus *Formaliter* includat Verbi Divini Hypostasin, non sub ratione relativæ duntaxat Personalitatis, sed sub ratione Esse subsistentis, atque adeò sub ratione Essentiæ Deo propriæ. Patet igitur, nullum esse in meritis Christi valorem ex Personâ Verbi Derivatum, quin sit reflexivus sub ratione rei *in actu saltem exercito* oblatæ *Formaliter* includens Essentiam quoque Divinam. Quare Valoris meritorum Christi in *Reflexivum* ac *duplicem Derivatum* distinctio nullo nititur Fundamento.

Dices. Valorem meritorum importare non Suppositi duntaxat merentis Dignitatem, sed honestatem etiam supernaturalem operis moralis. Hanc vero esse specie diversam in actibus Religionis Charitatis ut à Christi humanâ Voluntate elicitis. Ergo ex isto saltem capite dari plures specie distinctos valores operum Christi moralium. 16.

Contra. Nam actuum Christi Humanitatis supernaturalium honestas se habet ad illum Valorem *ut Materiale*, Dignitas autem Suppositi Divini *tanquàm Formale.* Atqui Multiplicatio se 17.

tatio se tenens *ex parte materialis* inducit distinctionem duntaxat individualem. E contra verò sicut forma dat speciem, sic unitas formæ fundat unitatem specificam. Cùm igitur una simplex sit Personæ Christi dignitas, nequit meritorum ipsius valor, secundùm speciem esse diversus; ut adeò specifica actuum Christi moralium differentia, non nisi *Materialem & Numericam* valoris, tanquam alicujus ex Dignitate Verbi, & Christi actionibus humanis moralis concreti, distinctionem inducat; sicuti Equus albus & Cygnus albus sub ratione Concreti *Tò albus* non differunt specie, sed *materialiter* duntaxat & *numericè*.

Responsio ad sententias Doctorum à *n. 4* propositas.

18. AD Vasquezij *n. 4.* propositam sententiam Respondetur. Maximum esse discrimen in eo, quod res oblata vel se habeat *per modum alicujus duntaxat objecti*, vel *per modum Principii in se reflexivi*. Etenim si homo justus, Divinas Personas vi gratiæ sanctificantis sibi specialiter inexistentes, per reflexam in Deum recognitionem, ceu sublime Persona Spiritus Sancti donum à Patre & Filio sibi concessum, sanctissimæ Trinitati reconsignando offerat, tunc Persona Spiritus sancti respectu actus ejusmodi se habet ut res oblata *per modum duntaxat objecti*: sicut etiam, si Beatus in Essentiali Dei Verbo videns Divinam Essentiam, istud increatum vitali Intellectûs sui actu intentionaliter attactum Verbum, *per actum reflexivum* Deo reconsignet; tunc increata illa Divini Verbi Intellectui beato intentionaliter unita repræsentatio est oblata *per modum duntaxat objecti*. At nullum agens seu offerens potest facere oblationem rei alicujus, nisi quatenus ista in ejus est potestate sive morali, sive physicâ. Sicuti verò Spiritus Sanctus non nisi mediante creatâ actione inexistit menti creatæ, sic per modum Doni Divinitùs donati non est in jure voluntatis alicujus creatæ, nisi prout stat sub actu illo creato: quemadmodùm Verbum Dei Increatum *Vitaliter* attactum à mente Beatâ non per se ipsum, sed sub actione vitali creatâ, subest Causalitati ac potentiæ Intellectûs creati lumine Gloriæ perfusi. Pari igitur ratione Beatissima Virgo, si præsertim *activè* concurrit ad Hypostaticam Verbi Divini cum humanitate unionem, tunc ipsius Maternitas importat jus ad ipsum Dei Verbum, quà Filium suum, ita tamen ut Juris hujus objectum non sit Persona Verbi quà subsistens in se, sed quà per actionem creatam unitur humanitati ex ipsâ progenitæ. Unde quando Æterno Patri offerebat Christum ceu Filium suum, tunc istius, sicut illarum quoque priorum oblationum objectum est quidem infinitum, sed quà *finitè* attactum, mediante creatâ actione. At oblatio eo ipso non est valoris infiniti, quòd res licèt infinita, non sit oblata, prout *in se infinitè* subsistit, sed prout *finitè* substat sub creatâ

19. actione. Econtra verò Principium morale in se reflexivum ita est offerens sui ipsius, ut quantum influit in actionem moralem alteri reconsignatam, tantum de se ipso huic offerat seu donet: Hinc enim Deus per Voluntatis suæ Divinæ actum, causando Formam Naturæ suæ Divinæ in mente creatâ exemplativam, huic illabitur sub propriâ Naturæ suæ Divinæ ratione ita ut ipsius Trinitatis in Deitate subsistentis substantia, per se ipsam *Finaliter, Efficienter* ac *Idealiter* influens, habeat rationem Doni. Pari ergo ratione Principium actûs moralis, supremum Divinæ Majestatis Jus recognoscentis elicitivum, submittendo se ipsum offert, ac reconsignat Deo, in quantum est concurrens ad talem moralem actum. Atqui increata Verbi Divini Persona prout animæ Christi communicat suum Esse subsistens, ad hujus actiones concurrit tanquàm intrinsecum Principij actionum istarum elicitivi complementum, *uti seq. cont.* patebit. Ergo istud Divinum subsistens Esse per Submissionis à Christo elicitos actus eatenus reconsignatur & offertur Deo, ut ex hoc ipso Divinæ Personæ Christi Esse, illisque actionibus resultet Concretum quoddam Morale, in quo Divini suppositi Dignitas infinita sub ratione Formæ Principij *Quod* constitutiva, se habeat ut Formale, ex quo in actus Christi morales *eo ipso* derivetur valor *infinitè* Meritorius & Satisfactorius, quòd Dignitas illa humanitati unita sub ratione Principij *Quod* per submissionis actus in Deum reflexivi sit pars pretij in peccatorum nostrorum Satisfactionem Deo *saltem exercitè* oblati, veluti probant Ysambertus & Amicus *n. 3. & 4.* adducti. 20.

Ad Ysamberti *n. 5.* propositum Fundamentum Respondetur. Displicere, quòd alium specie morali distinctum valorem in actionibus Christi meritorijs desumat ex dignitate Verbi quà Causâ Effectrice, alium verò quà Causâ Formali. Tum quia Causa Efficiens non est intrinseca suo effectui: unde ipsomet Ysamber- 21.
to *cit. disp. 6. a. 2. §. secundò sequitur.* fatente, valor ex dignitate Verbi tanquàm Causâ Effectrice in Christi morales actiones derivatus, non includit *intrinsecè* & *Formaliter* Divini Verbi suppositum, tametsi dicat ordinem ad istud. At nullus ad Divinam Dignitatem ordo est *Formaliter* increatus, atque adeò *intrinsecè* infinitus. Quare contra Ysambertum *cit. a. 7. in fine* concludendum foret, quòd derivatus Meritorum Christi valor non esset *intrinsecè* infinitus. Tum quia effectivus Personæ Christi quà Principij *Quod* in ejus actiones morales influxus, est duntaxat fundamentum, ex quo enascitur quodammodò, ut illa ipsa Divini Verbi Persona, per se ipsam *Formaliter* dignificet Christi merita, valorem *intrinsecè* infinitum ipsis confe-
rendo in genere Causæ quasi Formalis. Ne- 22.
gandum proinde; quòd alius meritorum Christi valor intrinsecus sit ex Personâ Verbi tanquàm Causâ efficiente, alius verò sit ex eodem Divino supposito tanquàm Causa quasi Formali, sed potiùs asserendum est, unicum sub duplici Efficientis, & quasi Formalis causalitatis ratione valorem, ex Divinâ Christi Personâ profluere in ejus Meritorias, & Satisfactorias actiones. Unde etiam fit, quòd hæc Divini suppositi Dignitas non sub ratione circumstantiæ, sed per modum quasi substantiæ *Formaliter* dignificativæ Christi meritorum, ad horum valoris constitutionem *Intrinsecè* ac *Essentialiter* concurrat, veluti ex parte probat etiam Joannis à Sancto Thomâ *n. 6.* deductum Fundamentum. Ad ea, quæ *n. & 7.* ex Amico deducta sunt. Respondetur, In ijs supponi, quòd

quòd Persona Divina Verbi præcisè secundùm *Esse ad* relativæ personalitatis, sit meritorum Christi infinitè dignificativa. Hoc autem esse falsum, ita demonstratur. Etenim fundamentum & ratio, ex quâ Divini Verbi Hypostasi convenit, esse *Formaliter* Dignificativam Christi meritorum, est ex eo, quòd illa Persona Divina animæ Christi moralium actionum effectrici unita, sit harum Principium *Quod*, veluti *seq. cont. elucidabitur.* Atqui per hoc Divinæ Verbi Personæ convenit, esse Principium *Quod* moralium Christi actionum, quòd animæ sibi unitæ, actuum ejusmodi effectrici *Formaliter* communicet Esse subsistens, ab intrinseco prærequisitum ad actiones substantiæ. Hoc autem Esse subsistens *formalissimè* importat Esse Dei absolutum, non verò purè respectivum *Esse ad*. Ergo Persona *Verbi* non est dignificativa Moralium Christi actionum, nisi prout *Formaliter* importat Dignitatem Esse Divini absoluti.

CONTROVERSIA I.

Qualiter in Christi opera moralia ex Hypostasi ac Dignitate Verbi derivetur valor infinitè Meritorius & Satisfactorius?

NOnnulli apud Suarezium *disp. 4. sect. 4. §. Quoniam verò.* Et Joannem à San-
1. cto Thomâ *cit. disp. 2. a. 1. n. 35.* existimabant: operationes Christi satisfactorias non esse simplices, sed compositas ex divinæ & humanæ Voluntatis actionibus. Sicut enim ex actu imperante & imperato fit una actio in genere moris, sic asserebant; operationes humanas Christi eatenus fuisse subditas Verbo humanitati unito, ut per hanc subordinationem resultaret quædam moralis in Christo unio inter humanam & divinam illius gubernatricem operationem: atque ex hac unione humanæ Christi ope-
2. rationi communicaretur valor infinitus. Verùm in hoc dicendi modo difficile est. 1. Quia omnis creatæ Voluntatis actus *moraliter* honestus habet subordinationem physicæ Efficientiæ ad Divinam Volitionem sui effectricem. Hæc autem subordinatio non sufficit ad hoc, ut Volitio creaturæ *Formaliter*, sed *Causaliter* ac *Efficienter* duntaxat condignitatem suam trahat ex volitione Divinâ sui Effectrice. Ergo Moralis illa humanæ Christi operationis ad Formam Divinam infinitè Dignificatoriam unio non potest esse fundata in istâ præcisæ Efficientiæ subordinatione. 2. Licèt humanæ Christi operationes eatenus fuerint Verbo subjectæ, ut huic incumberet illas gubernare, ista tamen subjectio ex parte Verbi non importabat nisi quandam causalitatis super actiones humanas Eminentiam, Voluntatis Divinæ propriam; ex parte autem humanæ Naturæ importabat aliquam connaturalem, in Hypostaticâ ad Verbum unione radicatam exigentiam auxiliorum efficacium ad actus non nisi moraliter bonos prædeterminantium. At hæc ratio solùm evincit, quòd propter Verbi cum Humanitate unionem Hypostaticam, ex Voluntate Divinâ *Efficienter* promanare debeat honestas moralium Christi operum, Quare alia adhuc asserri debet ratio, propter quam Personæ Verbi infinita sive Personalis, sive Essentialis Dignitas non tantùm *Efficienter* in actiones Christi humanas influat moralem honestatem, sed *formaliter* se communicando conferat valorem *intrinsecè* infinitum.

Referuntur sententiæ Doctorum.

CArdinalis de Lugo *præs. disp. 6. sect. 6. à n. 151.* 3.
censet, infinitam Verbi Dignitatem opera Christi Moralia elevare non *Formaliter*, dando valorem ad præmiũ *Syncategorematicè infinitum*, sed *Materialiter* duntaxat, faciendo, ut quævis præmia finita Personis finitâ Sanctitate informatis proportionata non sint condigna Personæ Christi. Explicatur & probatur. Nam opus morale antecedenter ad considerationem Dignitatis Persona, solum spectatur secundùm suam bonitatem, quâ placet Deo. Ut sic autem æstimatur opus ejusmodi, ut dignum magno præmio. At verò ad discernendum, quale futurum sit magnum præmium, attendi debet ad Dignitatem Personæ præmiandæ, siquidem idem præmium respectu unius magnum, respectu verò alterius parvum æstimaretur. Unde act' bonus, qui ratione suæ bonitatis mereretur magnum præmium, in homine existente in pura natura, inferret præmium naturale, in homine verò justo & grato inferret præmium æternum gloriæ; eò quòd status hominis constituti in ratione Filij adoptivi Dei adeò superaret statum hominis in purâ natura constituti, ut respectu illius non esset dicendum præmium magnum, nisi foret æternum & supernaturale. Pari ergo ratione, quia quodlibet finitum præmium plus distat à Dignitate Personæ Christi, quàm à Dignitate Personæ alicujus justi distet præmiũ naturale, sequitur, nullum respectu Personæ Christi Præmium censeri magnum, quod fuerit finitum. Patet igitur, licèt infinita Personæ Christi Dignitas actionibus ejus moralibus non conferret *Formaliter* valorem ad præmium infinitum, fecisse tamen, quòd non nisi infinitum Præmium esset ipsius Personâ condignum.

Vasquez *disp. 5. à n. 47. & disp. 6. cap. 2. n. 11.* & 4.
Maratius *disp. 6. sect. 3. n. 3.* docet, duplex à Verbo exerceri munus in naturâ assumptâ. Alterum esse, quòd sit naturæ complementum substantiale, & consequenter Principium *Quod* operandi, & sustentandi actiones mediâ humanitate. Alterum verò munus esse, quòd sit Forma moralis *immediatè* sanctificans naturam assumptam, siquidem unione Personæ ad naturam humanam positâ, hæc *immediatè* sanctificetur increatâ Verbi sanctitate. Ex hoc igitur posteriori Capite per dignitatem Verbi increatam, quà Formam nimirum sanctificantem, & actiones humanas Christi *ut quod* operantem, in Christi merita derivari valorem infinitum. Fundamentum est. Nam fieri posset, ut humanitas sustentaretur à Verbo, & non sanctificaretur à Deitate, ratione alicujus peccati habitualis, Personalis, aut Originalis. At in isto casu opera humanitatis essent opera Divini suppositi, nec tamen essent meritoria apud Deum, eò quòd essent à Naturâ peccatrice. Oportet igitur, valorem Christi meritorium esse à Dignificatione Personæ Christi, non quà præcisè sustenta-

stentantis, & ut *Quod* operantis, sed quà sanctificantis humanitatem. Suarez *disp. 4. sect. 3.* Amicus *cit. disp. 5. sect. 10. n. 342. & n. 380.* tenent, actus Christi morales dignificari per Verbum, partim quòd esset eorum Principium operativum *Quod*, partim quòd eorundem esset subjectum receptivum seu sustentativum *ut Quod*. Probatur. Tum quia persona operans *moraliter* est quasi forma propria actionis suæ, quam proinde dignificat & æstimabilem reddit. Ergo ubi Persona est infinita, confert valorem infinitæ dignitatis. Tum quia actus voluntatis humanæ in Christo erant immanentes. Ergo *intrinsecè* postulabant in Personâ Verbi manere mediâ humanitate, quâ etiam mediante procedebant à Verbo tanquàm Principio *Quod*. Atqui ex hac unione ad Verbum accipiebant illi actus inæstimabilem valorem; eò quòd erant Deitate perfusi, & *Formaliter* sanctificati per ipsammet Verbi Personam. Consequens igitur est, actus Christi morales, tum per sui ex Verbo tanquàm Principio *Quod* egressionem, tum per sui cum Verbo unionem licèt mediatam, accipere valorem infinitæ Dignitatis, veluti tradit etiam Joannes à Sancto Thomâ *cit. a. 1. à n. 41. præcipuè n. 49.* asserens, quòd actus Christi per hoc, quòd unitus seu realiter dependens, ac egrediens sit à Principio infinito, tanquàm ab immediato Principio *Quod*, remaneat *infinitè* æstimabilis.

5\.

Conclusio.

6\. Ratio, cur Verbi Divini Hypostasis sit *formaliter* Dignificativa meritorum Christi, est, quòd hæc divina Persona sit Principium *Quod* & subjectum & *Quod* moralium Christi operationum.

Explicatur & probatur. Nam Hypostasis est, ita esse Naturæ complementum, illam in ratione primæ substantiæ constituendo, ut sit conditio intrinseca ad hoc, ut ex naturâ emanent potentiæ operativæ, sitquè accidentium sustentativa & receptiva. Unde sicuti natura est motûs & quietis Principium, licèt mediatum, sic actiones dicuntur suppositorum esse. At Hypostasis Verbi supplet in humanitate Christi totum creatæ & connaturalis subsistentiæ munus. Ergo taliter est humanitatis complementum substantiale, illam constituendo in ratione primæ substantiæ; ut consequenter sit ratio & conditio intrinseca, ut ex humanitate Christi pullulent connaturales operandi potentiæ, ac ista sit accidentium receptiva seu sustentativa. Ex hoc autem fit consequens; quòd Verbi Divini Hypostasis *physice* concurrat ad actus humanos Christi, eorumque in humanitate receptionem ac sustentationem, non quidem exercendo in ipsâ causalitatem physicæ vel efficientiæ, vel receptionis, sed per modum conditionis intrinsecæ ac substantialis se habendo ad hoc; ut Christi Humanitas sit operativa & receptiva suorum actuum. At verò ex hoc fundamentalis desumi potest ratio; cur Verbi Divini Hypostasis sit *formaliter* dignificativa meritorum

7\. Christi. Probatur istud assumptum. Omnis enim actus meritorius respectu Voluntatis Divinæ, ejusque in supremâ Majestate radicati Juris, importat aliquam submissionem, uti ex Divo Thomâ ostendimus *in primâ hujus art. conc.* At ista submissio saltem *exercitè* est reflexiva super suum Principium, in quantum hoc nimirum est *physicè* concurrens ad actum ejusmodi. Hæc verò reflexio saltem exercita importat totius Principij *Quod* in Divinum supremæ Majestatis Ius reductionem moralem. At ista reductio moralis dicit ultimatam oblationem Principij ejusmodi, tanquàm Victimæ in Deum liberè reductricem. Est 8.
autem ex terminis manifestum, quòd talis in Deum liberè reducta victima *intrinsecè* importet rei oblatæ Dignitatem quà *formaliter* Dignificativam Victimæ. Patet igitur ex eo, quòd Divini Verbi Hypostasis sit Principium *Quod* moralium Christi operationum, rectè inferri infinitum valorem in Christi meritis. Deinde actus ejusmodi meritorij, submissionem in Deum saltem *exercitè* reflexivam *formaliter* importantes, ipsummet etiam subjectum sui *ut Quod* receptivum reducunt in Divinum supremæ Majestatis Jus ac Dominium, illis actibus, quasi notis ac signis quibusdam, in se liberè receptis *exercitè* recognitum. At subjectum Christi Meritorum *ut Quod* receptivum est Persona Verbi. Unde hujus etiam quà subjecti *Quod* fit per Christi merita talis in Deum reductio, quæ sub morali infinitæ Verbi Dignitatis submissione sit protestativa Divini in supremâ Majestate radicati Juris ac Dominij. At evidens est, talem sibi inexistentis infinitæ Dignitatis in Deum reductionem, Divini in supremâ Majestate radicati Juris recognoscitivam esse valoris infiniti, utpote quæ *moraliter* involvat ipsummet infinitæ Dignitatis subjectum, illius submissionis receptivum, non nisi ex liberâ voluntatis in se radicatæ operatione immanente. Patet igitur, rationem, cur merita Christi sint valoris infiniti, ex eo etiam desumi, quòd Divina Verbi Persona sit subjectum; mediantibus potentijs immanenter operativis, ac in se tanquàm conditione intrinsecâ radicatis, *ut Quod* receptivum Moralium Christi operationum.

Responsio ad sententias *à n. 3.* propositas.

AD Card. de Lugo *n. 3.* propositam sententiam Respondetur. Eam ex hoc displicere, 9.
quòd infinitam Personæ Christi Dignitatem non ponat ut formale valoris meritorum Christi. Etenim hic valor inest moralibus operibus Christi, quatenus ista sui Principij *Quod*, ipsiusque Personæ Christi submissionem in supremæ Divinæ Majestatis Jus *exercitè* saltem reflexivam importando, Verbi increati Dignitatem infinitam includunt tanquàm partem pretij, ab humanitate Christi pro peccatis nostris Deo reconsignati. Hæc ipsa verò pars pretij se habet ut *formale*, morali meritorum Christi honestate se habente instar materialis duntaxat, eò quòd Dignitas Verbi per actum submissionis in Divini supremæ Majestatis Juris recognitionem *exercitè* saltem reflexa, comparetur ad Divinam Voluntatem tanquàm *formalè Motivum*; & actu inclinativum ad peccatorum remissionem, & gratiæ infusionem; necnon æternæ Gloriæ prædestinationem, veluti *supra conc. 1.* Probatum est. Constat proinde, infinitam Christi Personæ Dignitatem

non *materialiter* duntaxat, sed *formaliter* se habere ad Christi meritorum valorem.

10. Ad Vasquezij *n. 5.* propositam sententiam Respondetur 1. In eâ vel maximè displicere, quòd asserat, posse Verbum Divinum naturam humanam Hypostaticè sustentare, quin hæc utpote peccato mortali infecta sanctificaretur.

11. Nam contra est. Tum quia naturæ humanæ per Divinam Hypostasin sustentatio nullatenus subsistit, nisi per Voluntatis Divinæ causalitatem. Hæc autem est Amor, quo Deus naturæ humanæ vult bonum Esse Divini *Hypostaticè* communicare. At Esse Divini participatio præsertim substantialis & Hypostatica *formaliter* dicit sanctificationem. Nequit ergo Naturæ humanæ per Divinam Hypostasin sustentatio subsistere, nisi talis Naturæ fiat hoc ipso sanctificatio substantialis. Tum quia peccatum Mortale habituale *formaliter* importat privationem sanctitatis, tanquàm objectum aversionis Dei nolentis influere formam sanctificativam: Econtra verò Naturæ humanæ per Verbi sibi uniti Hypostasin sustentatio est objectum amoris, ac Volitionis Dei volentis actu influere unionem Formæ habentis rationem subsistentis Sanctitatis. At implicat, in Deo respectu unius, ejusdemquè instantis stare amorem sanctitatis communicativum, & aversionem nolentem formæ Sanctificantis influxum. Implicat igitur, Deum Hypostasis suæ communicationem substantialem velle naturæ humanæ, quà infectæ peccato mortali Habituali.

12. Respondetur 2. Etiamsi subsistentia Verbi, quà *formaliter* sanctificans Christi humanitatem sit dignificativa meritorum Christi, debere adhuc istius rationem reduci ad hoc, quòd Persona Verbi sit Principium *Quod* & subjectum *ut Quod* moralium Christi operationum. Ratio est, quia forma naturæ alicujus creatæ sanctificativa non est hujus operum moralium Dignificativa, nisi prout istæ actiones se habent tanquàm oblationes Dignitatis & Sanctitatis in Deum saltem *Exercitè* ac *virtualiter* reductrices. Hæc verò sanctitatis in Deum reductio fit per hoc, quòd subjecti sanctitas se teneat ex parte Principij saltem *Quod radicalis*, cujus per actum meritorium fit in Deum reductio. At Hypostasis Verbi Divini respectu humanarum Christi operationum se habet ut Principium *Quod*, quatenus est sustentans humanam Christi naturam, huic *formaliter* communicando Esse subsistens. Consequens proinde est, rationem Hypostasis Verbi, quatenus Humanitatis sanctificativa, est Christi meritorum Dignificativa, ultimatè reduci debere in hoc, quòd Naturam Christi humanam sit sustentans per Formalem sui Esse subsistentis cum illâ unionem.

13. Ad Suarezij & Joannis à S. Thomâ *n. 6.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam nobis omninò probari, nec tamen satisfacere in reddendâ ratione, cur vox Christi Lazarum de monumento resuscitans, vel luti salivâ mixti cæcum illuminantis per Christum applicatio, fuerit in ratione meriti infinita, non verò in ratione Causæ *physicè* efficientis effectus illos miraculosos. Etenim sub utraquè formalitate se habebant illæ operationes ad Personam Verbi tanquàm Principium *Quod*. At iste ex Verbo tanquàm Principio *Quod* effluxus, illi Christi voci & luti super cæci oculum impositioni voluntariæ imprimebat qualitates finitas ac determinatas, ad illos præcisè effectus miraculosos *physicè* causandos. Quare alia adhuc subesse debet ratio, cur operationis voluntariæ ex Personâ Verbi seu Christi tanquàm Principio *Quod* effluxus, fundet valorem infinitum in ratione Meriti, non autē sub ratione Physicæ Causalitatis effectum aliquem realiter efficientis? At hujus discriminis non alia videtur afferri posse ratio præter illam, quam *su-* 14.
pra deduximus, quòd *scilicet* actio Moralis quà meritoria, non autem quà *physicè* effectrix, sit reflexiva in Deum, per modum subjectionis ipsam Principij *Quod*, atquè adeo Personæ Dignitatem *moraliter* subjicientis, ac in pretij partem offerentis Divinæ Majestati. Patet igitur, rationem, cur Christi merita sint valoris infiniti rectè desumi ex eo, quòd ista merita sint ab infinitâ Christi Personâ, tanquàm Principio *Quod*. Hanc ipsam tamen rationem indigere aliquâ adhuc expositione ac extensione.

Dices. Ex prætactis sequi, quòd Christi 15.
morales operationes non tantùm supernaturales, sed etiam naturales ex Dignitate Personæ Verbi trahant valorem infinitum, ad quævis etiam supernaturalia præmia. Probatur ista sequela. Quia naturales æquè, ac supernaturales morales Christi operationes profluebant à Personâ Verbi tanquàm Principio, erantquè *Exercitè* saltem reflexivæ super suum principium, hoc reducendo in supremæ Divinæ Majestatis Dominium. Ergo æquè dignificabantur ab infinitâ Personæ Verbi Dignitate. Hoc autem concesso, videtur sequi; quòd opera moralia naturalis ordinis in homine Sancto essent etiam meritoria præmij supernaturalis, seu Gloriæ æter-
næ. At istud non videtur concedendum. Er- 16.
go nec, id ex quo sequitur. Respondetur. Concessâ primâ sequelâ, ejusque probatione; assignando disparitatē inter opera moralia naturalia Christi, & actus *moraliter* honestos hominis justi. Etenim Sanctitas subjecti est *Formaliter* Dignificativa operum moralium, quatenus est horum Principium *Radicale*, vel *ut Quod*. At Gratia sanctificans est secundùm connaturalem exigentiam radix virtutum infusarum & supernaturalium, non verò Potentiarum naturalium. Unde ad moralia ordinis duntaxat supernaturalis opera se habet ut Principium Radicale, non verò ad naturales *Moraliter* honestas actiones, nisi prout istæ sunt imperatæ ab actu imperij su- 17.
pernaturali. Secùs autem est de Sanctitate substantiali Verbi *Hypostaticè* ac *substantialiter* Dignificante humanam Christi naturam. Illa enim Personalis Sanctitas humanitati *Formaliter* communicans Esse subsistens, consequenter per modum intrinsecæ conditionis est conducens, ut ex naturæ humanæ per eam subsistentis substantiâ emanent potentiæ etiam naturales. Unde Verbi Hypostasis ad naturales quoquè Christi operationes se habet ut Principium *Quod*. At Personæ Verbi Dignitas, ex hoc est Dignificativa moralium Christi operationum, quòd istæ per modum alicujus ad Deum submissionis sint reflexivæ supra Verbi Personam, hanc *Moraliter* Deo subjiciendo, tanquàm Principium *Quod*, in-

influ-

fluens in omnes ordinis quoquè naturalis mo- rales Christi operationes. Consequens ergo est, istas quoquè dignificari ab infinitâ Personæ Verbi Dignitate, atquè adeò ex istâ trahere valorem infinitum.

18. Instabis. In Personâ verbi duo posse distingui munera, respectu humanitatis *substantialiter* per ipsam terminatæ: Alterum esse, quòd suppleat Formalem creatæ propriæ subsistentiæ effectum, humanitati per sui cùm hâc unionem Hypostaticam *Formaliter* communicando Esse subsistens: Alterum verò Personæ Verbi in Humanitate munus esse, quòd hanc elevet ad statum supernaturalem, & Sanctitatem substantialem. Ex priore proinde munere fieri, quòd Verbi Divini suppositum, tanquàm conditio ad naturalem potentiarum ex humanâ naturâ emanationem *intrinsecè* conducens, sit Principium *Quod* moralium naturalis etiam ordinis operum. At verò ex munere posteriori esse, quòd humanitati Christi sint *Connaturaliter* debitæ virtutes infusæ, quasi potentiæ aliquæ supernaturales. Quare Divini Verbi subsistentiam ita esse Principium *Quod* Moralium ordinis naturalis operum, ut ad hæc tamen non concurrat quà Forma *substantialiter* sanctificans, sed quà tribuens formalem subsistendi effectum. Atqui Verbi Divini Hypostasin non dignificare *Formaliter* actiones Christi humanas, nisi sub ratione Formæ *substantialiter* sanctificantis. Ergo Divini Verbi Hypostasin non tribuere dignitatem naturalibus Christi *Moraliter* honestis operationibus.

19. Respondetur. Verum esse, quòd Verbi Divini Hypostasis sit moralium Christi Humanitatis operationū dignificativa, prout habet rationem Formæ substantialiter sanctificantis Christi naturam humanam. At rationem, cur Verbi Divini Hypostasi tanquàm Formæ *substantialiter* sanctificanti conveniat munus dignificandi morales Christi operationes, Ultimatè reduci debere ad hoc, quòd talis Forma sanctificans habeat rationem Principij *Quod* respectu moralium Christi actionum. Hæc autem ratio Principij *Quod* in ordine ad morales naturales Christi actiones convenit Divini verbi Hypostasi etiam quà Formæ *substantialiter* sanctificanti. Probatur istud assumptum. Etenim ratio Principij *Quod* 20 respectu humanarum Christi actionum convenit Verbo, quatenus Humanitati *Formaliter* communicat Esse subsistens. At hoc Esse subsistens *per se purè* actuatum est prima radicalis sanctitas. 21 Probatur ista minor. Nam Sanctitas, est prima in supposito radix fundans in se Beatificam Deitatis fruitionem. At Esse subsistens *per se purè* actuatum, non tantùm in Deitate est virtualis radix per Formalen puræ actualitatis identitatem, ac simplicitatem fundans actualissimam sui ipsius intellectionem comprehensivam, ac mentis Divinæ *Essentialiter* Beatificativam; sed illud ipsum Esse subsistens *Hypostaticè unitum* est radix, per quam Humanitati *Formaliter* convenit connaturalis ad Lumen Gloriæ, ac Divinæ Essentiæ intuitionem exigentia. Quare Divino Verbi supposito *Hypostaticè* unito Humanitati quatenus tribuit Formalem Esse subsistentis effectum, convenit esse formam naturæ humanæ *substantialiter* sanctificativam. Atqui Verbi Divini suppositum, quatenus Humanitati confert Esse subsistens, habet rationem Principij *Quod* humanarum Christi actionum. Cùm igitur ratio Formæ sanctificantis non sit abstrahibilis ab Esse Personæ Divinæ subsistente, consequens est, hunc Esse subsistentis effectum formalem non posse intelligi communicatum naturæ humanæ, nisi quatenus est hanc *Formaliter* sanctificans. Ergo sub ratione Formæ etiam sanctificantis est Principium *Quod* moralium ordinis naturalis Christi actuum. Ergo isti ex Personæ Verbi tanquàm Principij *Quod* Dignitate, Humanitatem *substantialiter* sanctificante, accipiunt valorem infinitum, cuivis etiam supernaturali præmio proportionatum.



QUÆSTIO TERTIA.

DE

NECESSITATE INCARNATIONIS AD SATISFACIENDUM EX JUSTITIA PRO HOMINUM PECCATIS.

1. Cum medij necessarij ad finem duæ sint conditiones; aliqua nimirum ad Finis consecutionem medio inexistens vis ac efficacia, nec non alteriùs tantum vim habentis medij carentia: Idcircò quia in præcedentibus demonstravimus, non posse puræ creaturæ satisfactionem pro hominum peccatis habere Justitiæ æqualitatem, præsentis quæstionis decisio ex eo duntaxat capite pendet, *An Christi satisfactio fuerit secundùm rigorem Justitiæ?*

2. Cujus porrò quæstionis triplex redditur sensus. 1. *An satisfactio Christi, antecedenter ad aliquod Pactum cum Deo Patre initum, potuerit hunc ex Justitiâ obligare?* 2. *An ex vi pacti inter Deum & Christi humanitatem initi ad satisfactionem Christi acceptandam, fuerit in Deo aliqua rigorosæ Justitiæ obligatio?* 3. *Utrùm satisfactio Christi fuerit ex parte humanitatis, actus perfectæ ac rigorosæ Justitiæ?* Quam proinde tripartitam quæstionem tribus sequentibus articulis expediemus.



ARTICULUS I.

Utrùm Christi Satisfactio catenus habeat conditiones rigorosæ Justitiæ, ut Deus independenter ab omni pacto, ex vi talis Satisfactionis fuerit obligatus ex Justitiâ, ad peccata hominibus remittenda, quibus debito modo applicarentur Christi merita?

3. Septem hîc examinandæ numerari solent conditiones ad Justitiæ perfectæ satisfactionem requisitæ. 1. Ut sit condigna & æqualis cùm offensâ, seu injuriâ, pro quâ satisfit: quam conditionem superabundanter fuisse in Christi pro hominum peccatis satisfactione, constat ex *præcedentis quæstionis ultimo articulo*. 2. Ut sit ad alterum. 3. Ut sit ex proprijs Bonis, seu non sit sub Dominio Creditoris. 4. Ut fiat ex Bonis non debitis alio titulo. 5. Ut non sit ex Bonis ab ipso Creditore acceptis. 6. Ut exhibeatur personaliter ab ipso Debitore. 7. Ut Creditor ipse teneatur illam acceptare. Quarum proinde seu posteriores conditiones sequentibus controversijs expendemus.

CONTROVERSIA I.

Utrùm Satisfactio Rigorosæ Justitiæ debeat esse ad alterum, & an ista conditio inveniatur in satisfactione Christi pro nostris peccatis?

1. Affirmant simpliciter nonnulli à Card. de Lugo *præs. disp. 4. sect. 1. n. 1.* relati. Fundamentum est. Quia in Christo factâ comparatione Humanitatis ad Divinitatem, est perfecta naturarum alteritas; & factâ etiam comparatione suppositi Christi ad Patris æterni Personam, intervenit perfecta suppositorum alteritas. At Christus Dominus satisfecit Patri æterno, juxta illud. *1. Joan. 1. Advocatum habemus apud Patrem.* Alij econtra per Joannem à sancto Thomâ *disp. 2. de Incarnatione art. 1. n. 8.* relati ad satisfactionem Justitiæ catenus requirunt alteritatem Principij *Quod*, seu suppositorum, ut consequenter satisfactionem Christi Divinitati quà in sanctissimâ Trinitate atq;, adeò in Personâ Verbi subsistente factam, negent, esse secundùm rigorem Justitiæ.

2. Fundamentum est ab auctoritate S. Thomæ *2. 2. quæst. 58. art. 2.* asserentis: quòd propriè dicta requirat diversitatem suppositorum. At Christus non solùm satisfecit Patri, aut Spiritui sancto, sed ipsi etiam Verbo, ut Deus est, siquidem tota Trinitas fuerit offensa per peccatum.

3. Vasquez *præs. disp. 8. cap. 2. & 7. n. 57.* docet; Chri-

Christum satisfecisse per humanitatem Deitate sanctificatam, ut per principium *Quod*, non per Personam Divinam, nisi secundùm communicationem Idiomatum. Unde quia natura humana Christi realiter distinguitur à Verbo, potuisse intervenisse alteritatem Principij *Quod*, sufficientem ad Justitiam, nisi ex parte Bonorum defecisset alteritas. Fundamentum desumitur ex S. Athanasio *in Epist. ad Episc. in confess. fidei, sub finem* taliter differente: *Corpus igitur, quod nostri causâ gestavit Dominus, opus est & creatura.* Item, *genitum est nobis* (ut inquit Paulus) *ex Deo sapientia, & satisfactio, & Justitia, & Redemptio.* Ex quo sic argumentari licet. Nomine Corporis per synecdochen intelligit S. Athanasius totam humanã naturam. Ergo humana Natura in Christo facta est nobis Redemptio & sanctificatio. Ergo naturæ humanæ ut redemptrici tribuitur nostra sanctificatio & Redemptio. Hæc verò effectus fuit sanctificationis. Ergo sanctificatio eodem modo quo Redemptio nostra tribuenda est Humanitati Christi ut principio proximo *Quod*, non

4. autem *Quo* præcisè. Suarez *disp. 4. sectione 5.* negat quidem, humanitatem Deitate sanctificatam, *præcisè* à Personâ Verbi consideratam, respectu operationum humanarum Christi habere rationem Principij *Quod*: Nihilominùs in Christo quà secundùm naturam humanam satisfaciente, & quà secundùm Divinitatem acceptante, asserit, sufficientem intervenisse alteritatem, propter naturarum liberarum, Humanæ scilicet ac Divinæ diversitatem. Fundamentum est. Quia non minùs obedientia, & Religio est ad Alterum, quàm Justitia. At Christus ut homo, veram & propriam obedientiam, nec non ad orationis ac Religionis cultum præstat sibi ipsi ut Deo. Ergo simili modo offerre poterat satisfactionem.

5. Nicolaus Ysambertus *ad præf. q. 1. disp. 6. art. 6.* satisfactionem Christi Domini, quantùm Justitiæ ratio postulat, fuisse sufficienter ad Alterum, probat sequenti fundamento. Nam alteritas ad Justitiæ satisfactionem requisita in eo se tenet, ut, qui exercet talem actum, habeat distinctum Jus & Dominium, aut Naturam liberè operantem distinctam à Jure, Dominio & naturâ ejus, cui Jus & justum reddit. At Christus Dominus, ut pro nobis satisfaciens Deo, & reddens justum, habet Jus distinctum, Dominium distinctum, distinctam naturam liberè operantem ab ipso Jure, Dominio, & naturâ Dei, cui satisfacit pro nobis. Minoris per eundem Ysambertum deducta probatio patebit ex *dicendis 6. cont.* Major autem probatur sequenti argumento. Nam tota ratio & necessitas alteritatis in actu strictæ Justitiæ est, ut contractus, qui fiunt, constent mutuâ obligatione utrinque legitimâ, item, ut sit utrique jus disponendi de eo, quod datur in compensationem. At ubi dantur dominia & Jura utrinque distincta, item duæ naturæ realiter distinctæ, & liberæ actiones illarum omninò distinctæ, ibi contractus fieri possunt, qui constent mutuâ obligatione utrinque liberâ & legitimâ. Ergo necessitas alteritatis in actu strictæ Justitiæ requisita est, ut, qui exercet actum Justitiæ, habeat jus & Dominium distinctum, similiter distinctam naturam liberè operantem à Jure, Dominio & naturâ liberè operante ejus, cui Jus reddit.

CONCLUSIO I.

Ad actum strictæ Justitiæ eatenus requiritur Jurium ac Dominiorum, & consequenter suppositorum, vel naturarum ex naturali saltem exigentiâ diversas subsistentias exigentium alteritas; ut Jus ac Dominium alteri inexistens, illos, quos obligat sub reatu injuriæ, faciat Debitores: cujusmodi alteritas non habebat locum in satisfactione Christi. 6.

Probatur. Nam objectum Formale Justitiæ est Debitum ad æqualitatem ex Jure alteri inexistente compensandam. At objecti Formalis Justitiæ violatio est *formaliter* injuria. Ergo debitum ex Jure alteri inexistente eatenùs obligat alios, ut istud violando contrahant eo ipso reatum injuriæ. At nemo utens Jure suo, potest esse reus injuriæ, siquidem Jus sit facultas disponendi pro libitu sine cujusquam injuriâ. Unde quantùm quisque juris habet, in tantum obligari nõ potest alteri ex Justitiâ. Ergo justitia *essentialiter* talẽ respectu Debitoris exigit Dominij seu juris alteritatẽ, ùt hoc ipso nequeat esse debitor ex Justitiâ, nec adeò exercere possit Justitiæ actum, si habeat Jus ac dominium super re debitâ. Atqui nihil Juris ac dominij potuit esse in Christo homine, super quod Deus non haberet Dominium, *velut infra demonstrabitur.* Ergo ex jure Christo homini inexistente non potuit Deus, defectu alteritatis moralis Jurium obligari ex Justitiâ: etsi alioquin naturarum diversas subsistentias *connaturaliter* exigentium in Christo, quà homine Deo, sit diversitas, imò & dominiorum, cum Essentiali tamen Dominij Christo homini competentis subordinatione alteritas physica.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad Fundamentum *n. 1.* oppositum Respondetur. Personalitatem Christi in ratione suppositi comparatam ad Patrem æternum ceu Creditorem, cui debebat satisfieri, ut sic importare respectum, tum ad Jus Divinæ Majestatis peccato læsum, & Christi satisfactione reparatum, tum ad Divinam æterni Patris voluntatem acceptantem illam satisfactionem. At Christi quoad personam *Formaliter* quà talẽ spectata nulla est distinctio à Divinâ Majestate, ac Jure in hâc radicato, nec non Divinâ æterni Patris voluntate. Nulla ergo in Christo satisfaciente ad æternum Patrem comparato est alteritas Personæ relatæ ad illam Formalitatem Divinam, in quam referebatur Christi satisfactio. 7.

Ad Fundamentum *n. 2.* oppositum Respondetur ex Joanne à S. Thomâ *cit. art. 2. n. 14.* Quando sanctus Thomas ad rationem Justitiæ requirit distinctionem suppositorum, id debere intelligi de suppositis vel *Formaliter*, vel *Virtualiter* diversis. At si aliqua natura de se petat Totale suppositum, distinctum ab alterius naturæ subsistentiâ, ista verò duplicis naturæ Totalitas supple- 8.

stentationem per suppositum Verbi. *Quartum* denique esse, quòd in illis ut reflexivis Persona Verbi sese submittat. Quare *Primum* fundare titulum Dominij communis toti Trinitati, siquidem tota Trinitas ad illas ut sic concurrat & ab illâ ut sic dependeant. *Secundum* verò fundare in Christo Domino specialem aliquem titulum; sicut & in nobis, qui ratione libertatis dicimur Domini nostrorum actuum. *Tertium* denique & *Quartum* fundare alium novum titulum veri Dominij à præcedentibus distinctum. Ut enim specialis modus, quo actiones aliter procedunt, vel pendent à nostrâ libertate, & quo aliter procedunt ab ipso Deo tanquam Causâ primâ, fundant specialem titulum alium, & alium Dominij, eò quòd importent specialem proprietatem ejusdem entitatis, secundùm variam & diversam rationem consideratæ: ita cùm utrumque posterius faciat aliam omninò proprietatem actionum Christi Domini, fundare etiam alium & alium titulum Dominij distinctum à præcedentibus. Unde licèt duo priores tituli sese invicem concomitentur, ita ut posterior non possit subsistere, priori sublato, nihilominùs ex hoc non impediri, quin inter homines unus alteri satisfaciat ex perfectâ Justitiâ, ex bonis secundùm posteriorem titulum sibi proprijs. Sic proinde ob illam necessariam quoq; connexionem, quæ intercedit tum inter illā Humanitatis Christi Domini, & liberarū ejus actionū in sustentari à Verbo Divino dependentiam, tum inter entitatem, & illarum à totâ Trinitate, efficientiam nihil obstare, quin Verbum Divinum ut incarnatum, & ut istas actiones est sustentans, possit exercere actum satisfactionis ex proprijs, cùm talis concomitantia alterius istius tituli Dominij, quod competit toti Trinitati, sese habeat tantum *Materialiter*, & veluti per accidens in præsenti negotio, & non *per se*, seu ex præcisâ ratione ipsius Dominij, vel ipsius strictæ satisfactionis.

4. Fundamentum ex *Ysamberto citato* petitum est. Nam satisfacere ex proprijs, nihil aliud est, quàm satisfacere per aliquid, quod sit soli satisfacienti proprium & sub solo ipsius dominio. At ipsa submissio tam Verbi incarnati, quàm actionum satisfactoriarum ejus Humanitatis, ut ipsâ personalitate Verbi sustentatarum, est soli Christo, ut ab omnibus alijs Personis Divinis distincto propria, & ipse Christus per hujus utriusque submissionem satisfecit Deo pro nobis.

5. Minor probatur. Nam Christi Humanitas & ejus actiones in tantum sustentantur à Verbo, in quantum & uniuntur Hypostaticè. At soli Verbo uniuntur Hypostaticè. Insuper soli Verbo incarnato, cum exclusione aliarum Divinarum Personarum, per sacras litteras tribuuntur actiones satisfactoriæ pro nobis; juxta illud *Humiliavit semetipsum &c. Tradidit semetipsum.*

CONCLUSIO.

6. Nihil formalitatis in actionibus Christi satisfactorijs est demonstrabile; in quod Christus, non autem Deus habeat Dominium, ac proinde satisfactio Christi facta est ex bonis sub Dominio Dei Creditoris existentibus, atque adeò hâc in parte deficiebat à rigorosâ secundùm strictam Justitiam satisfactione.

Probatur. In tantum potest persona circa aliquid habere Dominium, in quantum circa illud habere potest liberum voluntarium. At Christus circa actiones suas satisfactorias non habet liberum voluntarium secundùm Hypostasin, sed secundùm naturam tum Divinam communem tribus personis, tum humanam Hypostasi Verbi unitam. In quantum verò Christi Domini voluntas humana circa actiones satisfactorias habet de voluntario libero ac dominio, in tantùm voluntati quoq; Divinæ ex vi absolutè suæ potestatis Dominativæ ipsum velle creatum dantis convenit Dominium in actiones ejusmodi. Nequit ergo in Christo quidquam Dominij super actiones ejus satisfactorias poni, quin totum illud Dominium vel sit ipsummet Dominium Dei commune toti Trinitati, vel sit *Essentialiter* subordinatum Divino summæ Trinitatis Dominio.

7. Respondebis ex Ysamberto *cit. art. 2. circa finem* singulare Christi Domini in actiones suas satisfactorias Dominium, competere quidē supposito Verbi incarnati, ratione humanæ voluntatis, ita tamen ut ista non sit id, quod habet tale Dominium, siquidem ista denominatio sit propriè suppositi; sed sit id, quo Verbum incarnatum habet istud speciale Dominium. Nam licèt Verbi Divini suppositum, quà *virtualiter* distinctum à Divinâ Essentiâ, & ejus attributis, & quà non unitum alicui naturæ, non habeat propriè aliquod Dominium: quà tamen ipsa ejus unio cum humanâ naturâ est ei conditio, ut habeat de facto voluntarium aliquod liberum circa proprias actiones Naturæ sibi unitæ; exinde fieri consequens, quòd etiam habeat in illas aliquod Dominium. Sicut proinde ex eo, quòd Verbum in Divinis terminet eandem naturam & voluntatē cum Patre & Spiritu sancto, habet idem omninò cum illis Dominium commune, sic quia idem Verbum Hypostaticè unitur naturæ Humanæ, ejusque voluntatem sustentat ac terminat, ideò secundùm istam unionem idipsum Verbum, ex omnibus Divinis supposiuis, habet aliquod speciale in voluntatis illius humanæ actiones Dominium. Quare istud speciale Dominium esse tantum sub potestate voluntatis creatæ Christi Domini, non ut *simpliciter* est voluntas creata, sed ut est terminata & sustentata à Verbo Divino. Hanc verò voluntatis creatæ Christi potestatem in eo sitam esse, quòd ipsi voluntati, quà per Verbum sustentatæ liberum sit, exercere vel non exercere actiones satisfactorias & meritorias, quæ proindè terminentur & sustententur à Verbo Dei. Quâ igitur ratione actiones istas, cùm non sint sub dominio Creaturæ, nec Domini creati, (siquidem isti duo termini important suppositum creatum; quale non est suppositum Christi) censeri etiam esse sub dominio ipsius Christi Domini, seu Verbi incarnati.

8. Contra. Nam voluntatis Humanæ Christi quà per Verbum terminatæ in actiones suas meritorias Dominium & potestas in eo se tenet, quòd illi voluntati ut sic liberum sit, exercere actiones illas satisfactorias, & terminatas à Verbo

verbo Divino. At hoc ipsum quòd actiones illæ liberè exerceantur à voluntate per Verbum terminatâ, est sub Dominio Dei potente per absolutam suam potestatē efficaciter impedire, ne ab istâ per actum in Personam Verbi reflexum operante elicerentur. Est etiam in potestate Divinæ voluntatis, actiones illas pro primo instanti elicitas à voluntate Humanâ per Verbum terminatâ, pro instanti secundo conservare cum dependentiâ ab illâ ipsâ Humanâ voluntate, sed jam non per Verbum Divinum, sed, propriam Humanitatis subsistentiam terminatâ. Ergo tota illius potestatis ac voluntatis Humanæ per Verbum sustentatæ ratio ac Dominium in actiones Christi satisfactorias, subest absolutissimæ voluntatis Divinæ Dominio.

9. Replicabis ex allato Ysamberto *art. 5.* Verum quidem esse, quòd causalitas Divinæ voluntatis efficiens, secundùm aliquam essentialis etiam connexionis necessitatem *concomitanter*, interveniat ad hoc, ut actiones Christi Domini existant sustentatæ per Verbum: Attamen illam Dei causalitatem non esse rationem formalem sub Quâ sustentationis illius, sed hanc *formaliter* reduci in ipsam Verbi Divini Hypostasin. Quare sub istâ Formalitate subesse soli personæ Christi Dominio.

10. Contra. Nam Dominium *formaliter* importat potestatem liberi exercitij circa rem per modum actûs, vel objecti sibi subjectam. At potestas *formaliter* libera *essentialiter* demonstrat causalitatem efficientem. Non igitur est aliquid intelligibile quà subjectum Dominio, nisi cum essentiali ab hoc dependentiâ connotante, ut sic *formaliter* causalitatem effectricem. At Voluntatis Humanæ Christi, etiam quà per Verbū divinum sustentatæ vis actionum meritoriarum causativa, essentialem dicit dependentiam, non tantùm in fieri, sed etiam in operari à voluntatis Divinæ causalitate. Probatur istud assumptum.

11. Nam voluntatis humanæ Christi, etiam quà per Verbum sustentatæ vis causatrix est *realiter formaliter* distincta ab ejus Entitate, quæ tamen reducitur in Verbi Divini Hypostasin, quatenus ista supplendo humanitatis propriam subsistentiam est conditio intrinsecè requisita ad hoc, ut Voluntas humana cum cæteris proprietatibus connaturaliter fluat ex illâ humanitate. Exinde autem rursus fit, quòd, licèt Voluntas Christi nullum habeat Dominium in sui tum per Verbum sustentationem, tum ex naturâ humanâ quà per Verbum sustentatâ emanationem connaturalem, attamen præfatâ sui per Verbum sustentatione suppositâ, habeat consequenter Dominium in suas actiones quà per Verbum *mediatè* sustentatas. At hoc ipsum Dominium ut sic *formaliter* importat vim liberè effectricem actionum illarum, quà *mediatè* per Verbum sustentatarum. Hæc autem vis effectrix non potest stare cum ordine ad actum, seu objectum libero suo exercitio subjectum, nisi cum essentiali subordinatione ad Divinam Causalitatem. Hæc autem Dei causalitas non potest subsistere, nisi cum respectu absoluti super rem voluntati suæ effectrici *essentialiter* subordinatam Dominij. In quantum igitur Voluntas Humana Christi, etiam quà per Verbum sustentata, habet Jus aliquod & Dominium super actiones suas per Hypostasin Verbi *mediatè* terminatas; in tantum oportet, illud dominium, & ejus objectum, *formaliter* quà tale, subjectum esse absoluto Dei Dominio.

Dices cùm Joanne à S. Thomâ *cit. art. 2. n. 39.* Dominium Christi in actiones suas satisfactorias posse spectari vel *Formaliter* secundùm se, vel *Terminativè* secundùm unionem ad terminum seu Personam incarnatam. Ut sic autem Dominium illud intelligi, quatenus subest Esse Divino, à quo terminatur. At verò actiones, ut terminatas ipso Esse Dei, non esse sub dominio voluntatis humanæ absolutè spectatæ, sed ut terminatæ etiam eodem Esse. Unde per suppositationem seu terminationem ejusmodi acquirere quandam conditionem, ad Dominium respectu actionum talis suppositi requisitam, quam non habeat in alio supposito. Probatur istud assumptum. Etenim ad Dominium requiritur potentiâ ad exercendum liberè actiones cum conditionibus ad id requisitis. At una earum conditionum est ordo ad suppositum, sine quo actiones exerceri non possunt, siquidem actiones sint suppositorum. Quare Potentia dominativa, scilicet voluntas, prout habet conditionem hanc secundùm ordinem ad suppositum increatum, dicit dominium non subjectum Deo *terminativè* ex parte suppositi, benè tamen *Formaliter*. 12.

Contra. Nam præsentis difficultatis cardo in hoc unicè vertitur, utrùm aliquid *formaliter* sit in actionibus Christi satisfactorijs, quod intelligi possit subjectum voluntatis Humanæ Christi quà per Verbum terminatæ Dominio, quin absoluto Dei Dominio sit subjectum. At in actionibus Christi satisfactorijs quà per Verbum terminatis stat ista terminatio sub ratione causalitatis quasi formalis, per quam actiones illæ denominantur & constituuntur *formaliter* sustentatæ per Verbum Dei. Hæc autem denominatio formalis subditur dominio voluntatis Humanæ Christi quà per verbum substentatæ; prout ista in suæ libertatis vi dominativâ habet vim exercendi actiones naturæ per Verbum suppositatæ proprias. At tota ista vis dominativa, cum omnimodâ etiam suppositationis per Verbum constitutæ denominatione, eatenus subditur Dei Dominio, ut pro libitu possit facere, tùm ne ponerentùr actiones ejusmodi, tum ut positæ non haberent denominationem terminationis per Verbum. Cujus ratio fundamentalis est. Nam actionum Christi quà per Verbum sustentatarum alia est conditio in ordine ad causam sui quasi Formalem. Ut sic autem verificatur, actiones illas esse eatenus Verbi proprias, quatenus scilicet Verbi Divini Persona tribuit ipsis formalem terminationis suppositantis denominationem. Alia proindè est illarum actionū consideratio in ordine ad Dominium voluntatis Humanæ Christi quà per Verbum sustentatæ. Ut sic autem importatur vis & causalitas effectrix propriæ Christi per Verbum sustentatæ voluntatis. 13. 14.

Probatur istud assumptum. Nulla enim causalitas etiam formalis est referibilis ad aliquod dominium, nisi mediante causalitate efficiente, siquidem per hanc unicè sit reducibilis ac naturæ intellectualis dominativam virtutem. Unde licèt Natura humana Christi per Verbi suppositationem *formaliter* recipiat conditionem 15.

ßem requisitam ad hoc, ut actiones Christi liberæ subsint Dominio Voluntatis humanæ, non præcisè quà humanæ, sed quà per Verbũ sustentatæ; nihilominùs positâ etiam istâ conditione, nequeunt illæ Christi actiones subesse Dominio ejus voluntatis humanæ, nisi quatenus prætacta per Verbum terminatio quoad moralem cum Hypostasi Verbi unionem substat ejus libertati, importanti ut sic *Formaliter* vim & causalitatem effectricem. At omnis creaturæ effectrix causalitas secundùm omnimodam sui formalitatem realem, *essentialiter* est subordinata voluntatis Divinæ Dominativæ virtuti. Oportet igitur, Dominium Christi in suas actiones meritorias, *terminativè* secundùm ordinem ad suppositum incarnatum, ita esse proprium Verbi quà formæ denominantis & constituentis eas *Formaliter* in ratione sustentatarum per Verbum: ut tamen secundùm referibilitatem ad voluntatis Humanæ Christi quà per Verbum sustentatæ Dominium, *essentialiter* subordinentur voluntatis Divinæ absoluto dominio in suâ vi dominativâ præcontinenti, tum Entitatem illarum actionum, tum earundem per Verbum terminationem.

16. Instabis ex Joanne à S. Thomâ *cit. art. 2. n. 42.* Ex eo, quòd actiones Christi specialiter dependeant à Verbo quà suppositante, fuit consequens, ipsas sub speciali modo dependentiæ suppositationis fuisse oblatas à Christo. Ergo secundùm istum modum fuisse sub isto Christi, quà in ratione Personæ à Patre & Spiritu Sancto distincti, Dominio.

17. Contra. Nam licèt illa suppositationis dependentia respiceret Verbum quà Causam quasi Formalem, hæc ipsa tamen suppositationis dependentia cum suâ ad Verbum suppositans relatione, non erat præcisè sub dominio Personæ suppositationem illam *Formaliter* præstantis, sed sub dominio Dei quà *efficienter* causantis illam suppositationem.

18. Probatur istud assumptum. Tum quia in tantum subest aliquid Dominio Dei, in quantum subjicitur ordinationi Divinæ voluntatis. At Christi satisfactoriæ actiones à Deo sunt intentæ & ordinatæ, ut pretium condignum, imò superabundans nostræ Redemptionis. Ut sic autem important *formaliter* sustentationem seu terminationem. Ergo secundùm hanc sustentationis, ac per Verbum terminationis formalitatem, oportet, Christi actiones satisfactorias fuisse subjectas Dei Dominio absoluto, utpote à cujus causalitate talis suppositationis creatrice dependeret, tametsi à solo Verbo, ut à Causà
19. quasi formali dependens esset. Tum quia Christus quoad actiones suas satisfactorias, ut sic illam Verbi sustentationem *Formaliter* importantes poterat inire contractum cum Patre. At mediante illo contractu, vel recognosci, vel transferri debebat ad Patrem jus aliquod in actiones illas, secundum illam quoque Verbi sustentationem seu suppositationem spectatas, utpote ut sic deductas in contractum. Est autem impossibile, ut Hypostasis Verbi transeat in jus æterni Patris. Ergo ad hoc, ut actiones illæ, etiam quoad Verbi sustentationem spectatæ subsint dominio alicujus personæ; non sequitur, istam esse suppositantem, seu terminantem illas actiones, sed habere vim mediante causalitate ad extra effectrice, seu causatrice ordinativam, tum suppositationis Verbi quà communicatæ naturæ creatæ, tum hujus actionum quà per Verbum terminatarum. Hæc autem vis mediante effectrice & ad extra causatrice causalitate ordinatrix est communis toti Trinitati, secundùm indivisibilem virtutem voluntatis Divinæ dominativam. Consequens igitur est, totius Trinitatis Dominio subjectas esse Christi satisfactorias actiones, etiam quà per Increatum Verbi suppositum terminatas.

Urgebis. Ex præfato Joanne à S. Thomâ 20.
n. 37. nihil posse intelligi quà debitum & subjectum, nisi quà inferius. At quod est conjunctum, seu unitum Personæ Verbi increatæ, nequit Deo esse inferius, Paulo attestante, quòd Christus, quà nimirum subsistens non in Divinâ duntaxat, sed etiam Humanâ Naturâ) *non rapinam arbitratus sit, esse se æqualẽ Deo.* Unde sicut actiones Christi satisfactoriæ, quà per Verbum terminatæ, & ut Personæ Verbi aliquo modo unitæ non sunt Deo inferiores, sic neque Deo subjectas esse.

Contra. Nam aliquid dici potest subjectum 21.
secundùm æqualitatem perfectionis. Ut sic autem est indubitatum, quòd actiones Christi per Verbum sustentatæ, ut sic Verbi Divini dignitatem *Formaliter* importantes, non sint Deo inferiores. Aliud proinde dici potest, non tam inferius, quàm subjectum Deo, *secundùm voluntatis Divinæ quà ad extra causantis vim dominativam.* Atqui actiones Christi quà per Hypostasin Verbi terminatæ, dependent ex voluntatis Divinæ causalitate effectrice non ipsius Hypostasis secundùm se, sed quà *suppositaliter* terminatæ ad naturã creatam, ejusque actiones. Quæ proinde ut sic magis subduntur voluntatis Divinæ Dominio quàm Christi Humanæ voluntati quà ternatæ per Verbum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Suarezij *n. 1.* oppositum Respondetur. 22.
Quidquid sit de illo inter Restitutionem, & Satisfactionem discrimine, ad hujus tamen perfectam ex Justitiâ æqualitatem requiri, quòd eatenus debeat offensæ expiativa esse, ut consequenter offensus nullum amplius habeat Jus contra offendentes. At eo ipso, quòd satisfactio sit ex bonis dominio satisfacientis eatenus subjectis, ut totũ illud Dominiũ ac bona ejusmodi sint subjecta Dominio Creditorsi, sequi, hujus Jus ex offensâ sibi illatâ resultans, per satisfactionem non posse eatenus extinctum esse, ut nequeat ulteriorem ab offendente satisfactionem exigere. Cùm proinde actiones Christi satisfactoriæ, secundùm omnimodam formalitatem quà voluntatis humanæ ipsius tanquam debitoris Dominio subjectæ, subderentur absoluto Dei Dominio, consequens esse, quòd Christi Domini satisfactio non potuerit eatenus fuisse ex proprijs, ut hâc in parte esset secundùm Justitiæ rigorem. Veluti etiam probat fundamentum Vasquezij *n. 2* propositum.

Ad Ysamberti. *n. 3.* oppositam Doctrinam 23.
Respondetur. Actiones Christi satisfactorias non tantùm quoad substantiam, Entitatem, & Efficientiam, suique à Voluntate Humanâ Christi emanationem liberam subjectas esse ab-

soluto Dei dominio, sed quoad valorem reflexivum, suique à Verbo sustentationem. Cujus ratio quoad valorem reflexivum, (nam de valore ex sustentatione Verbi derivato sufficienter disseruimus) sic breviter deduci potest.

24. Hic enim valor reflexivus in eo se tenet, quòd Christi actiones à voluntate & naturâ liberâ per Verbum suppositatâ procedentes sint quædam ipsius Personæ Verbi ad Deum quasi subjectiones, & humiliationes, atque adeò in ratione objecti, seu pretij Deo oblati induant ipsam personæ Verbi dignitatem Increatam. At voluntatis humanæ Christi quà in omni satisfactoriâ & meritoriâ actione increatam Verbi dignitatem reflexè offerentis Dominium respicit naturæ humanæ per Verbum suppositationem, prout ista subordinatur ejusdem voluntatis actioni liberæ. Unde ejusmodi liberæ actionis vis dominativa non tantùm *materialiter*, sed *per se* ac *formaliter* se habet ad Dominium Christo competens in illum valorem reflexivum. At eo ipso, quòd vis ista dominativa sit libera, ut sic *Formaliter* dicit vim causalitatis effectricis essentialiter subordinatam Dei Dominio. Oportet ergo, valorem reflexivum, quà voluntatis humanæ Christi per Verbum sustentatæ Dominio subjectum, esse ut sic *Formaliter* ac *per se* subordinatum Dei Dominio.

25. Unde ad ejusdem Ysamberti *n. 4.* oppositum Fundamentum Respondetur. Concessâ majore, distinguendo minorem, ejusque probationem; Aliud enim est, quòd submissio tam Verbi, quàm actionum ejus Humanitatis satisfactoriarum, ab ipsâ personalitate Verbi sustentatarum valor importent aliquam formalitatem, quæ sub suâ denominatione formali, solius Christi quà ab alijs personis Divinis distincti sit propria: Aliud verò esse, quòd hæc ipsa denominatio formalis *transcendentaliter* importet formalitatem ex parte objecti omninò inpræscindibilem, per quam reducatur in Divinæ voluntatis causalitatem, toti Trinitati communem: sicuti vitalitas actûs creati sub formali vitalitatis, seu immanentis emanationis denominatione, non potest Deo tribui, tametsi in hâc ipsâ denominatione formali importetur forma *transcendentaliter* involvens formalitatem actionis creatæ, per quam ut sic in Dei causalitatem sit *essentialiter* reducibilis.

At, licèt verum sit, quòd actiones Christi, quà per Verbum sustentatæ sub ratione denominationis formalis reduci possint in solam Verbi Personam, ceu causam quasi denominantem, & *Formaliter* constituentem in ratione suppositantis per Verbum terminationis: attamen hæc ipsa formalis denominatio, importans formalem Verbi ad extra communicationem, non est abstrahibilis à voluntatis Divinæ Dominativæ vis causalitate efficiente.

26. Neque verò illa per Verbum formalis communicatio, ad voluntatis humanæ Christi, etiam quâ per Verbũ sustentatæ Dominiũ comparatur, nisi prout istius liberæ actioni est subjecta. Ut sic autem *essentialiter* & *transcendentaliter* importat subordinationem ad voluntatis Divinæ vim dominativam, ejusque effectricem causalitatem. Etsi proindè solius Verbi Divini *sub denominatione causalitatis quasi formalis* sit proprium, sustentare Humanitatem Christi, ejusque adeò actiones liberas; unde etiam fit, quòd humiliationis Christi valor, in Verbi Humanitatem suppositantis personam reflexus ipsammet increatam talis Personæ Dignitatem, tanquàm oblationis per Christũ factæ pretium dignificativum includat: Nihilominùs attamen ejusmodi denominationibus, quà præsertim ad voluntatis Humanæ Christi Dominium comparatis *transcendentaliter* inexistit formalitas, per quam *essentialiter*, sunt reducibiles in Dei Dominium absolutum totius Trinitatis commune. Ergò nequit per illas à Christo fuisse satisfactum ex rigorosâ Justitiâ.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋)(❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA III.

Qualiter ad satisfactionem perfectæ Justitiæ requiratur, ut fiat ex bonis non debitis alio Titulo, & utrùm ista conditio habuerit locum in satisfactione Christi?

Divus Anselmus. *lib. 2. Cur Deus homo. c. 20.* concludit, non posse hominem Deo satisfacere, quia totum, quod exhibere potest, debet Deo. Econtra idem Doctor *cit. lib. 2. c. 2.* asserebat; posse talem satisfactionem facere hominem, qui Deus esset; eò quòd de suo potuerit dare aliquid, quod superet omne, quod sub Deo est. Ex quo difficultas movetur, *Qualiter subsistere valeat, potuisse Christum Deum hominem pro nostris peccatis satisfacere, cum totum tamen, quod exhibebat, esset debitum Deo ex titulo saltem gratitudinis ac obedientiæ?* 1.

Referuntur Sententiæ.

Suarez *cit. sect. 6. §. tertia conditio.* docet, ad satisfactionem perfectæ Justitiæ requiri, ut sit ex indebitis, alio Justitiæ, non autem Gratitudinis, vel obedientiæ Titulo; ut adeò ex parte illius conditionis nihil impedierit, quominùs Christi satisfactio esset perfectæ Justitiæ. 2.

Fundamentum est. Quia alij, quàm Justitiæ tituli, vel debita non minuunt æqualitatem Justitiæ. Secus est, si plura Justitiæ debita concurrant respectu ejusdem præsertim, tunc enim unius pretij solutione non servatur respectu omnium perfecta æqualitas.

Joannes à S. Thomâ *cit. art. 2. n. 41.* affirmat cum Suarezio prædllegato; licèt Christi actiones alijs, quàm satisfactionis Titulis fuerint Deo debitæ, ex hoc tamen non impediri perfectionē satisfactionis; eò quòd non sint debitæ alio Titulo & obligatione incompatibili cum debito Justitiæ, & aliundè actiones illæ per suam infinitatem æquivaleant pluribus Titulis, & ad hos omnes coæquandos sufficiant. 3.

Ysambertus *disp. 6 a. 4.* prætactæ affirmativæ sententiæ accedit ex sequenti fundamento, quòd nimirum præcisâ pactione inter Deum & Christum de acceptandâ & offerendâ morte Christi, ejusque operibus in satisfactionem nostrorum peccatorum, obligatio exercendi plures actus meritorios abfuerit à Christo Domino v. g. subeundi mortem tam ignominiosam, jeju-

nandi

handi &c. Igitur satisfactionem, quatenus ex illis actionibus valdè laboriosis factam, fuisse ex indebitis.

5. Vasquez *cit. disp. 8. cap. 6. n. 77.* docet, si sermo sit de Justitiâ non propriâ, sed generali, prout præcisè importat condignitatem satisfactionis, nullâ indigentis condonatione, aut favore illius, cui satisfit; tunc nihil obstare quòd opus exhibitum in satisfactionem sit alio titulo debitum. In quo adeò sensu satisfactionem Christi fuisse ex Justitiâ, licèt opera ejus satisfactoria fuerint Deo debita ex alio etiam titulo. Fundamentum est. Nam cùm ratio meriti consistat in dignitate operum, dignitas autem apud Deum oriatur ex eo, quòd opus acceptum & gratum sit, Deoque non minùs grata & accepta sint opera præcepti & consilij, sequitur; in opere præcepto inveniri posse rigorem perfecti & æqualis meriti apud Deum. Hujusmodi autem fuit meritum Christi per opera etiam præcepta ad nostram redemptionem accommodatū propter summam dignitatem Naturæ Humanæ Deitate ipsâ sanctificatæ. Unde tandem concludit Author *citatus*, se nescire; quâ ratione defendi possit opinio sancti Anselmi, nempè quòd satisfactio exhiberi non possit Deo perfecta per opus aliàs præceptum, cùm alioquin Christus non potuisset perfectè satisfacere pro nobis per opera aliàs debita ex præcepto.

CONCLUSIO.

6. Ratio sancti Anselmi efficaciter probat, satisfactionem Christi habuisse æqualitatem Justitiæ, licèt opera ejus satisfactoria non potuerint Deum ex Justitiâ obligare, eo ipso, quòd essent sub dominio Dei Creditoris, essentque adeò etiam antecedenter ad pactionem cum Christo initam radicaliter debita titulo Justitiæ.

Probatur. Nam ratio sancti Anselmi reducitur ad duo principia. Alterum est, quòd, cùm pura creatura nihil exhibere possit, quod non secundùm omnimodas suas formalitates sit Dei Dominio subjectū, idcircò pura creatura suis actibus satisfactoriis non possit exhibere æqualitatem cum Jure ac Dominio Dei per peccatum *moraliter* & *affectivè* læso. Alterum est, quòd, cùm Deus homo de suo potuerit dare aliquid, quod superaret omne, quod sub Deo est, quodque adeò Dominio Divinæ Majestatis in se ipsâ non quidem *physicè*, sed *moraliter* & *affectivè* læsæ sit æquale, idcircò possit per actus suos satisfactorios constituere æqualitatem cum juris Divini offensâ, seu læsione morali. Hoc autem duplici principio posito, manifestum est; quòd puri hominis pro peccato satisfactio à rigore Justitiæ deficiat tam ex parte æqualitatis, quàm alteritatis: cùm econtra satisfactio Hominis Dei deficere non possit ex parte æqualitatis ad justitiam necessariæ, sed ex parte alteritatis, eo ipso, quòd satisfactio ejusmodi etiam antecedenter ad pactionem sit *radicaliter* debita Deo ex vi Dominij ipsi inexistentis.

7. Probatur hoc assumptum. Nam istud radicale debitum in eo se tenet, quòd nulla omninò formalitas Christi Domini voluntati Humanæ subjecta in ejus operibus satisfactorijs sit assignabilis, quæ voluntatis divinæ Dominio non sit *simpliciter* subordinata. Ex hujus autem subordinationis ratione fit consequens, Christi hominis satisfactionem juri Divinæ Majestatis peccatis læso de se æqualem, defecisse tamen à ratione perfectæ Justitiæ, ob defectum alteritatis ad Justitiam *Essentialiter* requisitæ. Constat proinde, Christi Domini satisfactionem habuisse æqualitatem Justitiæ, eo ipso, quòd Christus per illam dederit valorem, qui Divinæ Majestati omninò coæquaretur, etsi non esset *simpliciter* secundùm rigorem Justitiæ, eo ipso, quòd valor ille quà subjectus Christi hominis Dominio, esset etiam subjectus Dei absoluto Dominio, atque adeò Christi satisfactio esset ex Bonis aliàs titulo Justitiæ *Radicaliter* debitis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad Suarezij *n. 2.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd ad Justitiæ alteritatem per se, ad æqualitatem verò aliquando per accidens requiratur, pretium solutionis non esse etiam *Radicaliter* debitum Justitiæ Titulo. Unde quia opera Christi satisfactoria erant subjecta Dei Creditoris Dominio, non poterat illis exhiberi satisfactio perfectæ Justitiæ, non quidem ob defectum æqualitatis, sed alteritatis. 8.

Ad Joannis à sancto Thomâ *n. 3* propositam doctrinam Respondetur. Ibi solùm probari, quòd operum Christi infinitas valuerit ad ponendam satisfactionis æqualitatem, non verò ad supplendum alteritatis ad Justitiam *Essentialiter* requisitæ defectum. 9.

Ad Ysamberti *n. 4.* oppositam doctrinam Respondetur. Etsi Deus non nisi consequenter ad pactionem cum Christo homine initam fecerit præceptum, & ex vi Juris sui Divini exactionem mortis, aliorumque Christi operum satisfactoriorum: nihilominùs quia illa opera ex absoluto Dei Dominio etiam antecedenter ad illam pactionem erant *Radicaliter* debita, non potuisse satisfactionem Christi habere Justitiæ alteritatem, sed æqualitatem duntaxat. 10.

Ad Vasquezij *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Respiciendo ad solam etiam condignitatem seu æqualitatem, esse longè disparem rationem inter opus vitæ æternæ meritorium, & opus pro peccatis satisfactorium. Hoc enim ipsius Divinæ Majestatis in se ipsâ *Moraliter* læsæ debet eatenus esse reparativum, ut consequenter debeat coæquari cum dignitate Divinæ Majestatis. Illud verò debet habere condignitatem proportionis cum formâ duntaxat creatâ Luminis gloriæ, ac visionis Beatificæ, nec adeò debet coæquari cum infinitâ Majestatis Divinæ dignitate. Ex hoc autem rursùs evincitur, opera etiam præcepta in Christo habentia valorem infinitum, consequenter habuisse æqualitatem Justitiæ ad satisfaciendum pro infinitâ Dei offensâ, non minùs, quàm opera hominis in gratiâ constituti, licèt ex præcepto debita, sunt vitæ æternæ de condigno meritoria. Nihilominùs ob defectum Alteritatis, nec ista, nec illa poterant Deo esse obligatoria ex Justitiâ rigorosâ. Unde neque S. Anselmus simpliciter intendit, satisfactionem Christi habuisse per- 11.

fectæ Justitiæ alteritatem, sed æqualitatem duntaxat. Qui proinde S. Doctor consulitus, haud
11 probaret opinionem à Vasquezio sibi impositam, siquidem aliud non evincatur ex verbis ipsius, nisi quòd satisfactio puri hominis (utpote nihil valentis offerre, quod tanquam inferius Deo debitum non sit) nequeat habere etiam æqualitatem Justitiæ, cùm econtra Dei hominis, in suo Dominio valorem ex Personâ Verbi dignificatū habentis satisfactio sit *simpliciter* perfecta secundum æqualitatem, non verò secundu alteritatem Justitiæ. Constat igitur, Divi Anselmi doctrinam ritè intellectam posse omninò defendi.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA IV.

Qualiter ad satisfactionem Justitiæ requiratur, ut non sit ex bonis à Creditore acceptis, seu in Creditoris gratiâ fundatis, & utrùm ista conditio reperiatur in satisfactione Christi?

1. PRima sententia Vasquezij *præs. disp. 8. cap.* .. Francisci Amici *præs. disp. 6. n. 232*, affirmat; satisfactionem Christi factam fuisse ... acceptis à Deo, esseque adeò fundatam in gratiâ Creditoris.

Primum ex Amico *citato* fundamentum est. Nam valor operationum, per quas Christus satisfecit, sumebatur *formaliter* ex Personâ Increatâ. Hæc autem gratis, ad finem Deo condignè satisfaciendi, communicata est naturæ Humanæ. Consequens igitur est, satisfactionem Christi fuisse fundatam in gratiâ unionis Hypostaticæ, imò & actualis Dei ad actus satisfactorios concursûs, quem Deus saltem de absolutâ
2. suâ potentiâ poterat negare absque Justitia. Secundum ex Vasquezio *citato* fundamentum est. Quia Christus satisfecit ut homo. At Christus in quantum homo non satisfecit ex proprijs, nam Dignitatem, quâ mediante satisfecit, accepit ex Naturâ Divinâ per Hypostasis Verbi cum Humanitate conjunctionem & unitionem.

3. Secunda Capreoli *in 4. dist. 15. quæ. un. art. 3.* Cajetani *præs. q. 1. art. 2. ad 3. dub.* Ferrariensis *4. contra gentes. c. 54. & 58.* Soti *in 4. dist. 15. q. 1. art. 2.* Nazarij *hîc cont. 2. part. 4.* Ioannis à sancto Thomâ *cit. art. 2. n. 20.* Suarezij *cit. sect. 3. n. 36.* sententia tenet, satisfactionem Christi non fuisse taliter nixam gratiâ Dei Creditoris, quin fuerit secundùm rigorosam Justitiam.

Fundamentum ex Suarezio petitum est. Nam gratia, quæ supponitur ad satisfactionē Justitiæ, in tantum potest diminuere perfectionē ejus, in quātùm est quædam virtualis remissio debiti gratis facta. Ad hoc autem requiruntur tres conditiones. *Primò* ut Gratia, vel liberalitas *Formaliter* aut *Virtualiter* detur ad hunc finem satisfaciendi. *Secundò* ut per illam rem, quæ gratis à Creditore datur, quatenus ab ipso datam fiat recompensatio, seu solutio debiti, ita ut gratia non omninò antecedat solutionem, sed fiat in ipsa solutione. *Tertiò* ut hæc liberalitas fiat ab ipso Creditore illi, qui debet satisfacere. At ... Gratia unionis, secundum ordinem Divinæ prædestinationis ... est Humanæ naturæ facta *primò per se* propter satisfactionem peccati, sed *per se* propter communicationem Divinæ Bonitatis. Etsi proinde satisfactio processerit ex Gratiâ unionis, hoc tamen non derogat Justitiæ, quandoquidem non sit *primariò* facta propter solutionem debiti, licèt ad hunc finem ordinata fuerit. Deinde Christus non *formaliter* satisfecit per ipsam gratiam unionis, sed hæc gratia antecessit satisfactionem, postea subsecutam per labores & fructus ab ipsomet Christo cum valore infinito sibi comparatos. Denique gratia unionis non fuit facta Christo ut *huic homini*, qui propriè satisfecit, sed humanitati, quæ non satisfecit *ut Quod*. Ergo hic etiam ex parte Gratia illa non derogat Justitiæ. Confirmatur ex Ioanne à sancto Thomâ *ubi suprà*; 4.
Etsi enim Christus ex parte principij *Quo*, scilicet humanitatis, non satisfecerit ex proprijs, sed gratuitò acceptis à Deo, ex parte tamen principij *Quod*, seu suppositi non fuit facta gratia per hoc, quòd daretur ei Humanitas, etiam ornata omnibus gratijs, & adjuta omni auxilio Dei; hoc enim totum respectu Verbi non erat gratia, sed potiùs dignatio, & Humiliatio. Consequens proinde est, satisfactionem Christi comparatam ad principium *Quod* non fuisse nixam Gratiâ Creditoris.

CONCLUSIO.

IN satisfactione Christi non tantùm antecedenter, sed concomitanter in ipsâ solutione, imò etiam *formaliter* intervenit gratia Dei Creditoris: quæ tamen non obstat, quò minùs satisfactio haberet perfectam Justitiæ æqualitatem, licèt defecerit in alteritate. 5.

Probatur. Nam satisfactio Christi *formaliter* importat tum valorem dignificativum, tum ipsum opus satisfactorium. At in hoc utroque sive divisim, sive conjunctìm spectato *formaliter* intervenit gratia Dei Creditoris. Minor probatur: Tum quia infinitas, per Verbum Divinum dignificatus moralium Christi operum valor in eo se tenet, quòd Christi Humanitati, moralibus operibus à Personâ infinita, ceu Principio *Quod* egredientibus conveniat, ut Deus illa acceptando in merita & satisfactiones priùs respiciat ad Personam merentem, quàm ad moralia ejus opera. Hinc autem fit, opera Christi moralia ita se habere ad Dei voluntatem flectendam, ut personæ satisfactoriè & meritoriè operantis dignitas sit motivum *formaliter* applicans illa moralia opera ad Divinæ voluntatis decretum Redemptionis nostræ causativum. At totum illud nititur *formaliter* gratuito Dei placito. Tum quòd, licèt voluntatis Humanæ Christi per Verbum sustentatio, esset ratio, cur Deus in voluntatis illius opera respiciendo, priùs respiceret ad ipsum Verbum sustentans, illa ipsa tamen sustentatio, quâ voluntatis Humanæ Christi terminativæ non poterat voluntatis Divinæ vim dominativam obligare ex se, quin *absolutè* posset non acceptare illa opera, vel ad ea secundùm se præcisè, non verò secundùm respectum ad Verbum respicere. Si enim voluntas Divina, per increatam sui specificativam Dei bonitatem non posset ex obligatione, seu necessitate determinari ad creatam aliquam 6. 7.

quam

quàm participationem, illius quà motivi intuitu decernendam: cur Verbi Divini Hypoſtaſis quà ſuſtentans Chriſti Humanam voluntatem poſſet obligare Deum ad acceptanda moralia, ex iſtâ voluntate egredientia opera, & ad redemptionis ejus effectum Divinæ illius Hypóſtaſis intuitu decernendum? Conſtat proinde, in ipsâ operum Chriſti quà à voluntate per Verbum ſuſtentatâ egredientium, in ſatisfactionem ſeu redemptionem noſtram acceptatione, imò in ipſo operum illorum dignificativo valore *formaliter* interveniſſe Gratiam Dei Creditoris: ſiquidem iſte valor non ſubſiſteret, niſi Deus ex voluntatis ſuæ Divinæ dominativâ poteſtate acceptando in ſatisfactionem Humanæ per Verbum ſuſtentatæ voluntatis opera moralia, non ad hæc præcisè, ſed ad Verbi Divini ceu principij *Quod* dignitatem, operibus illis prius applicatam, reſpiceret. Deinde præfata per Verbum Humanæ voluntatis ſuſtentatio, non poteſt Dei dominativam vim obligare, ut voluntati ejuſmodi debeat ex neceſſitate etiam morali, conferre *velle* ac *operari* maximè ſupernaturale. At ejuſmodi *velle* & *operari* erat *Formaliter* actus ſatisfactorius in Chriſto.

8\. Conſequens igitur eſt, opera Chriſti moralia, quà pro peccatis noſtris ſatisfactoria, ſive ſecundùm ſe, ſive ſecundù ſuum valorem ſpectentur, nō ſubſiſtere, niſi gratiâ Dei Creditoris nitantur.

9\. Ex hoc autem rurſus fit, quòd ſatisfactio Chriſti defecerit à perfectâ Juſtitiæ Alteritate, licèt habeter perfectam Juſtitiæ æqualitatem. Probatur iſtud aſſumptum. Nam ad Juſtitiæ æqualitatem ſufficit condignitas *ſimpliciter* æquivalens ad commutationem. Ad hoc autem ſatis eſt, habere in ſuo Dominio rem de condigno *ſimpliciter* æquivalentem rei, pro quâ fit commutatio. At in Chriſti ſatisfactione talis fiebat commutatio inter Chriſtum hominem, & Deum: ut hic offerret peccatorum juſtificationem, ille verò pretium *condignè*, imò *ſuperabundanter* peccati expiativum, ac juſtificationis meritorium, voluntatis Humanæ Chriſti, quà per Verbum ſuſtentatæ Dominio ſubiectum. Etſi proindè Juſtitiæ alteritas in hac Chriſti ſatisfactione non ſtaret eo ipſo, quòd totum illud voluntatis Humanæ Chriſti Dominium eſſet Dei Creditoris Dominio ſubordinatum, atque adeò etiam in ipsâ ſatisfactione *formaliter* interveniret Dei Creditoris gratia: hoc tamen totum non impedit, quò minùs ſervaretur perfecta Juſtitiæ æqualitas.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

10\. AD primæ ſententiæ primum ex Amico petitum argumentum Reſpondetur. Ex eo, quòd ſatisfactio Chriſti nitebatur gratiâ unionis Hypoſtaticæ; necdum probari ejus à rigore Juſtitiæ deficientiam, niſi demonſtraretur, ipſummet pro peccatorum Juſtificatione oblatum ſatisfactorium valorem importare ut ſic *Formaliter* gratiam Dei Creditoris: cujuſmodi adeò probationem videre licet *à n. 5.*

11\. Ad primæ ſententiæ ſecundum ex Vaſquezio deſumptum argumentum Reſpondetur. Negando Minorem. Nam dignitas ſatisfactionis erat eatenus propria Humanitatis, ejuſque voluntatis quà ſuſtentatæ per Verbum, ut eſſet in hujus verò Dominio, licèt ſubordinato Divinæ voluntatis dominativæ virtuti. Hinc autem evinci, quòd ſatisfactio Chriſti habuerit perfectæ Juſtitiæ æqualitatem, non autem alteritatem.

Ad ſecundæ ſententiæ ex Suarezio propoſitum fundamentum Reſpondetur 1. Satisfactionem Chriſti non potuiſſe ſub quâcunque etiam ordinabilitatis ad finem ſatisfaciendi formalitate, ſtare in voluntatis Humanæ Chriſti Dominio & poteſtate, niſi ut ſic *Formaliter* fuerit donata, & vi hujus donationis tanquam cauſalitatis, *Eſſentialiter* ſubordinata dominativæ Dei virtuti. 12.

Hinc 2. licèt Gratia unionis ſit antecedens ſatisfactionem Chriſti, *formaliter* tamen etiam in ipsâ ſolutione factam eſſe gratiam, tam quoad entitatem actuum ſatisfactoriorum, quàm quoad eorundem valorem ac dignitatem. 13.

Unde 3. tametſi unio Hypoſtatica non ſit gratia reſpectu hominis Chriſti quà ſuppoſiti, ſeu quà principij *Quod*, valorem tamen operum moralium ex Hypoſtaſi Verbi quà Chriſti naturam Humanam *antecedenter* ſuppoſitante derivatum eſſe ut ſic *Formaliter* gratiam. Quare ſatisfactionem Chriſti defeciſſe à rigore Juſtitiæ non quidem *quoad æqualitatem*, ſed *quoad alteritatem*. 14.

Ad confirmationem ex Ioanne à S. Thomâ depromptam Reſpondetur. In eâ ſupponi quòd Perſona Verbi ſit principium *Quod* ſatisfactionis Chriſti. In hoc autem latere inſignem æquivocationem; cujus alter ſit ſenſus; quaſi Perſona Verbi ſecundùm ſe præcisè eſſet principium *Quod* ſatisfaciendi. Ut ſic autem verificari quidem, nullam ſive in unione Hypoſtaticâ, ſive in gratiæ actualis auxilio factam eſſe gratiam reſpectu Verbi ceu Principij *Quod* ſatisfactorij: attamen falſum eſſe, quòd Perſona Verbi ſecundùm ſe præcisè conſiderata ſit principium *Quod* ſatisfaciendi. 15.

Quare in altero duntaxat ſenſu verum teneri, quòd Perſona Verbi quà ſubſiſtens in Humanitate, vel potiùs Humanitas, ejuſque voluntas quà ſubſiſtens in Perſonâ Verbi, ſit principium *Quod* ſatisfaciendi. At verò Perſonam Verbi quà ſubſiſtentem in naturâ Humanâ, eſſe ut ſic compoſitum dependens ex Divinâ cauſalitate ac Dominio; cujus adeò poteſtati ſubjectam eſſe omnem Chriſti actionem, etiam quoad valorem & dignitatem, quà in ſe derivatam ex Perſonâ Verbi. Cùm proinde operum Chriſti moralium ex unione Hypoſtaticâ derivatus valor ſit gratia reſpectu Verbi, non quidem ſecundùm ſe ſpectati, ſed quà ſubſiſtentis in naturâ Humanâ, conſequens eſt, quòd ſatisfactio Chriſti non habuerit perfectæ Juſtitiæ alteritatem. 16.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Qualiter ad ſatisfactionem rigoroſæ Juſtitiæ requiratur eſſe perſonaliter ab ipſo Debitore exhibitam; & an iſta conditio reperiatur in ſatisfactione Chriſti?

SUarez. *cit. diſp. 4. ſect. 6. in init.* docet; conditionem illam, quòd ſatisfactio debeat perſonaliter fieri à Debitore, non eſſe neceſſariam ad juſtitiam commutativam, licèt ſe- 1.

cun-

cundùm justitiam Vindicativam possit pro offensa exigi personalis satisfactio. Fundamentum est. Quia Justitia commutativa attendit ad solam æqualitatem. Hæc autem stare potest in Christi præsertim satisfactione, licèt non sit personaliter exhibita à Debitore.

2. Econtrario Cardinalis de Lugo *praf. disp. 4. sect. 2. n. 11.* censet, satisfactionem attento rigore Justitiæ, debere omninò fieri personaliter ab eo, qui intulit injuriam, defectu cujus adeò conditionis, satisfactionem Christi non fuisse ex rigore Justitiæ. Fundamentum est. In hoc enim Bonorum fortunæ & famæ restitutio differt à satisfactione Honoris læsi reparativâ; quòd æqualitas Justitiæ in restitutione eo ipso habeat locum, dum pecunia seu fama ablata per quemcunque fuit restituta. Econtra Honor est testificatio meæ opinionis de alterius excellentiâ. At meæ opinionis testificationem, injustè subtractam reparare nullus potest præter me ipsum. Undè honoris per me ablati reparatio, seu satisfactio nequit fieri, nisi per me ipsum. Cùm proinde Deus ratione offensæ per peccatum sibi illatæ, habuerit Jus ad honorem ab ipso peccatore in satisfactionem sibi exhibendum; non potuit huic Juri Divino per Christi satisfactionem ex Justitiâ rigorosâ satisfactum fuisse.

CONCLUSIO.

3. INfinitas satisfactionis Christi, per eminentialem cujuscunque *personaliter* licèt exhibendæ satisfactionis continentiam, fundat perfectam satisfactionis pro peccatis nostris debitæ, ex rigorosâ etiam Justitiâ æqualitatem.

Probatur. Quia licèt ex offensâ alteri factâ sim debitor ad meæ opinionis de alterius excellentiâ testificationem offenso exhibendam: Hanc ipsam tamen opinionis meæ testificationem ex æqualitate, imò supereminente abundantiâ exhibet, qui in actionis suæ honorificæ valore ac dignitate, *æquivalenter*, seu *eminenter* continet valorem illius meæ testificationis. At Christi Domini satisfactiones per valoris sui infinitatem continent *eminenter* omnis creaturæ intellectualis erga Deum honorificæ satisfactionis valorem.

4. Dices. Non videri, qualiter Christi Domini satisfactio *Eminenter* contineat peccatorum erga Deum testificationẽ, Divini per ipsos honoris læsi reparativam; nisi hominum peccatorum voluntas dicatur translata in voluntatem Christi; sicut Honoris Divini læsio per Adamum facta fuit toti humano generi imputata, eo ipso, quòd omnium eius posteriorum voluntates in Adami voluntate fuerint alligatæ. Ex hoc autem sequi, quòd Christi Domini satisfactio, æquè ac Adami transgressio, *Moraliter* esset nostra, ita ut, sicut in Adamo dicimur peccasse, sic nos ipsimet satisfaceremus in Christo. At isto concesso, rursus sequi, peccata non gratis remitti nobis, sed intuitu satisfactionis, quæ *Moraliter* esset nostra. Imò cùm operatio Christi, non nisi quà per Verbum dignificata, fuerit satisfactiva, exindè inferri, valorem hujus dignificationis esse *Moraliter* nostrum. At hoc nullatenùs posse subsistere. Falsum proinde videri, quòd satisfactio Christi *æquivalenter* ac *moraliter* in se habuerit peccatorum erga Deum testificationem, Honoris Divini per ipsos læsi reparativam.

5. Contra. Nam actio voluntatis, quæ in Divinæ Majestatis recognitionem offert ac *Moraliter* subjicit Deo infinitæ Personæ Verbi dignitatem, eatenùs est in ratione honorificæ testificationis infinita, ut consequenter omnem testificationem respectu Dei Honorificam, *æquivalenter* ac *eminenter* in se contineat. At iste valor ex Increatâ personâ Verbi dignificatus, subest Humanæ Christi voluntatis Dominio ex hoc præcisè, quòd ista voluntas per Verbi Personam sustentetur. Ergo independenter ab eo, quòd nostræ voluntates per voluntariam Dei cum Christo pactionem fuerint translatæ in humanam Christi voluntatem; quòdque satisfactio Christi esset *Moraliter* nostra; poterat Christus æqualitatem satisfactionis pro nostris peccatis exhibere, licèt non fuerit personaliter à nobis facta.

Responsio ad opposita Fundamenta.

6. AD Suarezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Falsum esse, quòd Justitiæ duntaxat Punitivæ, non autem commutativæ æqualitas exigat personalem ab offendente satisfactionem. Quo tamen haud obstante, ex eminentiali hujus conditionis continentiâ, stare in Christi satisfactione infinitâ æqualitatem Justitiæ.

7. Ad Card. de Lugo fundamentum Respondetur. Testificationem meæ opinionis non *Materialiter* sed quà Honorificam, *Formaliter* ab illo *æquivalenter* exhiberi, cujus actionis valor Honorificus in se *Eminenter* continet omnem cujuscunque erga Deum Honorificâ testificationem; ejusmodi verò esse satisfactionem Christi. Hanc igitur fuisse secundùm Justitiæ æqualitatem, licèt non fuerit personaliter exhibita ab ipso peccatore.

CONTROVERSIA VI.

Utrùm satisfactio rigorosa Justitiæ taliter debeat esse constituta, ut Creditor teneatur illam acceptare, & an ista conditio habuerit locum in satisfactione Christi?

PRima sententia relata à Vasquezio *praf. disp. 9. cap. 1. n. 1. & 2.* simpliciter affirmat; quòd satisfactio perfecta secundùm rigorem Justitiæ debeat esse talis, ut creditor Jure non possit illam non acceptare, quòdque talis conditio fuerit in Christi satisfactione.

Fundamentum afferri potest; *Primò* ab Authoritate S. Anselmi *2. Cur Deus homo. cap. 19* scribentis in hæc verba: *Imò necesse esse video, ut Pater Filio retribuat, alioquin aut injustus esse videretur, si nollet; aut impotens, si non posset.* *Secundò* ex conformitate humanæ voluntatis Christi cùm divi-

hâ: Christus enim obtulit suam satisfactionem, ut acceptaretur à Deo. At non potuit Deus ab humanâ Christi voluntate discordare.

2. Secunda sententia Andreæ Vegæ *lib. 7. in Concil. Tridentinum cap. 9.* asserit; satisfactionem Christi fuisse quidem perfectam secundum rigorem Justitiæ, nihilominus non fuisse Deo necessarium, ut illam acceptaret. Fundamentum est, quòd ad rationem perfectæ ac exactæ satisfactionis videatur solùm requiri valor ac dignitas sufficiens ad solutionem debiti, licèt creditor possit eam non acceptare.

3. Tertia Suarezij *cit. disp. 4. sect. 5. §. Ex his ergo.* Nazarij *præs. q. 1. art. 2. cont. 2. part. 4.* Vasquezij *cit. disp. 9. præs. cap. 4.* Joannis sancto Thomâ *cit. art. 2. n. 57.* Amici *disp. 6. sect. 8. n. 280.* Cardinalis de Lugo *disp. 8. sect. 3. n. 18* sententia tenet, illam de satisfactione necessariò acceptandâ conditionem eatenus requiri ad rigorosam Justitiam, ut defectu illius conditionis satisfactio Christi non fuerit secundùm rigorem Justitiæ.

Fundamentum primum Joannis à S. Thomâ *n. 57.* deductum est. Cùm enim Deus sit absolutus Dominus, & possit quâcunque satisfactione oblatâ, tanquàm supremus Dominus excludere peccatorem à gratiâ, & fine supernaturali, & punire ipsum, atque annihilare; siquidem omnia hæc possit Jure creationis: Idcirco ad hoc, ut Deus obligari potuerit ad Christi satisfactionem acceptandam, opus erat pacto & voluntate non utendi suo Dominio.

Fundamentum secundùm Cardinalis de Lugo est. Quia Deus habebat Jus ad satisfactionem peccatoris in specie, ac in individuo. Undè sicut Dominus libri potest non acceptare à fure offerente pro libro etiam infinitam pecuniam, sed exigere illum librum; sic Deus, Christo licèt offerente infinitam satisfactionem, poterat hanc non acceptare.

CONCLUSIO.

EX vi supremi sui Dominij poterat Deus independenter à Pacto non acceptare Christi satisfactionem: Undè ista deficiebat à rigore strictæ Justitiæ, non defectu condignitatis ac æqualitatis; sed alteritatis.

4. Probatur. Nam acceptatio satisfactionis Christi, ex parte Dei *Formaliter* importabat Decretum divinæ Voluntatis, intuitu Christi meritorum ac operum satisfactoriorum decernentis gratiam Justificantem *formaliter* remissivam & extinctivam peccati. At Christi operum satisfactoriorum valor quantumvis infinitus non poterat voluntatē Divinam necessitare, ut ipsius intuitu deberet decernere gratiam peccati *formaliter* expulsivam; sicuti bonitas Dei Increata, licèt infinita, nequit cogere Divinam voluntatem ad sui in creaturas diffusionem & participationem

5. Dices. Bonitatem Dei Increatam ex se specificativam Voluntatis Divinæ, omninò ex necessitate determinaturam fuisse Deum ad sui in creaturas participatam diffusionem; si cum istâ haberet connexionem necessariam, ac ex se intrinsecè determinatam: At valorem infinitum operum Christi, ex hujus intentione ac applicatione fuisse determinatum ad peccatorum remissionem in illis, quibus ex ejusdem Christi voluntate efficaci esset applicandus. Suppositâ igitur istâ determinatione valoris infiniti operum Christi, sequi, quòd vel acceptari debuerit à Deo ad gratiam peccati *formaliter* remissivam decernendam, vel saltem injuria per peccatum Deo illata debuisset *formaliter* extincta fuisse per Christi satisfactionem, absque illa etiam infusione gratiæ.

Contra. Nam eo ipso, quòd Bonitas Dei 6.
Increata voluntatis Divinæ specificativa, ex se non habeat connexionem necessariam cum sui ad extra diffusione participatâ; sequitur, voluntatem Divinam habere Dominium absolutum super omnimodâ Bonitatis Dei Increatæ ad extra participatione. Ex hâc verò Dominij absoluti ratione fit, quòd Deus nullo unquam Jure ex parte creaturarū se tenente, obligari possit, quin potiùs ipsi semper sit perfectissima tam Physica, quàm moralis libertas, pro libitu, citra cujusquam injuriam, faciendi, quidquid voluerit. At verò supra illam ipsam voluntatis Humanæ Christi determinationem, (ex quâ Christus opera sua satisfactoria in peccatorum remissionem pro multis efficaciter applicavit) habet voluntas Divina absolutissimum Dominium. Ergo illa infiniti operum Christi valoris determinatio, non potuit esse ratio, Dei obligatoria ad remissionem peccatorum efficaciter decernendam.

Instabis. Duo in peccato mortali distin- 7.
guenda esse. Alterum est ratio injuriæ, & moralis debiti ex peccato mortali relicti. Alterum est macula consistens in physicâ privatione gratiæ. At licèt macula ista tolli non possit, nisi per infusionem Gratiæ, unde etiam fit, satisfactionem Christi non potuisse à Deo acceptatam fuisse, in ordine ad peccati maculam eluendam, nisi quatenùs Deus decrevit intuitu Christi meritorum, conferre gratiam maculæ illius *Formaliter* expulsivam. Nihilominùs ratio injuriæ & moralis ex hâc resultantis debiti, eo ipso videtur esse sublata, si tantum Honoris ponatur, quantum ex peccato mortali est illatum dehonorationis. At per Christi satisfactionem ut sic, re ipsâ ac *formaliter* est positum tantum Honoris, quantum quævis mortalia peccata in infinitum possibilia inferre possunt dehonorationis. Etsi proinde satisfactio Christi non sit *formaliter*, sed *Moraliter efficienter* extinctiva peccati quoad maculam; est tamen *Formaliter* remissiva peccati quoad rationem injuriæ ac moralis ex hâc debiti. Sicut ergo Deus positâ formâ in subjecto, non potest impedire effectum ipsius formalem, sic consequenter positâ Christi satisfactione pro nostris peccatis, non videtur posse facere, ne ratio injuriæ Deo illatæ sit *Formaliter* extincta.

Contra. Nam illa propositio (quòd in- 8.
juria censeatur hoc ipso *formaliter* sublata, si tantum Honoris ponatur ab offendente, quantum suâ offensâ posuit dehonorationis) tunc solummodò verum habet, quando honor in satisfactionem injuriæ exhibitus, non aliàs sit sub dominio Creditoris offensi. Probatur istud assumptum. Eo ipso enim, quòd Deus ceu Cre-
ditor habeat in suo Dominio omnem actionem 9.

moralem Majestatis suæ Divinæ Honorativam; nequit Honor ipsius peccato *Moraliter* destructus ita reparari, ut tantum habeat Honoris, quantum ipsi ex Jure suæ infinitæ Majestatis congruebat, siquidem hoc Jus complectatur & honorem satisfactione Christi infinitè Honorificâ exhibitum, & illum peccato *Moraliter* destructum. Unde impossibile est, totum Dei honorem de Jure debitum restitui *Moraliter*, ubi per peccatum fuit *Moraliter* destructus. Atqui nequit illa satisfactio esse *Formaliter* extinctiva offensæ seu injuriæ, nisi reponatur tantum Honoris, quantum in suo Jure ac Dominio habuit. Ergo quia ob universalis in omnem Dei Honorificam actionem Dominij Divini rationem impossibilis est talis reparatio; consequenter Christi Domini satisfactio non potuit ex se *Formaliter* esse extinctiva injuriæ per peccata Deo illatæ.

10. Urgebis. Ex hoc discursu inferri, quòd satisfactio Christi habuerit defectum æqualitatis, & non alteritatis duntaxat. Hoc autem esse contra nostram conclusionem.

11. Contra. Nam verum quidem est, quòd Christi satisfactio non adæquetur *Extensivè* toti Honori Divinæ Majestati debito: attamen falsum est, quòd non adæquetur *Intensivè* omnimodo Honori Divino, imò ipsimet infinitæ Dei Majestati, per mortalia in infinitum possibilia peccata *Moraliter* seu *affectivè* violatæ. At æqualitas satisfactionis solùm requirit adæquationem cum honore ac dignitate per injuriam *Moraliter* læsâ, seu *affectivè* destructâ. Quamvis ergo in Christi satisfactione non fuerit extensiva æqualitas cum Dominio, amplectente omnimodum tum à Christo, tum à quâvis creaturâ ponibilem Honorem, ex hoc tamen est defectus duntaxat alteritatis Dominiorum; non autem æqualitatis inter Christi satisfactionem & injuriam Deo illatam. Ex quo proinde Alteritatis defectu erat, quòd Christi satisfactio, utpote sub Dei Dominio aliàs posita, non posset ex naturâ rei *Formaliter* esse extinctiva injuriæ peccatis Deo illatæ, sed opus esset gratuitâ condonatione, etiam in illâ alibi discutiendâ Hypothesi, sub quâ sola injuriæ ratio extinguenda foret, remanente licet physicâ gratiæ privatione seu maculâ.

12. Probatur istud assumptum. Nam ratio injuriæ Deo illatæ consistit *Formaliter* in affectivâ Divinæ Majestatis destructione. Hæc autem moralis & affectiva Majestatis Divinæ destructio perseverat *Moraliter*, quatenus Deus peccatorem aversando, intuitu peccati, non vult ipsi gratiam sanctificantem. Unde si Deus homini priùs peccanti iam nollet quidem gratiæ sanctificantis infusionem, non tamen intuitu peccati præteriti, sed ex absoluto suo Dominio maneret adhuc tota peccati macula quoad physicam gratiæ privationem, licèt censeretur, non remanere ampliùs quoad rationem injuriæ. Atqui positâ etiam Christi satisfactione, Dei voluntas ob universalissimum in suis motivis ad quavis sive negationes, ac privationes, sive effectiones ad extra statuens Dominium non posset cogi & obligari, ne peccatorem ampliùs detestaretur, ipsi negando Gratiam intuitu peccati præteriti. Ergo sub illâ etiam licèt forte impossibili Hypothesi, in quâ Deus peccati maculam, quoad physicam gratiæ privationem ex absoluto suo dominio vellet relinquere in animâ priùs peccatrice, ad injuriæ Divinæ extinctionem opus adhuc esset gratuitâ condonatione, in eo nimirum se tenente, quòd Deus non jam intuitu peccati præteriti, sed ex absoluto Dominio suo vellet gratiæ infusionem.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad primæ sententiæ primum Fundamentum Respondetur. Sanctum Anselmum non ita intelligendum esse, quasi Deus *absolutè* fuerit obligatus ad retribuendum Filio, ejusque adeò satisfactionem acceptandam, sed ex Hypothesi pacti cum Christo initi. Ex cujus adeò violatione licèt impossibili dicendum fore Deum injustum non *strictè*, sed *Latè*, velut sequenti articulo exponetur. 13.

Ad ejusdem primæ sententiæ secundum Fundamentum Respondetur. Voluntatem Divinam non potuisse quidem discordare ab humanâ Christi voluntate, satisfactionem pro peccatis nostris offerente. Hanc tamen discordandi impossibilitatem non fundari in aliquâ obligatione se tenente ex parte Dei, sed in unionis Hypostaticæ intrinsecâ exigentiâ. Vi cujus *connaturaliter* debita est gratia actualis, efficaciter conformans Humanam Christi voluntatem cum Divinâ. Unde ex istâ conformitate voluntatum malè inferri, quòd Deus obligatus fuerit ad acceptandam Christi Domini satisfactionem. 14.

Ad secundæ sententiæ Fundamentum Respondetur. Ad satisfactionem Justitiæ rigorosam non requiri duntaxat in satisfactione æqualitatem valoris cum injuriâ, sed etiam Alteritatem Dominij, ita ut opus satisfactorium, ejusque valor subsit Dominio satisfacientis, non autem Creditoris. Hanc verò alteritatis, non autem æqualitatis, & valoris condigni conditionem defecisse in Christi satisfactione. 15.

Ad tertiæ sententiæ primum ex Joanne à S. Thomâ deductum Fundamentum Respondetur. Unicum in hoc displicere, quòd ille Author arbitretur, ex vi pacti cum Christo initi potuisse in Deum induci obligationem Justitiæ rigorosæ: de quo sequenti Articulo. 16.

Ad ejusdem tertiæ sententiæ secundum ex Cardinali de Lugo positum Fundamentum Respondetur. Valorem Christi satisfactionis *æquivalenter* ac *eminenter* in se continuisse illum ipsum individualem à peccatore *moraliter* destructum Dei Honorem, nec adeò ex hâc duntaxat ratione, quòd satisfactio non fuerit personaliter exhibita à debitore, rectè concludi, Deum potuisse, non acceptare illam satisfactionem. 17.

COROLLARIUM.

Infertur 1. Ex eo, quòd Christi satisfactio defecerit à rigorosæ Justitiæ conditionibus, non argui aliquam ex parte satisfactionis illius se tenentem imperfectionem, sed summam ex parte Divini absoluti Dominij perfectionem. Ratio est. Nam percurrendo singulas hujus Articuli controversias fiet manifestum, quòd Christi satisfactio à rigore Justitiæ defecerit

cerit defectu tantùm Alteritatis, non autem æqualitatis. Atqui æqualitas dicit intrinsecam satisfactionis rationem; Alteritas verò duntaxat Dominium satisfacientis exclusivum Dominij se tenentis ex parte Creditoris. Ejusmodi verò dominium Christi quà Dominij Divini exclusivum importaret formalitatem redundantem in Divini dominij defectum. Neque verò aliqua dici posset perfectio sed Chimera potiùs, quæ Divini Dominij defectum argueret. Sicut ergo Christi in ordine ad Deum Dominij alteritas nullam posset arguere perfectionē, sic consequenter talis alteritatis defectus in Christi satisfactione non arguit imperfectionem, sed divini Dominij absolutam & perfectissimam universalitatem, quæ sub se contineat omne voluntatis creatæ Verbo etiam sustentatæ Jus ac Dominium.

2. Infertur 2. Satisfactionem Christi eo ipso, quòd habuerit perfectam Justitiæ æqualitatem, deficiente licèt ex parte Dei, non autem Christi ad Deum alteritate, rectè dici posse Justitiam. Ratio desumitur ex modo loquendi sacræ scripturæ & Patrum. Tum quia ad Rom. 3. dicitur de Christo. *Quam proposuit Deus propitiationem per Fidem in sanguine ejus, ad ostensionem Justitiæ suæ.* Tum quia *Psal. 68.* dicitur. *Exprobraverunt commutationem Christi.* At per istam commutationem intelligitur ab Augustino Christi mors, quà satisfactoria pro humano genere. Ergo ista satisfactio habebat rationem justæ commutationis, seu Justitiæ commutativæ, quoad pretij nimirum perfectam æqualitatem; attestante proinde Paulo *1. Corinth. 6. Quòd empti sumus pretio magno.* Unde sanctus quoque Augustinus. *de Trinitate cap. 13. & 14.* ait; Christum Dominum pro nobis satisfaciendo non potentiâ, sed justitiâ vicisse Diabolum.

ARTICULUS II.

An vi pacti inter Deum, & Christi Humanitatem initi ad satisfactionem Christi acceptandam sit in Deo rigorosa Justitiæ obligatio?

FUsè expendimus hanc difficultatem in *1. tom. quæst. 7. 7. art. 2. cont. 2.* tum *num. 8.* probantes, pactum ejusmodi inter Christum & Deum intervenisse, tum *à n. 13.* demonstrantes, Deo ex vi etiam pacti non posse intervenire strictæ ac rigorosæ Justitiæ obligationem. Quare in præsenti duo duntaxat discutiemus, id, quod loco *citato* tantùm incidenter diximus, ex instituto ostensuri, *Æternum* nimirum *Patrem in vi pacti se obligasse Christo ad ejus satisfactionem pro hominum Justificatione acceptandam.* 2. exactiùs ponderaturi. *An vi talis pacti orta sit in Deo obligatio, cujus ratio non sit Deo adæquate intrinseca, sed sita sit in Jure Christi Humanitati inexistente; atq; adeò respectu Dei extrinseco, eam vi voluntati Divinæ imponendi strictæ Justitiæ vinculum?*

CONTROVERSIA I.

Vtrum in primo conceptionis instanti cum Christi Humanitate Deus Pater fecerit pactum de justificandis hominibus, sub onere Passionis, ac Mortis ejusdem Christi Domini?

CONCLUSIO

EST affirmativa, ex omnium Doctorum Catholicorum consensu, ita ut Nicolao Ysamberto *præs. disp. 6. artic. 8.* videatur esse de fide.

Probatur ex illo *Psalmi 39. Sacrificium & oblationem noluisti aures autem perfecisti mihi. Holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ex quo ita licet argumentari. Hæc Prophetæ Regij verba esse de Christo, evincitur *ex Heb. 10. v. 7. 6. & 9.* Ubi Christus ingrediens mundum inducitur, quòd verba præfata sit locutus. At in hoc negotio agebatur de Justificatione tanquàm merce, pro quâ Deus volebat pacisci cum Christo, veluti patet *ex vers. 10. cit. 2. cap. 10. ad Heb.* At verò verborum illorum ex Psal. Regio adductorum sensus ibidem expositus est, quòd, cum Deus nollet veteris legis Sacrificia, in ordine nimirùm ad hominum Justificationem consequendam, Christo Domino aures perfecerit; ut nimirum audiendo voluntatem Dei diceret, *Ecce venio.* In quo autem tenuerit se ista Dei volūtas, fit manifestū ex Isaiæ 53. ubi habentur sequentia, *Si posuerit animam suam, videbit semen longævum. Pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur: in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.* Hæc enim Verba de Christo accipienda esse patet, *ex Act. 8 cap.* Unde præfato Prophetæ Regij textu sacro collato cum illis Isaiæ verbis, constat, voluntatem Dei Humanitati Christi in primo acceptionis instanti insinuatam in eo se tenuisse, quòd Deus vellet quidem, ut Christus pro peccatoribus se offerret in mortem, exindè justificationem multorum pro præmio reportaturus: neque tamen Deus hanc suam Voluntatem vellet in vi legis Christo impositam, nisi dependenter ab ejus consensu. Quare dicendum, Christo Domino tunc datam fuisse optionem ex unâ quidem parte impassibilis, corpore & animâ Gloriosæ, ex alterâ autem parte mortalis, triginta trium annorum ærumnis plenæ, ac per mortem tandem consumandæ vitæ. In quâ proindè optione Christus Dominus, proposito sibi gaudio, acceptavit, & tandem sustinuit mortem, confusione contemptâ *ad Heb. 12.* tunc pro primo nimirum conceptionis instanti dicens. *Ecce venio, ut faciam Deus*

Deus voluntatem tuam, *cit. Pſalm 37. & ad Heb. 10.* unde *cit. Iſaiæ 53.* dicitur *oblatus*, *quia ipſe voluit.* At in hac ipsâ voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel *ad Heb. 10.* Conſtat igitur, ſub onere vitæ mortalis ac mortis per Chriſti voluntatem liberè acceptandæ, ac ſecuto iſto libero conſenſu in legem ac præceptum imponendæ, Deum promiſiſſe Chriſto multorum Juſtificationem. At Chriſtus Dominus in totam iſtam Dei Patris in primo conceptionis inſtanti ſibi inſinuatam voluntatem liberè conſenſit. Eſt autem pactum duorum, vel plurium in idem conſenſus. Manifeſtum ergo eſt, inter Deum Patrem & Chriſti Humanitatem interveniſſe pactum in concluſione expoſitum.

CONTROVERSIA II.

An ex vi hujus pacti orta ſit in Deo obligatio, cujus ratio non ſit Deo adæquatè intrinſeca, ſed teneat ſe in Jure Chriſti Humanitati inexiſtente, atque adeò reſpectu Dei extrinſeco, cum vi voluntati Divinæ imponendi vinculum ſtrictæ & rigoroſæ Juſtitiæ?

1. IN primi tomi loco præallegato punctum difficultatis de Juſtitiâ Dei eò deductum fuit, quòd nimirum Juſtitia reſpiciat in altero Jus, in quo radicari debeat Juſtitiæ debitum. Undè quia Deus habens abſolutiſſimum omnis extra ſe Formalitatis Dominium, nullo poteſt obligari vinculo ſibi extrinſeco, ſed ex vi duntaxat ſui Divini decreti, ac Veritatis æternæ intellectu ſuo expreſſæ, conſequenter in ipſo locum non habet rigoroſæ Juſtitiæ obligatio. Quo proinde *ex 1. par.* ſuppoſito, videre libet hîc, *An pactum Dei cum Chriſto initum importet in Humanitate Chriſti Jus aliquod Dei ex Juſtitiâ obligatorium?*

Referuntur Sententiæ.

2. Ex vi talis pacti fuiſſe ortam in Deo ſtrictæ Juſtitiæ obligationem, affirmat Suarez *præſ. diſp. 4. ſect. 5. §. 5. Nihilominùs dicendum.* Joannes à S. Thomâ *hic art. 2. n. 57.* & alij in primâ parte *ubi ſupra* citati. Primum ex Suarezio petitum fundamentum eſt. Operari ex Juſtitiâ *per ſe*, ac *Formaliter* dicit perfectionem. Si ergo Juſtitia repugnaret Deo, id ex eo duntaxat capite teneret, quòd debitum Juſtitiæ importaret imperfectionem. At non repugnat Deo magis debitum aliquid faciendi, quàm neceſſitas. Etſi verò repugnet Deo neceſſitas *ſimpliciter* & *abſolute*, non tamen ex ſuppoſitione promiſſionis
3. ipſius Dei. Ergo nec ei repugnabit debitum ex ſuppoſitione pacti. Secundum ex Joanne à ſancto Thomâ deſumptum fundamentum eſt. Quia factâ ſuppoſitione, quòd ſibi ſatisfieri & tanquam Judex juſtitiam facere velit Deus, tenetur judicare, ſatisfactionem Chriſti eſſe talem, quòd major non poſſit exigi ſecundùm Juſtitiam. Ergo tenetur etiam judicare, quòd debitum extinctum ſit in ratione injuriæ & obligationis reddendi aliquid ex vi talis ſatisfactionis. Atqui ut ſervetur rigor Juſtitiæ in ſatisfactione, ſufficit, ſervari illum rigorem, quem Judex Juſtus ſecundùm veritatem rei tenetur judicare, reddendo unicuique, quod ſuum eſt. Si ergo Deus procedendo ut Judex, tenetur judicare, illam ſatisfactionem eſſe adæquatam debito, & quòd non poſſit majus exigi, ſed illâ debeat eſſe contentus, hoc ipſo, quòd velit ſibi ſatisfieri, conſequenter tenetur ex rigore Juris judicare, debitorem ad nihil amplius teneri.

Econtrario ne quidem ex vi pacti cum Chriſto initi potuiſſe Deum obligari ex rigoroſa Juſtitiâ, tenent Cardin. de Lugo. *præſ. diſp. 3. ſect. 1.* Nazarius *hic q. 1. art. 2. cont. 5. §. ſuppoſitis iis.* & alij recenſiti *1. part. ubi ſupra.* 4.

Concluſio.

EO ipſo, quòd in vi pacti cum Chriſto initi nullum in Chriſti Humanitate ſtare poſſit Jus, quin abſoluto Dei Dominio ſit ſubordinatum, ſequitur Deum, vi talis pacti nõ eſſe obligatũ ex Juſtitiâ rigoroſâ.

Probatur. Nemo enim poteſt ex Juſtitiâ obligari per Jus, quod ſimpliciter ſubeſt dominio ipſius, in quantum enim quis habet dominium, in tantum habet libertatem diſponendi pro libitu citra cujuſque injuriã. Ejuſmodi verò libertas eſt eſſentialiter repugnans obligationi Juſtitiæ. Atqui omnimodum Humanitatis Chriſti Dominium, quatenus ſubeſt etiam voluntati ipſius Humanæ per Verbum ſuſtentatæ, debet ut ſic eſſe ſubjectum vi dominativæ, tam phyſicæ, quàm morali Divinæ voluntatis. veluti *ſuperius* demonſtravimus. 5.

Dices. Oportere diſtinguere inter Dominium Dei Radicale & Actuale, ſeu formale. Illud enim conſiſtere in vi dominativâ voluntatis Divinæ: quam omninò integram eſſe, licèt ligetur decreto ſeu pacto de non utendo ſuo Dominio, ſeu de non exigendo ex vi ſui Dominij aliquo creatæ intelligentiæ actu. Ex vi autem talis ligaminis tunc non dici Deo inexiſtere Actuale, ſeu formale Dominium; ſiquidem importet vim dominativam proximam, ſeu non impeditam aliquo pacto. At verò Dominio actuali non exiſtente in Deo, poſſe Jus Chriſti Humanitati in ſuas liberas ſatisfactorias actiones competens eatenùs prævalere, ut vi hujus Chriſtus poſſit cum Deo paciſci, atque ut ſic obligare Deum ex Juſtitiâ. 6.

Contra. Nam vis Dominativa tam Phyſica, quàm Moralis in Dei voluntate radicatur in ejuſdem voluntatis per actualiſſimum omnis ad extra poſſibilis creaturæ intelligibiliter expreſſivum Eſſe actuatæ efficaciâ, & omnimodâ tam in efficiendo, quàm finalizando independentiâ. Ex hac enim in efficiendo independentiâ fit, ut voluntas Dei pro libertate ſuâ diſponendo poſſit efficere, quidquid voluerit. Ex eâdem porro in finalizando independentiâ fit, ut in efficaci cujuſcumque ex ſe producibilis formalitatis determinatione non poſſit pendere ex ullo extra Deum ſe tenente motivo, ſed ab unicâ ſuâ Increatâ, per ſe independenter ſubſiſtente Bonitate. At verò obligatio ac Debitum morale 7.

rale voluntatis cujuscumque non potest subsistere nisi quà fundatum in Motivo, quoad specificationem *Formaliter* ac *Moraliter* determinativo rectitudinis voluntati debitæ. Consequens igitur est; non posse voluntati Divinæ superinduci ligamen seu obligationem, quæ *Finaliter* deriveturex motivo extra Deum se tenente. Quantumvis ergo Deus fecerit pactum de non utendo suo Dominio, seu de non exigendo vi sui Dominij actus Christi satisfactorios, ejusmodi tamen pactum non potest in Christi Humanitate ponere aliquam sive physicam, sive moralem Deo extrinsecam formalitatem, ex quâ voluntati Divinæ possit superinduci aliqua obligatio, seu rectitudinis debitæ quoad specificationem determinatio. At verò Justitia *Essentialiter* importat ex parte sui obiecti formalitatem Juris in altero extra proprium suum suppositum existentis, cum vi *quoad specificationem Formaliter* determinandi rectitudinem Justitiæ. Ergo ex vi pacti cum Christi Humanitate initi non potuit in Dei voluntate oriri obligatio, seu debitum perfectæ Justitiæ.

8. Confirmatur. Nam in pacto Dei duo sunt consideranda. Alterum est ipsemet consensus Dei in ratione actûs liberi Deo *Formaliter* inexistens. Alterum est Jus ex tali pacto resultans, ac Humanitati Christi inexistens, ceu *Formalitas* aliqua Moralis ex liberâ Dei participatione proveniens. At eo ipso, quòd illud Jus ex liberâ vis dominativæ Deo inexistentis participatione proveniat, oportet; esse subjectum Dei absoluto Dominio ambitu suo continente omnimodam formalitatem ex se liberè derivatam. Est autem impossibile; aliquem obligari ex vi Juris alteri quidem inexistentis, sed contenti sub physicâ & morali absoluti sui Dominij potestate. Nequit ergo ex vi pacti cum Christo initi esse obligatio Moralis in Deo, ratione Juris ex pacto ejusmodi Christi Humanitati communicati. Ergo tota obligatio, quam Deus pacto contraxit, est ex vi actûs Divinæ voluntatis in se immobilis, ac ex se fundantis immutabilem intellectionis ac Dictionis Divinæ veritatem ac veracitatem. Ejusmodi verò obligatio non est strictæ Justitiæ, sed veritatis, fidelitatis, ac immobilitatis.

9. Replicabis ex Suarezio *citato sec. 5. §. secundò declaratur.* Debitum Justitiæ Divinæ non oriri ex aliquâ lege, neque ab extrinseco provenire, sed ab intrinseco, & ex connaturali rectitudine ipsius Divinæ voluntatis. Sicut ergo Deus id, quod promisit, necessariò adimplet, non ex debito, aut ex obligatione legis, sed ex naturali rectitudine fidelitatis. Sic postquàm Deus sub conditione onerosâ pactus fuit cum Christo, necessariò stetisse conventioni factæ non ex extrinsecâ obligatione, aut debito; sed ex naturali rectitudine Justitiæ.

10. Contra. Nam rectitudo Justitiæ *Formaliter* importat specificationem actûs liberi determinatam ex Honestate in Jure alterius fundatâ, ut sic *Formaliter* motivâ, atque adeò *Moraliter* determinativâ talis rectitudinis. At eo ipso, quòd voluntas Divina quoad omnimodam suam formalitatem ac rectitudinem etiam moralem sit independens ab omnimodâ creatâ Honestatis *Finaliter* motivæ Formalitate, nequit (ipsomet etiam Suarezio ubi *supra* insinuante) illud Jus extra Deum existens fundare aliquam Honestatem rectitudinis Divinæ voluntatis specificativam, & ut sic sub ratione finalis motionis *Moraliter* determinativam. Consequens igitur est, non posse Deo inexistere formalem Justitiæ rectitudinem.

Confirmatur. Nam Justitia & fidelitas in eo potissimùm differunt, quòd Justitiæ obligatio radicetur in extrinseco, nimirum in Jure alteri inexistente; Fidelitatis autem obligatio se tenens in Honestate conformandi facta cum dictis, *proximè* ac *Formaliter* radicetur in ipso promittentis actu. At licèt nullus inter creatas dominia à se invicem independenter habentes intelligentias fiat contractus, quin eo ipso resultet obligatio non præcisè ex Honestate conformandi facta cum dictis, sed ex vi Juris alteri inexistentis. Hæc tamen posterior obligatio nunquam potest in Deum cadere. 11.

Probatur istud assumptum. Nequit enim quis esse obligatus ex vi Juris alteri inexistentis, si hoc ipsum Jus sit in ejus vi dominativâ tam morali, quàm physicâ. At eo ipso, quòd nullum extra Deum possit esse jus, ullave formalitas, quæ non ex ipsius vis dominativæ universalissimâ causalitae, ejusque omnimodâ in Finalizando & operando independentiâ procedat, sequitur, Jus omnimodum, quod Christi Humanitati ex quâcunque sive primæ conditionis, sive pacti postea supervenientis communicatione competebat, invariabiliter stetisse sub dominativâ Divinæ voluntatis tam physicâ, quàm morali libertate. Unde etiam fit, quòd, licèt Deus sub conditione onerosi, atque condigni operis contrahendo cum Christi Humanitate, respexerit ad talem infiniti Christi valoris operum condignitatem, ex hac tamen non potuerit in voluntatem Dei aliqua derivari obligatio, seu determinatio debiti moralis. Imò nec ex ipso Jure Christi Humanitati, ejusque voluntati non nisi ex Dei communicatione competente, potuit derivari obligatio Divinæ voluntatis *Moraliter* determinativa; atque adeò obligatoria. Consequens proindè est, totam Divinæ voluntatis ex pacto cum Christi Humanitate inito obligationem fuisse in Deo ab intrinseco, ex decreti nimirum immobilitate ac efficaciâ, nec non veritate; atque adeò ex virtute fidelitatis, ac veritatis; non autem ex Justitiâ rigorosâ. 12.

Instabis. Antecedenter ad pactum Dei cum Christo initum fuisse in Christi Humanitate pro primo conceptionis instanti Jus ac dominium in suas actiones vitæ tam passibilis, quàm impassibilis. At licèt Deus super hoc ipsum Jus Christi haberet Dominium absolutum, potuisse hoc tamen ligare dicendo, se nolle isto jure uti. Exinde dixisse Deum Christo, si cedendo Jus vitæ impassibilis, mihi oblaturus sis actiones vitæ passibilis, secundùm infinitum suum valorem voluntatis tuæ Humanæ Dominio subjectas; tunc reciprocè volo esse obligatus ad Justificationem Gratiæ, imò & Gloriam intuitu Cessionis illius, tuorumque operum Dominio tuo subjectorum multis actualiter conferendam. At verò manifestum esse, Deum in hoc pacto respexisse, ad Jus Christi tanquàm motivum. Insuper ex hoc pacto resultasse in Christo novum Jus erga Justificationem, 13

& glorificationem Electorum. At non repugnare, quin Deus *ſignatè* ac *Expreſsè* dixerit in illo pacto, ſe ex hoc ipſo Jure vi pacti in Chriſtum translato velle obligatum manere. Conſequens proinde eſſe, quòd Deus ex Jure Chriſti Humanitatis potuerit obligari non quidem *abſolutè*, ſed ex *Hypotheſi pacti cum Chriſto initi.*

14. Contra. Nam in duplici ſenſu accipi poteſt, quòd Deus reſpexerit ad Jus competens Chriſto tum in actiones ipſius ſatisfactorias, earumque valorem infinitum, tum in Electorum pacto Divino ſibi firmatam Juſtificationem, & glorificationem. Primus enim ſenſus ita formari poteſt, quòd iſtud Jus Chriſti reſpectu voluntatis Divinæ habuerit aliquam convenientiam, ut Deus intuitu Dominij in actiones meritorias Chriſto competentis paciſcendo, promitteret Juſtificationem & glorificationem Electorum, nullâ ex vi illius Juris obligatione morali injectâ Divinæ voluntati, ſed hæc poſtea ſuperinducta fuerit *formaliter* ex voluntatis Divinæ paciſcentis immobilitate ac efficaciâ: ex ejuſmodi etiam voluntate Dei paciſcente in Chriſto fuerit ortum Jus erga Juſtificationem, ſeu glorificationem Electorum: quod tamen Jus non *Formaliter*, ſed *præſuppoſitivè* ac *ſignificativè*, ratione nimirum voluntatis Divinæ paciſcentis, ac illud Chriſti Jus tùm cauſantis, tum ſignificantis potuerit voluntatis Dei eſſe *Moraliter* determinativum ac obligatorium. At per ſe manifeſtum eſt, obligationem vi pacti cum Chriſto initi ortam in iſto priori ſenſu non eſſe *formaliter* ab extrinſeco, ſeu ex vi Juris alteri inexiſtentis, ſed ex intrinſecâ Dei paciſcentis conditione. Unde fit, pactum illud eatenus eſſe miſericordiæ, ut hoc ipſo etiam pacto ſuppoſito, oriretur non ſtrictæ juſtitiæ obligatio, ſed fidelitatis, ac veritatis, juxta illud: *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi. Juſtitiâ* quoad æqualitatem, non verò quoad alteritatem perfectâ, tunc *oſculante pacem* reconciliantem in Chriſto peccatores cum Deo.

15. Secundus proindè præallegatæ propoſitionis ſenſus ita formari poteſt, quòd Deus tum in pacto cum Chriſti Humanitate inito, tum in Decreto glorificationis intuitu Chriſti meritorum prædeſtinativo eatenùs reſpexerit ad Jus Chriſti, ut iſtud quà Deo extrinſecum, & Humanæ Chriſti per Verbum ſuſtentatæ voluntati ſubjectum Dominium eſſet *Formaliter* obligatorium Divinæ voluntatis, ejuſque quoad rectitudinis debitæ ſpecificationem *moraliter* determinativum. Ex hâc autem voluntatis Divinæ quoad rectitudinem moralem ſpecificatione, vi Juris Chriſti Humanitati inexiſtentis *Moraliter* determinatâ fieret, ut, ſi per impoſſibile Deus contraveniret, faceret Humanæ Chriſti voluntati injuriam, eſſetque huic eatenùs ſubjectus, ut Dominij Dei Morali poteſtati non ſubeſſet Jus Chriſti, ſed iſtud prævaleret contra Dominium Divinæ voluntatis, huic adimendo libertatem moralem, ac ſuperinducendo neceſſitatem obligationis moralis: inſuper voluntas Divina in ſpecificatione alicujus ſibi intrinſecæ rectitudinis moralis fieret dependens ab Honeſtate, reſultante ex Jure voluntati Chriſti Humanæ competente. At hæc omnia adverſantur tum Voluntatis divinæ in Eſſendo, Operando, & Finalizando ad extra independentiæ, tum ejuſdem abſoluto *Eſſentialiter* univerſaliſſimo, ac immutabili Dominio. Conſtat igitur, ex vi pacti cum Chriſto initi non poſſe in Deo eſſe obligationem ratione alicujus Chriſto homini competentis Juris, ſed ſuppoſito illo pacto, ex Divinæ duntaxat voluntatis paciſcentis immobilitate ac efficaciâ, nec non inde reſultantis in intellectu Divino veritatis, immutabilitatis ac omnimodâ veracitatis infallibilitate eſſe obligationem in Deo ad homines intuitu Chriſti meritorum juſtificandos.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

AD primum ex Suarez *n. 1.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Sicuti repugnat Deo neceſſitas ex ſuppoſitione extrinſecâ *phyſicè* determinativâ Divinæ voluntatis, ſic repugnare Deo obligationem ab extrinſeca aliquâ Hypotheſi *Moraliter* determinativâ Divinæ Dominativæ virtutis. At verò Juſtitiæ obligationem debere *Formaliter* eſſe ab extrinſeco, ſeu Jure alteri inexiſtente. Ergo Juſtitiæ rationem importare imperfectionem Deo repugnantem. 16.

Neque dicas; poſſe Divinam virtutem ex Hypotheſi creatæ ſubſtantiæ, quodammodò neceſſitari ad formalitatis ſeu proprietatis *Eſſentialiter* etiam connexæ, atque adeò divinitùs inſeparabilis poſitionem: ut minimè adeò videatur repugnare, Deum ex Hypotheſi Juris ſibi licèt extrinſeci, à ſe tamen cauſati obligatum eſſe ad effectum ex vi Juris illius debitum. Nam formalitas ab aliquâ eſſentiâ inſeparabilis ex Hypotheſi talis eſſentiæ debet quidem neceſſariò poni in rerum naturâ, ita tamen, ut neceſſitas ejuſmodi ad divinam voluntatem comparata fiat *formaliter* ex veritate divinæ ſimplicis intelligentiæ, in æternitate intelligibiliter formantis illam eſſentiam cum omnimodâ cujuſcumque formalitatis connexione eſſentiali. Unde etiam fit, quòd talis etiam Hypothetica neceſſitas reſpectu Divinæ voluntatis ſolùm *præſuppoſitivè* ac *ſignificativè* ſit ex ſuppoſitione creatæ eſſentiæ, ſiquidem iſta non ratione ſui, ſed ratione Divinæ ſimplicis Eſſentiam illam intelligibiliter formantis, ad eſſentiam ejuſmodi præſuppoſitæ, atque per eandem eſſentiam ſignificatæ intelligentiæ, ac Veritatis æternæ, poſſit voluntatis Divinæ eatenùs eſſe neceſſitans, ut iſta Dei voluntas ex Hypotheſi talis Eſſentiæ ponendæ in rerum naturâ, conſequenter debeat omnimodam *Eſſentialiter* cum ipsâ connexam formalitatem eo modo ponere, quo modo ejus neceſſitas per æternam Divinæ intelligentiæ veritatem eſt expreſſa. Pari ergo ratione diſcurrendum eſſe de Jure Chriſti, patet ex ſupradictis, ita ut iſtud quà Deo extrinſecum non *formaliter* ratione ſui, ſed *præſuppoſitivè* ac *ſignificativè* ratione pacti ſeu decreti Divini, ejuſque adeò efficaciæ, atque veritatis in intellectu Dei expreſſæ, ac Chriſti Humanitati revelatæ, nec non per illud Chriſti Jus tanquàm effectum ſignificatæ dicatur voluntatis Divinæ eſſe obligatorium ac *Moraliter* determinativum. 17.

Ad Joannis à S. Thomâ *n. 2.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Deum per veritatem in ſuo intellectu expreſſam judicando Chriſti ſatisfactionem, debere tanquàm Judicem de eâ pronuntiare. 1. Quòd ex increatâ Verbi dignitate habeat valorem *ſimpliciter* infinitum cum condignitate ac æqualitate perfectâ Juſtitiæ 18.

tiæ ad satisfaciendum pro quibuslibet peccatis. 2. Quòd Christi Humana Verbo sustentata voluntas ex Divinæ causalitatis suæ communicatione habeat Jus in illum operũ satisfactoriorũ infinitũ valorem. 3. Quòd Jus Christi in se præcisè spectatum habebat proportionem ad omnis offensæ Divinæ, pro quâ efficaciter applicatur, extinctionem. 4. Quòd ista proportio non habeat vim *moraliter* etiam necessitandi seu determinandi Voluntatem Divinam, ad Christi satisfactionem intuitu illius Juris ex necessitate Justitiæ acceptandam, sed quòd consistat in quadam remissionis peccatorum coexigentiâ secundùm perfectissimæ, imò superabundantis condignitatis convenientiam, efflagitante illum effectum. 5. Quòd ex pacto cum Christi Humanitate inito huic accreverit novum Jus in Justificationê & glorificationem Electorum, ita ut istud jus haberet instar prioris coexigentiam æqualitatis respectu talium effectuum, esset tamen Dominio Dei, ejusque libertati physicæ & morali subordinatum, nec adeò *formaliter* ratione sui præcisè valeret obligare Deum, sed *præsuppositivè* duntaxat ratione pactiac decreti Deo intrinseci, ac immobilis ex hoc resultantis veritatis. 6. Denique, quòd Divinus intellectus ista Christi jura conspiciendo, tanquam justus Judex judicarit, Christi satisfactionem, supposito etiam pacto, habere perfectam quidem Justitiæ æqualitatem, non verò alteritatem ex parte Dei, habereq; adeò vim coexigentiæ & condignitatis perfectæ, non verò obligationis ex se potentis Voluntatē Divinam, *quoad rectitudinis intrinsecæ specificationem, moraliter* determinare seu necessitare.



ARTICULUS III.

Utrùm satisfactio Christi fuerit ex parte Humanitatis actus perfectæ ac rigorosæ Justitiæ.

1. HActenus ostensum fuit, istam satisfactionem ex parte Dei non fuisse secundùm rigorem Justitiæ: modò superest examinandum, *an ex parte Christi eam offerentis intervenerit actus rigorosæ Justitiæ?* Sicut enim Dominus nequit servo ex Justitiâ obligari, licèt econtra servus secundùm Justitiæ rigorem teneatur suo Domino. Sic fieri potest, ut Christi satisfactio defectu al-
2. teritatis ex parte Dei non induceret etiã in vi pacti aliquam Justitiæ obligationem, benè tamen ex parte Humanitatis Christi. Cùm porrò virtuti cuilibet incumbat, Honestatem ac rectitudinem suam moralem, ejusque adeò læsæ reparationem curare, non tantùm in proprio, sed alieno etiam supposito. Hinc quia Christus vi pacti cum Deo initi, in se suscepit nostra peccata, cum onere pro illis satisfaciendi, oritur prima difficultas, *Utrùm satisfaciendo pro nostris peccatis, in nobis extinxerit Justitiæ perfectæ debitum; quo essemus obstricti ad satisfaciendum ex rigorosâ Justitiâ? 2. An ex vi pacti præfati Christus contraxerit Justitiæ rigorosæ debitum, pro quo eatenus satisfecerit; ut ista satisfactio esset actus rigorosæ & commutativæ Justitiæ erga Deum?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm detur Justitia nostri ad Deum, quæ peccatis nostris læsa per Christi satisfactionem reparata fuerit?

SUarez *in opus. de Just. sect. 1. n. 7. & præs. disp. 4. sect. 5. §. secunda difficultas. Et tom. 4. in 3. par. disp. 2. sect. 3. n. 6.* docet, in omni peccato irrogari Deo injuriam propriissimè dictam, & indè resultare veram obligationem Justitiæ ad satisfaciendum Deo, quantum homo poterit. Ex quâ proinde Justitiæ virtute Christum obligatum fuisse ad satisfaciendum, pro quibus voluit ultrò se obligare. Fundamentum ex Suarezio *cit. §. secunda difficultas.* petitum est. Quia ut actus sit proprius alicujus virtutis, satis est, ut in objecto ejus reperiatur Honestas illius virtutis, & ut intuitu illius Honestatis fiat. Atqui per voluntatem satisfaciendi, intendebat Christus constituere inter Deum & hominem æqualitatem, recompensando injuriam Deo factam, idque propter Honestatem propriam talis objecti, quæ ad Honestatem Justitiæ pertinebat. 1

Cardinalis de Lugo *præs. disp. 3. sect. 3. n. 55.* existimat; posse quidem hominem peccare contra Deum in materiâ Justitiæ, & injustè violare Jus Dei: non tamen omne peccatum, imò rarò habere rationem injuriæ strictè sumptæ, neque etiam ex peccato manere, nisi fortè rarissimè obligationem Justitiæ ad satisfaciendum. Unde *sect. 7.* infert; Christum non ita satisfecisse ex rigore Justitiæ, ut virtute & efficaciâ suorum operum extingueret aliquod Justitiæ debitum, quo nos teneremur, & pro quo satisfacere non possemus. Fundamentum est. Tum quia ut homo esset injurius Deo, deberet actus esse contra Deum, tale opus exigentem tanquam Dominum, non ex potestate Jurisdictionis duntaxat, sed *formaliter* ex Jure proprietatis. At omnia præcepta Dei sunt posita per modum legis: Lex autem procedit à potestate Jurisdictionis. Etsi proinde Deus posset opera nostra exigere ex Dominio proprietatis, de facto tamen non præsumitur id facere. Tum quia si ex peccato maneret Justitiæ obligatio ad satisfaciendum, oporteret; eundem in individuo Dei Honorem peccato ablatum restituere, atque adeò illum ipsum amoris v. g. actum, ad quem pro instanti obligationis quis tenebatur, reddere. At hoc est impossibile: ad impossibile autem nemo tenetur. Ergo ex peccato non potest oriri obligatio ex Justitiâ satisfaciendi, seu restituendi etiam æquivalens; siquidem ratione Juris alieni violati, non fit obligatio reddendi æquivalens, nisi Creditor jam minus, secundùm moralem saltem æstimationem, habeat in bonis suis, quàm antea, cujusmodi indigentia non cadit in Deum. Cùm igitur peccatum neque habeat rationem injuriæ, neque si esset injuria, esset in nobis Justitiæ obligatio ad satisf-

ad satisfaciendum, consequens est; Christum non ita satisfecisse ex justitiâ, quasi injuriam peccatis Deo illatam reparando, extinxisset aliquod Justitiæ debitum à nobis contractum.

3. Vasquez 1. *p. disp.* 85. *cap.* 4. *n.* 24 negans Justitiam nostri ad Deum, consequenter *in* 3. *par. præs. disp.* 7. *cap.* 4. *n.* 26. *præcipuè in fine.* negat, Christum pro nobis satisfecisse ex Justitiâ rigorosâ. Fundamentum ibi insinuatum est. Quia Christus non potuit aliquid reddere Deo, quod esset ei alicujus utilitatis, & commoditatis. Hoc verò proprium est Justitiæ.

CONCLUSIO I.

4. EX defectu æqualitatis ad justitiam *Essentialiter* requisitæ, neque dari potest Justitia Hominis ad Deum, neque peccatum habet rationem strictæ injuriæ, sed offensæ rigorosâ injuriâ enormioris, nec adeò satisfactio per actus pœnitentiæ etiam quà naturæ ordine consequentes effectum gratiæ gratum facientis, habet rationem perfectæ Justitiæ, nec per consequens actus voluntatis Humanæ Christi, mediantibus meritis suis efficaciter intendentis in homine peccatore ejusmodi satisfactionem, potuit secundùm istum respectum habere rationem Justitiæ rigorosæ.

Probatur. Nam Christi Domini Humana voluntas ex vi pacti cum Deo initi, eatenus habuit in suâ potestate morali quorumvis Hominũ voluntates, quatenus posset, pro quibus liberet, applicãdo efficaciter merita sua, à Deo Patre impetrare nõnullis quidẽ *ex opere operato* vi sacramenti, alijs *ex opere operantis* vi pœnitentiæ perfectæ, gratiam justificantem. Sicut ergo actus imperans *Formaliter* intendendo actûs imperati Honestatem, hujus moralem Bonitatem superinduit, sic Christi Humana voluntas intendens in Mariâ v. g. Magdalenâ Justificationem mediante pœnitentiâ perfectâ procurandam, voluit hujus pœnitentiæ perfectæ Honestatem specificam. Cujus proinde moralis Bonitas derivata est in illam Christi Hominis intentionem. Undè si hominis pœnitentia perfecta, saltem quà naturæ ordine consequens gratiæ Justificantis effectum, esset satisfactoria secundum æqualitatem Juris Divini peccato læsam; sequeretur, illam etiam Christi intentionem satisfactionis ejusmodi, ordinativam fore sub hac formalitate actum perfectæ Justitiæ. At hæc ipsa Juris Divini æqualitas in puro homine est impossibilis.

5. Probatur istud assumptum. Nam Jus Dei in nostras morales actiones fundatur in supremâ Dei quà ultimi finis majestate. Unde istud Jus est *Formaliter* infinitæ Dignitatis. At Deus ex hoc ipso Jure Divinæ Majestatis, exigendo nostras à se præceptas operationes, consequenter istas statuit in quandam Ultimi finis ac in se absolutè ac independenter stantis dignitatis & Majestatis Divinæ recognitionem. At per se manifestum est, esse impossibile; quòd actio puræ creaturæ sit secundùm adæquationem, sive secundùm æqualitatem repræsentativa juris *intrinsecè* infiniti, ipsiusque supremæ in se *infinitè* subsistentis Majestatis. Ergo ex essentiali puræ creaturæ defectibilitate eatenus est impossibilis actionum nostrarum moralium cum Jure Divino æqualitas, ut consequenter nullus puræ rationalis creaturæ actus possit habere æqualitatem Justitiæ erga Deum, nec consequenter peccatum possit esse destructivum æqualitatis ejusmodi, utpote *Essentialiter* impossibilis, nec adeò possit habere rationem strictæ injuriæ. Ergo nec puri Hominis, etiam *quà naturæ ordine* effectum gratiæ Justificantis consequens satisfactio potest attingere æqualitatem Justitiæ erga Deum. Ergo nec Christi Humana voluntas, ex intentione talis in homine peccatore procurandæ satisfactionis, efficaciter applicans merita sua habuit formalitatem Justitiæ erga Deum.

Dices. Peccatorem *Affectivè* seu *Moraliter* destruere ipsumet Ultimi in supremâ Dei Majestate radicati Finis Jus, *veluti supra dictum est*. Unde Christum suis meritis efficaciter impediendo quorumdam sanctorum peccata, servare Jus Dei illæsum, atque adeò facere actum Justitiæ erga Deum. 6.

Contra. Nam aliud est *Moraliter* seu *Affectivè* destruere ipsummet Dei quà ultimi finis Ius in se spectatum; aliud verò est destruere *moraliter* actionis à puro homine ponibilis æqualitatem cum Iure Divino. Illud igitur prius facit peccator, saltem *Interpretativè* ac *indirectè*, Divinæ Majestatis ac Ultimi Fins Jus in se ipso spectatum violando, non quidem *physicè* ac *realiter*, sed *intentionaliter* & *Affectivè* seu *moraliter*. At ejusmodi destructio realiter tangens ipsum Dei Jus, ejusque supremam Ultimi Finis Majestatem, non est *affectivè* læsiva objecti Justitiæ, siquidem istius, ceu moralis virtutis, objectum formale, debeat esse quid creatum, sed est læsiva objecti Charitatis, cujus, utpote virtutis Theologicæ objectum formale est Excellentia Dei Increata, ac ipsummet Divinæ Majestatis Ius in se consideratum. Unde Christus efficaciter intendens peccata in quibusdam sanctis impedire ex motivo Juris Divini *Moraliter* illæsi servandi, exercuit actum Theologicæ Charitatis. Quare ut illa Christi intentio haberet etiam formalitatem Justitiæ erga Deum, oporteret, attigisse Honestatem creatam, sitam in Juris Divini æqualitate, seu coadæquatione per hominis puri actum moralem ponibili. At eo ipso, quòd Christus Dominus sciret, istam cum Jure Divino adæquationem in puri hominis actu esse impossibilem, consequenter non potuit illam efficaciter intendere in homine. Ergo illius quoq; intentionis, quâ Christus meritis suis impediendo sancti alicujus peccata, voluit in hoc servare Ius Dei etiam *Moraliter* illæsum, objectum formale non erat ut sic Justitiæ erga Deum. 7. 8.

Instabis. Hominem justum posse pro peccato veniali ad æqualitatem satisfacere. Ergo Christi voluntatem, intendendo hanc satisfactionis pro culpâ veniali æqualitatem, potuisse ut sic habere actum Justitiæ erga Deum. 9.

Contra. Nam peccatum veniale non est *Moraliter* destructivum vel ipsius Divini juris, vel æqualitatis cum isto Jure Divino ponibilis, sed ordinabilitatis duntaxat actualis in Deum, ceu Ultimum Finem. At ista ordinabilitas est ad æqualitatem reparabilis per actum virtutis, sive Mo- 10.

ve Moralis, ſive Theologicæ; eo ipſo, quòd ejuſmodi actui inſit *Formaliter* rectitudo in Deum ceu Ultimum finem *actualiter* ordinativa. Quare intentio reſpiciens æqualitatem peccati venialis reparativam, non tendit ad æqualitatem Juſtitiæ, Juris erga Deum, ſed Honeſtatis duntaxat creatæ, ſitæ in actûs moralis rectitudine per modum medij in Deum *actualiter* ordinatrice.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

11. AD Suarezij *n.* 1. oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Satisfactionem Chriſti poſſe dupliciter conſiderari; *primò*, quatenùs mediante voluntate Chriſti meritorum ſuorum Efficaciter applicatoriâ, erat in peccatore *Moraliter* cauſativa ſeu ordinativa perfectæ pœnitentiæ, aliorumque actuum ſupernaturalium. Ut, ſic autem non poſſe in ullo hominis puri ſecundùm quemlibet poſſibilem ſtatum ſpectati actu intendere aliquam cum Jure Divino æqualitatem. *Se-*
12. *cundò*. Quatenùs ipſa Chriſti voluntas ſatisfaciens potuit valorem ex infinitâ Perſonâ Verbi derivatum intendere; ex voluntate conſtituendi æqualitatem cum Jure divino peccatis *Moraliter* læſo, & *affectivè* deſtructo. Ut ſic autem habuiſſe Chriſti voluntate pro objecto æqualitate perfectæ Juſtitiæ, veluti *ſequenti controverſiâ* oſtendetur. Hoc igitur poſteriore, non autem priori modo, *prout in præſenti controverſia de eâ diſſerimus*, Satisfactionem Chriſti fuiſſe actum rigoroſæ Juſtitiæ.

13. Ad Cardin. de Lugò *n.* 2. oppoſitum Fundamentum Reſpondetur *Primò*: Etiamſi Deus (uti de facto fieri alibi demonſtrabitur) actiones à ſe præceptas exigeret ex jure proprietatis; peccatum tamen eo ipſo non fore injuriam *ſtrictè* ſumptam, quòd per actus noſtros non ſit po-
14. nibilis æqualitas cum Jure Divino. *Secundò*. Etiamſi non idem numero actus, ſeu idem in individuo Honor Dei peccato noſtro moraliter deſtructus ſit ponibilis, tamen Chriſti Satisfactionem; quatenus infinitum ſuum valorem Honoris illius deſtructi æquivalenter reparativum, ac inſuper Juris Divini ad æqualitatem recognoſcitivum offerebat pro peccatis noſtris, habuiſſe ut ſic rationem perfectæ juſtitiæ, *prout ſequenti controverſiâ* oſtendetur. Unde Chriſti ſatisfactionem, prout reſpiciebat hominis peccatoris ex peccato contractum debitum, defeciſſe à ratione perfectæ Juſtitiæ, non ex eo præcisè capite, quòd Honor Dei peccato deſtructus non poſſet reddi in individuo, ſed quòd ex parte hominis peccatoris non poſſet reſpicere æqualitatem cum Jure Divino, peccato læſam, ac mediante Satisfactione reparabilem.

15. Ad Suarezij *n* 3. oppoſitum Reſpondetur: Chriſtum, imò purum etiam hominem omninò actibus ſuis in Dei Honorem redundantibus afferre Deo aliquid utilitatis & gloriæ, non quidem *Intrinſecè*, ſed *Extrinſecè* per modum ſigni Excellentiæ Dei infinitæ recognoſcitivi. Undè peccatum eſſe iſtius Boni Divini licèt *Extrinſeci* deſtructivum, nec tamen habere rationem ſtrictæ injuriæ, nec puri hominis ſatisfactionem habere rationem perfectæ erga Deum Juſtitiæ; nec conſequenter Satisfactionem Chriſti, quatenus Honoris Divini peccato deſtructi, mediante hominis peccatoris Satisfactione erat reparativa, ſub iſtâ formalitate fuiſſe actum rigoroſæ Juſtitiæ; ſed quatenus mediante valore ſuo infinito ponebat perfectam cum Divinæ Majeſtatis *Moraliter* læſæ Jure æqualitatem. Quare rationem, cur Chriſti Satisfactio, quæ mediante noſtrâ Satisfactione per Chriſti Satisfacientis voluntatem efficaciter intentâ, eſſet offenſæ Deo illatæ extinctiva, ut ſic non fuerit ſecundùm rigorem Juſtitiæ, non eſſe petendam ex fundamento per Vaſquezium inſinuato, ſed ex impoſſibilitate æqualitatis actuum noſtrorum ſatisfactoriorum cum Jure Divinæ Majeſtatis peccato violatæ.

CONTROVERSIA II.

Utrùm Satisfactio Chriſti fuerit actus perfectæ Juſtitiæ erga Deum?

VAſquez *cit. diſp.* 7. *cap.* 6. *n.* 47. Mæratius *de incarn. diſp.* 7. *ſect.* 2. *in fine.* exiſtimant, nullam fuiſſe in Chriſto peculiarem virtutem, cui ſpecialiter attribuenda eſſet Chriſti Satisfactio; ſed hanc proceſſiſſe ex quibuslibet Chriſti virtutibus, quarũ opera in hac vitâ mortali exercebat. Fundamentum à Vaſquezio *citato* inſinuatum eſt. Sicut enim in nobis non eſt virtus peculiaris; quâ velimus bonis operibus emere nobis Cœlum; ſed ipſis bonis operibus; quæ ad varias pertinent virtutes, illud emimus: Sic non eſt in Chriſto peculiaris conſtituenda virtus ad emendum nobis gratiæ Dona; ſed bonis operibus, quæ pro nobis obtulit ex benevolentia & miſericordia, id efficit. 1.

Marſilius *in* 4. *q.* 10. *ad ſex. arg.* cùm dixiſſet, virtutem pœnitentiæ non eſſe aliam à virtute Juſtitiæ, conſequenter (uti ait Suarezius *præſ. diſp.* 4. *ſec.* 5. §. *ſecundus modus dicendi*) docet, talem Juſtitiam non quidem ſub forma pœnitentiæ denominatione, ſed quoad ſubſtantiam catenus eſſe in Chriſto, ut hujus Satisfactio *Formaliter* fuerit actus illius virtutis. Fundamentum eſt. Quia Satisfactio Chriſti *per ſe Formaliter* tendebat ad deſtructionem peccati; quatenùs erat injuria Dei. At virtutis pœnitentiæ propria ratio eſt, *per ſe primò* tendere ad deſtructionem peccati, quà injuriæ Divinæ. 2.

Lorca *præſ. diſp.* 8. *n.* 14. docet, Satisfactionem Chriſti procedere *formaliter* à virtute Religionis, quæ (ſecundùm Cajetanum *in* 3. *p. q.* 85. *art.* 2.) non diſtinguitur realiter à pœnitentiæ virtute. Fundamentum eſt. Nam per Satisfactionem ut ſic obtulit Chriſtus ſe in Sacrificium, juxta illud *Joannis* 17. *Pro eis ſanctifico me ipſum.* Et *ad Heb.* 10. *Unâ oblatione conſummavit ſanctificatos.* Atqui Sacrificium eſt *Formaliter* actus Religionis. 3.

Medina *præſ. ar.* 2. *dub.* 3. *in corpore. ad* 2. Alvarez *hic diſp.* 4. *concl.* 4. *& ſolut. ad* 6. Nazarius *eod. a.* 2. *cont.* 1. *p.* 3. Suarez *cit. ſect.* 5. §. *Quocirca præcisè.* Yſambertus Sorbonicus *præſ. diſp.* 6. *art.* 12. *&* 14. Joannes à S. Thomâ *cit. diſp.* 2. *art.* 3. Petrus Labat *diſp.* 1. *de incarn. dub.* 2. §. 9. & alij tenent, Chriſti Satisfactionem fuiſſe actum Juſtitiæ commutativæ ad Deum. Verùm diſcrepant in eo, quòd Nazarius & Joannes à Sancto Thomâ, cæteriquè Thomiſtæ, in ſolo Chriſto ponant illam Juſtitiæ erga Deum commutati- 4.

væ infusam virtutem. Fundamentum per Joannem à S. Thomâ *n. 15.* deductum est. Quia quod non est capax specificationis, neque est capax specificati. Atqui specificativum Justitiæ commutativæ in ordine ad Deum est, reddere æquale Deo. Nullum autẽ purè creatum est æquale Deo. At suppositum purè creatum non habet in suâ vi dominativâ nisi purè creatum. Ergo suppositum creatum non est capax Justitiæ commutativæ erga Deum. Unde consequenter idem à Sancto Thomâ *n. 29.* asserit, commutativam Justitiam ad Deum non dimanare à gratiâ quomodocumque, prout in homine Justo reperitur, sed à gratia plenâ, summam perfectionem habente ex conjunctione ad Personam Verbi, prout in solo Christo reperitur.

5. Econtrario Suarezius, & Ysambertus *citati* in puro etiam homine, constituto in statu gratiæ Sanctificantis, ponunt illam infusam Justitiam ad Deum. Fundamentum ex Ysamberto *cit. art. 14. prop. 3. & 4* petitum est. Nam licèt Justitia, quâ Christus offerendo infinitum pro Dei infinitâ offensâ valorem, ad æqualitatem satisfecit, specie distinguatur à Satisfactione, quâ homo purus in gratiâ Sanctificante constitutus, non quidem ad æqualitatem, sed quantum potest, Jus Divinum læsum resarcit, aut servat illæsum. Nihilominùs Justitia Christi Domini commutativa non differt specie ab actu Justitiæ, quo homo complacet in eo, quòd per Christum satisfiat Deo ad æqualitatem.

Probatur istud assumptum. Nam bonus actus ex solo defectu aliquarum conditionum in subjecto, vel objecto requisitarum inefficax, in cujus tamen objecto voluntas sibi complacet, est ejusdem speciei ac virtutis, ac est actus ille, quo tale objectum amatur efficaciter: quia ambo illi actus feruntur in idem objectum, & ex eodem motivo; atque formalis ratio virtutis magis consistit in rectâ dispositione & affectu voluntatis erga objectum virtutis, quàm in ejus externo actu. Atqui actus ille, quo Christus se ipsâ Deo strictè & ad æqualitatem satisfecit, erat efficax: ille autem alter actus Justi, quo complacet in eo, quòd per Christum satisfiat Deo ad perfectam æqualitatem, est tantùm inefficax, & ambo illi actus sunt circa idem objectum, & ex eodem motivo. Ergo sunt unius & ejusdem virtutis. Ergo cùm unus sit Justitiæ, alter etiam erit.

CONCLUSIO.

SAtisfactio Christi erat *Formaliter* actus Commutativæ erga Deum Justitiæ.

Probatur. Nam Justitiæ ratio *Essentialiter*
6. consistit in duobus, nimirum in æqualitate cum Jure alterius, & in perfectâ Juris ejusmodi alteritate. At Christi Domini Satisfactio offerebat Deo valorem, ex infinitâ Dignitate Verbi *intrinsecè* dignificatum, atque ut sic perfectissimè adæquatum cum infinito supremæ Majestatis Divinæ Dominio. Ergo satisfactio Christi ex parte æqualitatis cum Divinæ Majestatis Jure simpliciter commensuratæ, & adæquatæ, non deficiebat à ratione perfectæ commutativæ Justitiæ. At nec ex parte Alteritatis ad Justitiam *Essentialiter* requisitæ erat defectus. Probatur i-
7. stud assumptum. Nam licet ille ex infinitâ Verbi Personâ dignificatus, atque ut sic Majestatis Divinæ Juri simpliciter coæquatus valor, esset in Dominio Christi Humanæ per Verbum sustentatæ voluntatis: Hoc ipsum tamen Dominium, quà Humanæ Christi voluntatis proprium, erat ita subordinatum absoluto Divinæ voluntatis Dominio, ut, si Deus actiones aliquas cum infinito per Verbi dignificationem valore exigeret à Christi Humanâ voluntate, hujus Dominium non tantùm non prævaleret, sed Divinæ voluntatis Jùri Essentialiter subjectum reciperet Justitiæ obligationem ad sui erga tale Dominium subjectionem. Unde ex quo Deus à Christi Humanâ voluntate exegit actiones pro nostris peccatis satisfactorias, atque Divinæ Majestatis ac Juris in eâ radicati peccato læsi reparativas, jam non erat Christi Humanitati vis *Moraliter* dominativa, seu moralis libertas ad actiones ejusmodi pro libitu citra Dei injuriam denegandas. At licèt Deus non absolutè, sed ex suppositione pacti sub conditione Justifica- 8.
tionis multorum cum Christo initi exegerit à Christi Humanâ voluntate illas actiones satisfactorias, ac Juris sui divini peccatis hominum læsi reparativas. Nihilominùs in illo ipso pacto Deus usus fuit suo Dominio, Humanæ Christi voluntati tunc intimando, se ex Jure supremi sui Dominij tam in justificationem peccatorum, quàm in Christi actiones morales sibi competente, catenus concedere Humanæ Christi voluntati vitæ passibilis optionem, & erga actiones in hâc mortali vitâ satisfactorias Dominium, ut hoc ipsum tamen Dominium exigeret, per voluntariam Christi subjectionem sibi offerri, ac subjici usque ad vitæ, mediante ignominiosâ Crucis morte, terminationem. Quare ista per Divinæ voluntatis exactio, Physicâ Christi Humanæ voluntatis libertatem relinquebat quidem illæsam, sed tamen faciebat, ne ipsi esset moralis libertas citra Dei injuriam disponendi de actibus pro humano genere satisfactorijs. Undè illa ipsa, vi Juris sui Divinij exactio fundabat in Christi humanâ ad Deũ comparatâ voluntate sufficentẽ pro actu perfectæ Justitiæ alteritatem.

Probatur istud assumptum. Nam alteritas 9.
ad Justitiam requisita in eo se tenet, ut ex parte alterius sit Jus fundans rigorosum sub injuriæ reatu debitum. Atqui ad hoc debitum requiritur, in debitore non stare pro tunc Jus cum effectu moralis citra injuriam disponendi libertatis. Hoc autem totum erat in Christi Humanitate ex hypothesi, quòd Deus ex vi Dominij sui ab ipsâ exigeret morales pro peccatis nostris Satisfactorias actiones: nullum enim in creatâ, licèt per Verbum sustentatâ voluntate, stare potest Jus contra Dominium Dei. Unde Christi Humanæ voluntatis in suas actiones Dominium nõ potest se extendere ad casum, quo Deus ex supremo omnia sibi subjiciente Jure exigit ab illâ actionem aliquam moralem. Cùm proinde in ipso cum Christi Humanitate inito pacto fecerit Deus ex supremo Juris sui absoluto Dominio aliquam moralium Christi actionum pro humano genere Satisfactoriarum exactionem, pro tunc in humanâ Christi ad Deum comparatâ voluntate inceperat esse juris alteritas; siquidem Dei Dominium tunc ita prævaluerit, ut humanæ Christi voluntatis Jus nihil tunc posset contra Divini Dominij exactionem, quò minùs ista sub reatu injuriç obligaret Christi humanitatem.

Patet

Patet igitur, in Christi satisfactione intervenisse sufficientem pro Justitiâ fundandâ tum æqualitatem, tum Dominij alteritatem cum Divinæ Majestatis Jure.

Responsio ad opposita Fundamenta.

10. AD Vasquezij *n. 1.* oppositum Fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd Christi opera satisfactoria *Elicitivè*, imò & *Imperativè* referri debeant ad diversas ipsius virtutes. Nam ex sacris litteris evincitur, opera illa fuisse à Christo Domino facta tum ex motivo Charitatis ad Deum, juxta illud Joannis *14. Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem*; tum ex motivo Charitatis ad Ecclesiam, juxta illud ad *Ephe. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro eâ*; tum ex motivo obedientiæ juxta illud ad *Phil. 2. Factus obediens usque ad mortem*.

11. Nihilominùs sicut Cœlorum Regnum emimus diversarum virtutum operibus, ut tamen intendens opera ejusmodi ex motivo, suam vocationem ex pacto Dei sub conditione meritorum gloriam cœlestem promittentis, certam faciendi, exerceat actum Spei in infallibili Divinæ promissionis certitudine firmatæ: intendens verò illa ipsa opera ex Juris Divini, sub conditione mercedis æternæ Gloriæ ea exigentis motivo, faciat actum Justitiæ licet imperfectæ

12. erga Deum. Sic Christus Dominus æterno Patri offerendo satisfactorias à diversis virtutibus elicitas operationes, *Formaliter* intendendo eas sub motivo, Divinæ Majestatis peccato læsæ Jus ad æqualitatem reparandi, *imperativè* reducebat illas varias species ad unicam unius virtutis formalitatem. Hæc autem ut sic est Justitiæ commutativæ ad Deum, *uti supra probatum est*. Ergo omnia Christi opera satisfactoria *Imperativè* reduci debent ad unam Justitiæ commutativæ speciem.

13. Ad Marsilij *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Pœnitentiam *sub formali saltem denominatione*, seu *quoad actum pœnitentiæ* non posse existere in ullo supposito, quod Juris Divinæ Majestatis possit ad æqualitatem esse reparativum, seu recognoscitivum. Unde virtutem Pœnitentiæ non posse *Formaliter* tendere ad peccati quà Dei injuriæ talem destructionem, quæ fundari debeat in perfectâ *secundùm æqualitatem* satisfactione. Consequens proinde esse, Christi satisfactionem eo ipso non esse actum virtutis pœnitentiæ, quòd sit secundùm perfectam Justitiæ commutativæ æqualitatem.

14. Ad Lorcæ *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Sacrificium *formaliter* importare oblationem supremi Divinæ Majestatis proprij Juris recognoscitivam. Hanc verò recognitionem in nobis neque *Formaliter* ex parte sui, neque *Objectivè* ex parte rei oblatæ esse adæquatam Juri Divinæ Majestatis. Hanc igitur pertinere *Formaliter* ad actum Religionis. At verò in Christi satisfactione fuisse æqualitatem cum infinito Majestatis Divinæ Dominio. Ergo ut sic spectasse non ad Religionis virtutem, sed ad commutativam ac perfectam erga Deum Justitiam. 15.

Ad Joannis à S. Thomâ *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur 1. Suppositum purè creatum, non quidem ex vi suæ naturæ, vel Hypostasis, atque proprietatum istas consequentium, sed ex Gratiæ donatione posse in vi suâ dominativâ habere objectum Divinæ Majestati simpliciter adæquatum. Ergo ut sic esse capax objecti specificativi Justitiæ perfectæ erga Deum. 16.
Antecedens probatur. Nā ex vi Characteris Baptismalis homini est Jus, eatenùs recipiendi Sacramenta, ut in horum receptione possit pro gratiâ *ex opere operato* consequendâ, offerre Deo infinitum Christi meritorum valorem, quem pro tunc Deus ex vi sui dominij exigit ab homine. Similiter ex vi sui characteris sacerdotalis est etiam Sacerdoti Jus offerendi sacrificium, quà continens infinitum satisfactionis Christi valorem. Sicut ergo in Jure hominis tali charactere insigniti est, offerre Deo valorem infinitæ ipsius Majestati coæqualem; sic Deo ex vi sui Dominij exigente talem oblationem, potest homo ex commutativâ Justitiâ esse obstrictus. 17.

Respondetur 2. Verum quidem esse, quòd Gratia sit virtutum infusarum radix non simpliciter, sed secundùm statum, quem gratia in aliquo supposito habet; sic enim gratia consummata, ut conjuncta cum lumine gloriæ, parit visionem Beaticam, gratia verò imperfecta in statu viæ habet sibi conjunctam Mysteriorum Dei ænigmaticam fidei cognitionem. Nihilominùs ex eo, quòd homo ex Christi meritis justificatus accipiat aliquid Juris in hæc merita, eorumque valorem infinitum, bonis in gratiâ factis operibus sibi applicandum: sequitur, talis hominis statui (aliud enim videtur esse de statu, in quo ante peccatum erat Adamus) congruere, ut habeat Justitiæ Commutativæ virtutem, mediante quâ possit meritorum Christi valorem offerre Deo, utpote exigenti, ut valor ejusmodi, mediante Sacramentorum usu, sibi offeratur.

Ad Ysamberti *n. 5.* propositum fundamentum Respondetur. Id placere ex eo etiam capite, quòd, cùm Christi satisfactio mediantibus Sacramentis cœperit pertinere ad Jus homini Christiano quodammodò competens, congruenter ipsi inexistere debeat virtus propriæ ad Deum Justitiæ, quâ complacere possit in illâ Juris Divini, peccato *Moraliter* violati, ad æqualitatem reparativâ satisfactione. 18.





QUÆSTIO QUARTA.

DE MOTIVO, EX QUO A DEO DECRETA FUIT VERBI DIVINI INCARNATIO.



1. Ostendimus *in 1. tom. q. 6. ar. 2.* unicum voluntatis Divinæ motivum esse Bonitatem Dei Increatam, quâ creaturis ex Divinæ causalitatis, & exemplabilitatis participatione imitabilem. Quia verò hæc ipsa Divinæ imitabilitatis in creaturis participatio inter res creatas elegantem quandam subordinationem, & suavem alicujus inter se ad Universi bonum constituendum coordinationis harmoniam præsefert. Idcircò Dei ad extra effectus nō eodem modo reducuntur in Deum, eiusq; Bonitatem Increatam, sed Divinæ imitabilitatis participatio in unâ creaturâ exprimit rationem finis, non quidem voluntatis Divinæ Motivi, sed ex parte volitorum *Finaliter* Terminativi, Cæteris ex intrinseco suæ coordinationis respectu se habentibus ad illum finem instar mediorum.

2. Ex quâ proinde *Arithmeticè* difformi, sed *Geometricè* æquabili Divinarum ad extra participationum in Dei Increatam Bonitatem reductione fit, ut unam creaturis impressam bonitatem, Universi v. g. bonum immediatiùs referamus in Dei bonitatem, seu unicum Divinæ voluntatis finem, Bonis particularibus non nisi *mediate*, sub aliquâ ad Universi bonum relatione reductis in finalem Dei causalitatem: sicut gratiæ quoque prædestinationem, non nisi sub ordine ad æternæ gloriæ finem, reducimus ad intentionem, ac præfinitionem, & causalitatem finalem voluntatis Divinæ.

3. Ex istâ proinde Divinarū ad extra participationū creaturis impressâ coordinatione, variâq; secundùm aliquē Prioritatis ac Posterioritatis ordinem, in finalē Bonitatis Dei Increatæ causalitatem reductione rursus fit, quòd in Divinæ voluntatis decretis ponamus quædā signa & instantia rationis, sub quibus formemus aliquas decretorum Divinorum respectu creaturarum habitudines, denotantes quandam inter Decreta Divina rationis prioritatem ac posterioritatem: Sic enim circa aliquā finis ac mediorū seriem ratione nostrâ ratiocinatâ prius intelligitur esse in Divinâ voluntate ordo intentionis, quàm executionis, & in ordine intentionis per prius intelligitur esse in Divinâ voluntate intentio finis, quàm electio mediorum: cùm econtra in ordine executionis sit prior usus mediorum, quàm executio finis. Verùm de his videri possunt, quæ fusè tractavimus *in 1. tom. q. 7. art. 1. cont. 1. & 2.* 4

Quæ porrò decretorum Divinorum per rationem nostram ratiocinatam formatæ habitudines ex parte rei ac objecti non denotant aliquam decretis illis intrinsecam relationem, seu realem inter ipsa subordinationem, sed in creaturis potiùs important aliquam ex Divinæ voluntatis causalitate provenientem ad Deum relationem, cum intrinsecè non nisi per Divinæ Increatæ Bonitatis participationem impressâ creaturarum inter se, & ad finalem Divinæ Bonitatis causalitatem coordinatione. V. g. in ordine prædestinationis Electorum ad Gloriam, pro primo signo ponimus Christum tanquàm finem & causam meritorum omnium prædestinatorum. In secundo Beatissimam Virginem cooperatricē cum Christo homine ad negotiū prædestinationis: in tertio cæteros sanctos Electos, quoad efficacē æternæ gloriæ ipsis volitæ intentionē. In quarto præfinitionē Primæ vocationis, & gratiæ justificantis. In quinto præfinitionem formalis perseverantiæ. In sexto denique præparationem executricem glorificationis. In quâ proinde signorum & instantium per rationem nostram ratiocinatam formatorum distinctione nolumus denotare aliquas Divinæ voluntatis ad extra habitudines reales, sed sub illis relationibus rationis, seu intentionibus secundis, ex parte rei denotamus reales ad Divinam Increatam bonitatem, seu unicum voluntatis Divinæ, quà ad extra operantis finem relationes, cùm effectuum ejusmodi inter se subordinatione, per Divinæ voluntatis non nisi ex Increatæ suæ bonitatis motivo operantis efficaciam causatâ, habente ut sic vim sub ratione causalitatis finalis influxivam in omnimodam illam varieni genæ in Deum reductionis *difformiter uniformem* coordinationem. 5 6

Hinc ad propositum nostrum movetur difficultas in primo hoc articulo, *An Christus quà finis omnium creaturarum in priori rationis signo fuerit à Deo præfinitus, quàm decerneretur Universi productio?* Cujus equidem difficultatis sensus est, *An Christi productio* 7

ductio in ordine causalitatis finalis priùs respiciat increatam Dei bonitatem quà sui ad extra communicativam, quàm universi productio? sive, *An efficax de Universo producendo intentio Dei posuerit hunc ordinem inter Christum, ac Universi Bonum, ut istud instar medij se habeat ad illum tanquam finem, vel econtra disparatè se habeant ad invicem, sine aliquâ inter se quoad finalem in Deum reductionem coordinatione?*

In quo proinde sensu procedet secundus etiam articulus. Ubi erit concertatio, *Utrùm merita antiquorum Patrum in ordine executionis moraliter causarint Verbi incarnationem?* Hujus enim quæsiti sensus erit, *Utrùm Christi merita quoad ordinem executionis per prius reduci debeant in Divinæ voluntatis finale motivum, quàm ipsa Verbi incarnatio?*



ARTICULUS I.

Utrùm Incarnatio Verbi in priori rationis signo antecedenter ad prævisionem peccati Adami; imò antecedenter ad decretum productionis Universi præfinitivum, fuerit à Deo decretata?

1. DOctor Angelicus *3. p. q. 1. art. 3.* difficultatem hanc proponens sub hisce formalibus; *Utrùm, si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset?* Respondet, *quamquàm Deus, non existente peccato; potuisset incarnari; convenientiùs tamen dici, quòd, si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset, cum in sacrâ Scripturâ ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur.*

2. Doctor Subtilis *in 3. dist. 7. q. 3. n. 3.* docet: Deum priùs prædestinasse animæ Christi gloriam, quàm prævideri Adam casurum. Quare authoritates, quibus probatur, Christum non venturum fuisse, nisi Adamus peccasset, ita exponi posse, quòd scilicet non venisset ut Redemptor; & fortè ut passibilis, nisi homo cecidisset.

3. Istas Angelici, atque subtilis Doctorum controversas sententias conciliare contendunt nonnulli à Vasquezio *præf. disp. 10. cap. 3* allegati recentiores Theologi, asserendo: Christum in genere causæ finalis priùs fuisse à Deo præfinitum, quàm prævideretur Adami peccatum; Unde fore consequens, quòd pro illo priori verificaretur, Christum venturum fuisse, Adami peccato secundùm prævisionem Dei necdùm existente: Nihilominùs præfinitionem Christi, quà finis, necessariò connexam fuisse cum prævisione peccati quà medio: siquidem Deus noluerit Incarnationem Verbi, nisi in remedium peccati ex motivo Misericordiæ. Unde consequens esse, quòd *absolutè* ac *simpliciter* verificetur, Christum non fuisse venturum sine permissione peccati, & consequenter sine peccato.

4. Franciscus Amicus *præf. disp. 7. sect. 2. n. 75.* alium præfatæ controversiæ conciliandæ modum præscribit; asserens: Christum prædestinatum esse ut Finem creaturarum, Caput & Exemplar omnium prædestinatorum, dependenter à remedio peccati prævisi, non scientiâ visionis formalis, sed virtualis, in ipsâ efficaci voluntate creandi Adamum in ijs circumstantijs; in quibus scientiâ conditionatâ prævisus fuerat peccaturus.

Quibus adeò suppositis, quatuor hic emergunt controversiæ. 1. *An repugnet, intelligere in aliquo priori decretum Incarnationis Christi efficax in genere intentionis, non intelligendo illud in statu determinato officij Redemptoris, & naturæ passibilis determinata?* 2. *Utrùm in Deo distingui debeat duplex virtualiter decretum, alterum antecedens peccati prævisionem, vi cujus verificaretur, Adamo non peccante, Christum fuisse venturum; alterum peccati Adami prævisionem consequens, vi cujus verùm esset, peccato non existente, non futurum fuisse Incarnationis Mysterium?* 3. *Ex quo motivo fuerit de facto à Deo decreta incarnatio Verbi Divini?* 4. *An & quomodò verificetur, Christum venisse principaliùs ob culpam originalem, quàm propter actualia hominum peccata?* 5.

CONTROVERSIA I.

An repugnet, in aliquo priori intelligere Incarnationis Christi decretum, quà efficax in genere intentionis, non intelligendo illud in statu determinato officij Redemptoris & naturâ passibilis determinata?

1. NAzarius *præf. q. 7. art. 3. cont. un. §. secundus dicendi modus refert*, docuit, decrevisse Deum inprimis se communicare triplici ordini, scilicet Hypostatico, supernaturali, & naturali, non determinando, in quâ personâ, & in quâ naturâ Hypostaticè communicaretur. Quo Decreto posito, postea incepisse Deum ab infimo ordine rerum naturalium, statuendo creare Universum; deinde ordinem supernaturalem determinasse pro creaturis rationalibus, & tandem, cùm videret in his defectum, seu lapsum peccati, decrevisse reparationem ejus, atque tunc primùm incepisse determinare, quòd persona Filij uniretur naturæ humanæ, ut repararet ordinem deperditum.

2. Joannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 3. a. 2. nu. 17.* tenet; repugnare, decretum incarnationis Christi efficax in genere intentionis pro aliquo priori signo intelligi, non intelligendo illud in statu determinato talis personæ, & naturæ, & officij Redemptoris; & naturæ passibilis determinatæ. Fundamentum desumitur ex eo, quòd decretum efficax respiciat rem in se ipsâ & in statu attingibili. Ex hoc enim licet taliter argumentari. In nullo priori potest desiderari decretum ut efficax, nisi in quantum respicit exitum, seu eventum rei, non autem solam ordinationem, seu subordinationem inferioris & superioris, medij & finis, proximi & Ultimi Finis: siquidem istæ subordinationes pertineant ad impositionem ordinis in rebus, non ad ipsum eventum, seu exitum rei à suis causis. Atqui Incarnatio spectata secundùm sui à causis exitum ac eventum debet esse in statu determinato.

CONCLUSIO.

Simpliciter repugnat, Decretum efficax incarnationis intelligi cum exclusione determinationis ad personam & naturam, nec non ad passibilitatis, vel impassibilitatis statum.

3. Probatur. Decretum enim efficax in Deo habet rationem actualis ad extra causalitatis. At causalitas ex ratione suâ formali importat determinationem causæ ad effectum. Nequit verò intelligi determinatio causæ ad effectum, quin ex parte etiam effectûs intelligatur determinatio, quoad illas formalitates, quæ intrinsecâ ac essentiali necessitate includuntur in effectu, quoad statum actualis existentiæ considerato. Atqui Incarnationis Mysterium in statu physico actualis existentiæ importat *essentialiter* determinatam Hypostasin Divinam, per quã natura aliqua creata actualiter constituatur *in Esse suppositi*. Nequit autem nisi natura determinata intelligi constituta *in Esse suppositi*. Impossibile igitur est, intelligi decretum Incarnationis efficax, quin attingat Hypostasin Divinam determinatam, naturæ alicujus creatæ determinatæ

4. constitutivam *in Esse suppositi*. Atqui Decreta Dei eatenus conformantur simplici Divinæ intelligentiæ, ut eo ipso, quòd Dei voluntas actualiter decernat entis alicujus existentiam, oporteat, vi talis decreti determinari statum, cum quo ens illud quoad actualem existentiam habet connexionem, ex illâ simplicis intelligentiæ expressione intelligibili omninò necessariam. Etsi verò status passibilitatis & impassibilitatis divisim spectati se habeant ad Incarnationis Mysterium, tanquàm accidentia separabilia: attamen ex immediatâ contradictoriâ illorum terminorum oppositione est, quòd Divina simplicis intelligentiæ scientia judicet prorsùs impossibile, naturam creatam Hypostasi Divinâ terminatam actualiter existere sine alterutro vel passibilitatis, vel impassibilitatis exercitæ statu. Repugnat ergo, simpliciter intelligi Decretum Mysterij Incarnationis per modum intentionis efficaciter præfinitivum, cum exclusione determinationis non ad personam duntaxat & naturam, sed ad alterutrum vel passibilitatis, vel impassibilitatis statum.

5. Dices. Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognovisse Incarnationis Mysterium, tum quatenus posset esse finis totius Divinæ ad extra participationis: tum quatenus esset instar medij, & contra peccatum remedij ordinabilis ad ostensionem Misericordiæ ac Justitiæ. Quare secundùm priorem considerationem potuisse Deum in aliquo priori peccati permissionem antecedente signo decrevisse incarnationem: secundum posteriorem autem considerationem potuisse Deum pro posteriori peccati permissionem consequente signo decrevisse illud Mysterium. At hoc utrumque *virtualiter* diversum decretum ita existere de facto in voluntate Divinâ, ut unicâ tamen mensuretur æternitate. Unde licèt Deus in priori decretò non determinaret determinatum passibilitatis, vel impassibilitatis in Christo statum; non tamen verificaretur, illud prius decretum in aliquo reali instanti substitisse, quin haberet sibi realiter identificatam determinationem statûs vel passibilitatis, vel impassibilitatis Christi.

Contra. Non enim est intelligibile, quòd voluntati Divinæ inexistat duplex in genere efficacis intentionis *virtualiter* diversum de Mysterio Incarnationis decretum, nisi secundùm distinctas *rationis* habitudines ad diversa objecta, seu fines ex parte volitorum *finaliter* terminativos. At ista voluntatis Divinæ objecta debent esse conformia Divinæ simplicis intelligentiæ expressioni intelligibili. Hæc verò non est de implicantibus contradictionem. Implicat autem status Hypostaticus per Divinã personã in naturâ creatâ determinatâ, sine determinatione statûs vel passibilitatis, vel impassibilitatis. Repugnat igitur, pro priori permissionem peccati antecedente signo intelligi in Deo decretum Incarnationis efficax, quin *formaliter* ac *signatè* sit determinativum statûs passibilitatis, vel impassibilitatis in Christo. At ex hoc solùm, quòd illud prius peccati prævisionem antecedens decretum cum posteriori peccati præscientiam consequente decreto realiter identificatum subsisteret in uno æternitatis instanti, non verificaretur, illud prius decretum quà *virtualiter* distinctum à posteriori, esse *formaliter* ac *signatè* determinativum statûs vel passibilitatis, vel impassibilitatis. Unde fieret etiam consequens, decretum illud prius, quà *virtualiter* distinctum à posteriori, & ut sic abstrahens à determinato passibilitatis, vel impassibilitatis statu, non esse conforme simplici Divinæ intelligentiæ, Hypostatici per divinam personam statûs non aliter expressivæ, nisi cum determinatione naturæ ad passibilitatem, vel impassibilitatem. 6.

Instabis. Nos *praced. q. 3. a. 2. cont. 1.* dixisse: Christo Domino in primo conceptionis instanti datam fuisse optionem vitæ vel passibilis, vel impassibilis. Oportuisse igitur, Deum antecedenter ad Christi electionem prævisam decrevisse substantiam duntaxat Incarnationis, & non nisi consequenter ad illius electionis prævisionem statuisse Christo passibilitatem. 7. 8.

Contra. Nihil enim Formalitatis potuit esse in illâ Christi volitione passibilitatis electrice, quin per prius fuerit in efficaciâ Divinæ volitionis, ac præscientiæ tanquàm causalitatis effectricis. Ergò decretum Dei de Verbo incarnando non debet ita formari, quasi Deus voluerit priùs substantiam Incarnationis, & postea consequenter ad Christi ad electionem liberam primùm decreverit ejus passibilitatem; sed in primâ Incarnationis præfinitivâ intentione voluit Deus & substantiam Incarnationis, & modum passibilitatis, non nisi dependenter à Christi consensu faciendum, ita tamen, ut iste consensus pro tunc decerneretur, tanquam medium ad passibilitatem, ceu finem Redemptioni Humani generis propinquiorem, *velut sequente cont.* magis elucidabitur. 9.

❧(IHS)❧

CONTRO-

CONTROVERSIA II.

Utrùm in Deo distingui debeat duplex virtualiter decretum, alterum peccati prævisionem antecedens, vi cujus verificetur; Adamo non peccante, futurum fuisse Incarnationis Mysterium quoad substantiam. Alterum peccati præscientiam consequens, vi cujus verum sit, Peccato Adami non existente, Christum non venturum fuisse in carne passibili seu Redemptorem?

1. EX mente Alensis *3. p. q. 2. memb. ult.* Alberti Magni *in 3. dist. 20. ar. 4.* Scoti *in 3. dist. 77. 3. n. 3.* Lycheti *ibidem.* Suarezij *præs disp. 5.* & plurium aliorum, videtur affirmare Ysambertus *hic disp. 7. art. 2.* existimans, Deum in decernendo Incarnationis Mysterio juxta nostrum modum concipiendi servasse hunc ordinem. 1. statuendo se communicare ad extra, voluisse propter summam suam gloriam Verbum Divinum incarnari, illudque dare incarnatum, ut esse perfectissimum Caput totius Universi modo illo, qui esset ipsi Universo convenientior. 2. Quia ipse influxus in membra est aliqua influxio, & perfectio inclusa in ratione Capitis perfectissimi, voluisse antecedente quâdam voluntate dare per Christum hominibus media, quibus illi possent assequi supernaturalem Beatitudinem. 3. Cùm videret Deus, totum Humanum Genus lapsurum in Adamo, desideraretque huic gravi morbo optimum & valde accomodatum afferre remedium, judicasse convenientius, ut modus ille (quo Christus Dominus in primo rationis signo erat efficaciter intentus secundùm præcisam tantùm rationem, & quasi adhuc in particulari indeterminatam) jam præsuppositâ prævisione peccati Adæ, ita determinaretur, ut Christus veniret in vitâ passibili, & sic statuisse Deum, ut Christus vitam passibilem assumeret.

2. Fundamentum ab Ysamberto *citato* deductum petitur ex illo *ad Ephe. c. 1. Placuit Deo instaurare omnia in Christo.* Nam Sanctus Hieronymus, approbantibus Irenæo *lib. 1. adversus hæreses. cap. 2. & lib. 5. cap. 20.* Tertulliano *lib. 5. adversus Marcionem. cap. 17.* legit; quòd placuerit Deo, omnia recapitulare in Christo. Atqui hujus redditur sensus; Deum voluisse omnia revocare ad Christum Dominum ut ad unum Caput, in quo omnia cœlestia, & terrestria continerentur, & à quo influxum & vitam haurirent. Unde *in fine præfati ad Ephe. cap.* subditur, quòd Deus omnia subiecerit sub pedibus Christi, & ipsum dederit Caput supra omnem Ecclesiam. Hinc verò concluditur, Christum esse prædestinatum, ut esset primogenitus omnis creaturæ. Ex hoc autem rursus infertur, quòd Christus præcipuum fuerit, & primò intentum opus totius Universi. Oportet igitur, in Deo ponere decretum, non tantùm consequenter ad prævisionem peccati, sed antecedenter ad omnem creaturam, præfinitivum Mysterij Incarnationis *quoad substantiam* spectati.

3. Martinus de Esparzâ *de Incarnatione. q. 7.* è diametro pugnans ... sterit, nullam esse admittendam multiplicitatem, seu distinctionem Virtualem intrinsecam in decretis Divinis circa Mysterium Incarnationis, & ejus circumstantias, aut circa ulla alia objecta, sed de omnibus, & singulis rebus creatis, quoad omnia & singula ipsis convenientia disponere Deum per unicum simplicissimum actum, non solùm *realiter*, sed etiam *Virtualiter intrinsecè* indivisibilem. Fundamentum est. Cùm enim objecta purè materialia nullam exerceant causalitatem in actus, qui ad ipsa terminantur, nullius prædicati in actibus reperti, nec proinde distinctionis, & alicujus intrinseci inter ipsos ordinis causa esse possunt ex se præcisè. Ex hoc autem fit, quòd multiplicitas, & distinctio sive virtualis, sive realis objectorum purè materialium, & ordo prioris ac posterioris inter se ipsa, in qualicunque aliorum in alia causalitate fundatus, nihil prorsus conferat ex se præcisè ad inducendam multiplicitatem aliquam, aut aliquod distinctionis, vel ordinis genus in actus ad ipsa tendentes. Quare si motivum formale adæquatum actûs fuerit omninò expers multiplicitatis & ordinis, nulla erit multiplicatio, distinctio, aut ordo intrinsecus in actu, quantum est ex parte objecti, utcumque sint multa & ordinata objecta materialia. Atqui motivum formale adæquatum voluntatis Divinæ, sive necessariò, sive liberè volentis, est simplicissimum, & expers omnis distinctionis, tam realis, quàm virtualis; solùmque ex parte objectorum materialium datur multiplicitas & distinctio.

Probatur istud assumptum. Quia sola Essentia Divina, quæ se solâ est omne purum Bonum, omnisque perfectio sine imperfectione, carens omni sui in se distinctione tum reali, tum virtuali intrinsecâ, est motivum formale adæquatum Divinæ voluntatis, in quo solùm ipsa tanquam in centro suo & fine, seu quasi fine adæquato conquiescit, atque inde in cætera diffunditur, non ut in causam etiam partialem ullius suæ inclinationis, appetitionis, delectationis, ac fœlicitatis fundatæ in illorum Bonitate, aut ex illis derivandæ, sed solùm ut illis omnem bonitatem & perfectionem pro cujuscunque capacitate communicet. Cùm igitur motivum formale adæquatum omnis actûs Divini sit essentia Divina, consequens est, nullum ex parte objecti præcisè secundùm se spectati aditum patere ulli multiplicitati, ac distinctioni seu reali, seu virtuali actuum Dei liberorum. 4.

Ex sententiâ Divi Thomæ *cit. q. 1. art. 3.* Cajetani, Medinæ, Sylvij *ibidem.* Capreoli *in 3. dist. 1. q. un. ar. 1. concl. 1.* Ferrariensis *cont. gent. cap. 55. §. circa prædicta.* Divi Bonaventuræ *in 3. dist. 1. ar. 2. q. 2.* Ægidij *in 2. dist. 36. q. 2. ar. 2. in corp.* Lessij *disp. de prædest. Christi. sect. 1.* Vasquezij *disp. 10. cap. 4.* Cardin. de Lugo *de Incarn. disp. 7. n. 2.* Mæratij *præs. disp. 9. de incarnat. sect. 1.* Valent. *disp. 1. q. 1. punc. 7.* Pesantij *disp. 1. ad præs. ar. 3.* Puteani *ibi. concl. 2. & 3.* Nazarij *cont. un. concl. 1.* Joannis à Sancto Thomâ *citati ar. 2. n. 33.* Petri Labat *cit. disp. 1. dub. 3. §. 1.* dici debet, In Deo unicum ab æterno extitisse decretum Incarnationis, prævisionem peccati consequens, ut adeò verum sit, Christum, Adamo non peccante, non esse venturum. 5. Fundamentum desumitur ex sacris litteris. Ratio enim Decretorum nobis innotescere nequit, nisi per Divinam revelatio- 6.

velationem. At Divina revelatio tum sacris litteris, tum Oecumenicis Concilijs exposita non aliam Divinæ Incarnationis assignat causam, & rationem propter quam, nisi Redemptionem humani generis, hominumq; salutem. Sic enim 1. *ad Timoth.* 1. habetur; *Misit Deus Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Sic in Nicæno symbolo fatetur Ecclesia, quòd Filius Dei descenderit de cœlis, & incarnatus sit propter nostram salutem. In his autem in sensu proprio acceptis insinuatur causa incarnationis *quoad substantiam* spectatæ, non verò quoad circumstantias duntaxat mortalitatis, & passibilitatis. Dicendum igitur, substantiam incarnationis, non nisi ex motivo redemptionis & salutis hominum, consequenter ad prævisionem peccati, fuisse primò efficaciter intentam à Deo: attestante Sancto Leone Papâ *serm. 3. de Pentec. Quòd, si homo in perfectione & honore, quo creatus est, permansisset, creator creatura non fieret.*

7. Joannes à Sancto Thomâ *n. 48. ac sequentibus.* præfatam doctrinam explicans & confirmans, asserit; ante Decretum efficax prædestinationis Christi fuisse in Deo Decretum pertinens ad providentiam generalem, per quam determinatum fuerit, ut creatura rationalis haberet *esse* & *gratiam*; Exinde visam esse naturam humanam cadere, & tunc incepisse ordinem prædestinationis, & Decreti efficacis circa Christum; incepisseque hunc mundum habere Christum pro fine, secundùm efficacem voluntatem producendi illum, ut ordinaretur efficaciter ad illum. Fundamentum ab eodem Authore deductum est. In hoc enim secundùm Divum Thomam differt providentia generalis à prædestinatione, quòd ista respiciat exitum seu eventum rei, illa verò respiciat impositionem ordinis in rebus. Unde priùs intelligitur in Deo providentia generalis circa ordinem naturæ & gratiæ, quàm intelligatur ordo prædestinationis & efficacis circa supernaturalem finem decreti. Ex hoc autem rursus fit, Deum, quando decreverat creare mundum, & ordinem gratiæ, non intendisse aliquem finem supra omne debitum, & voluntariè rebus impositum, sed finem duntaxat connaturalem & proprium illis. At exinde factum est, ut, quia Deus in primâ suâ providentiâ homini non decrevit efficaciter finem supernaturalem, sed gratiam duntaxat ab intrinseco ordinatricem ad finem ejusmodi, consequenter efficax prædestinatio inciperet primùm post decretum Generalis providentiæ, ubi prævisum erat genus Humanum casurum à fine, in quem ordinabatur per gratiam. At tunc efficax ad finem supernaturalem prædestinatio incepit à fine hominis reparativo, ac spectato sub statu reparationis efficaciter ad ejusmodi finem ordinantis reliquas creaturas & totum Universum, etiam secundùm esse naturale, non quidem absolutè consideratum, sed prout est pars statûs reparationis, ac inducens illam reparabilitatis rationem. Cùm igitur Christus sit finis hominis reparativus, hic autem finis *formaliter* debeat esse intentus sub motivo remedij peccati; consequens est, Christum eatenus esse finem totius Mundi, sub statu reparationis spectati, ut tamen efficaciter non sit prædestinatus, nisi post prævisionem peccati.

CONCLUSIO.

IN Deo est unicum, *virtualiter* etiam 8.
indivisibile decretum Incarnationis efficaciter præfinitivum post prævisionem peccati Adæ; ita tamen, ut per hoc decretum Deus instauraret omnia in Christo, quatenus totum Universum tunc voluit ex efficaci intentione Christi, quà Finis & Capitis universarum creaturarum.

Explicatur & probatur. Tanta enim voluntatis Divinæ est efficacia, ut respectu uniuscujusque objecti creati à se absolutè secundùm existentiam voliti, habeat rationem actualis effectricis causalitatis. At licèt Deus antecedenter ad peccati prævisionem in priori rationis signo habuerit decretum efficax de Mundo producendo: in signo tamen posteriori post prævisum peccatum volens Verbi Divini Incarnationem in peccati remedium, pro tunc absolutâ suâ voluntate voluit Christi, quà Universorum Finem, & Caput. In hâc autem voluntate absolutè voluit Universum quoad omnes suas partes, suique actualem existentiam, & primâ productionem, quà ordinabiles in Christi ceu Finis sui gloriam. Quæ proinde Divina volitio; 9.
Mundi existentiam, ejusque productionem, licèt in primo creationis Decreto jam præintentam, atque ut sic in æternitate *realiter causaliter* præexistentem, *absolutè* intendens, habet rationem causalitatis propter Christum, ceu Finem effectricis omnium creaturarum, quæ unquàm extituræ essent in tempore. Verum igitur est, decretum Incarnationis præfinitivum in Deo esse actualiter causativum totius Universi, omniumque ejus partium, atque adeò, licèt peccati prævisionem, & à fortiori primum Creationis decretum secundùm aliquod rationis signum sit posterius; esse tamen prius Mundi creatione secundùm æternitatem, prioritate non durationis *præcisè*, sed causalitatis effectricis, Deo *formaliter* immanentis, ac *virtualiter* transeuntis. 10.

Respondebis. Non esse, cur ipsam Mundi substantiam, ejusque primam existentiam ac productionem, sed harum duntaxat in Christum, ceu Finem ordinabilitatem dicamus, fluere ex decreto Christi præfinitivo, tanquàm causalitate sui effectrice.

Contra. Cùm enim ex Dei voluntate res ha- 11.
beant *Esse*, adeò ut apud Deum hoc sit velle, quod facere, ex sancto Augustino *in Psalm. 144. vers. 18.* Idcircò firma manet illa propositio, quòd in tantum sit aliquid à Deo effectum, in quantum secundùm existentiæ statum est volitum. At in decreto Incarnationis Christus ita est volitus, tanquàm Finis Universorum, ut prima etiam Mundi productio ac existentia cum omnibus ac singulis partibus ejus esset à Deo volita propter Christum quà Finem.

Probatur istud assumptum. ex illo *Proverb. 8.* 12.
Dominus possedit me in initio viarum suarum. Nam istum Sacrum textum procedere de sapientiâ Dei, non tantùm genitâ in æternitate, sed etiam quà incarnatâ, tradunt sancti, Athanasius *Orat. 3. contra Arrianos.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. thesauri. cap. 4. & 8.* Epiphanius *Hæresi. 67. n. 24. Nonnulli*, inquiens, *orthodoxorum Patrum locum illum Salomonis*

tionis de incarnatione Christi interpretati sunt : Dominus possedit me & fundavit me ; estque hic demum sensus pietati consentaneus. Atque Septuaginta interpretes locum illum sic legunt: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, in vel, ad opera, sua.* Cui versioni adstipulatur sanctus Augustinus 1. *de Trinitate. cap. 12. Secundum formam,* inquiens, *servi dictum est, Dominus creavit me initium viarum suarum.* Ex quo adeò fit consequens, Deum per Incarnationis Decretum fundasse, & creasse Christum, quà initium viarum suarum, cùm causalitatis ordinatione in, & ad opera sua. De quâ proinde Christi ordinatione accipi potest illud ex *citato Proverb. 8. cap.* desumptum. *Ab aeterno ordinata sum.* At Christus per aeternum Incarnationis decretum praefinitus, & ut sic in aeternitate fundatus, & creatus, non poterat in, & ad opera Dei habere ordinem causalitatis efficientis, sed finalis duntaxat.

13. Probatur istud assumptum. Causalitas enim efficiens ex parte sui principij requirit physicum propriae ac Principio intrinsecae existentiae: Christus autem quà praeintentus in illo Incarnationis decreto habebat statum tum intentionalem, tum physicum, non in suâ propriâ existentiâ, sed in sui effectrice causalitate. Ejusmodi verò in praefinitivo Dei decreto status, *Causaliter* ac *intentionaliter* praecontinens actualem Christi existentiam, sufficiebat, ut Christus ex divinae voluntatis ordinatione exerceret causalitatem finalem erga universas creaturas, quarũ erat initium seu principium. Cùm igitur Deus, antequàm quidquam faceret, in suo Divino Incarnationis Decreto possederit Christum, ab aeterno illum ordinando viarum suarum initium ad opera sua, consequens est, Christum in Decreto Incarnationis quà Finem universorum eatenus fuisse praefinitum, ut Deus voluntatis suae ordinatione totum universum, quoad primam etiam sui productionem, & omnes sui partes vellet propter Christum. Ergo quia volitio objecti creati in Deo est ejus effectio; consequenter Deus universas creaturas decreto incarnationis volens propter Christum, per decretum ejusmodi exercuit causalitatem efficientem in universas creaturas, etiam quoad substantiam & existentiam, & primam sui productionem spectatas.

14. Replicabis. Ex hoc evinci, quòd in Dei voluntate esset *virtualiter* duplex Mundi effectrix causalitas: Altera creationis: Altera verò Incarnationis Decretum. At unius effectus non posse dari nisi unicam actionem effectricem.

15. Contra. Nam esto, quòd ad unum effectum non posset simul terminari duplex adaequata & totalis transiens Dei actio; attamen haud repugnat, duplicem *virtualiter* distinctam Divinae voluntati immanentem actionem terminari ad unam numero productionem temporalem.

16. Probatur istud assumptum. Tum quia in uno Deo distinguuntur *virtualiter* Intentio, Imperium ac Executio finis, velut *in 1. tom.* ostensum est, & dicetur *infra.* Atqui singuli eorum Deo immanentium actuum, tendentes in unius objecti creati productionem, habent ex se vim Totalis ad extra tendentis, & *virtualiter* transeuntis actionis.

17. Tum quia in ipso ordine intentionis, ut sic distingui circa Deum possunt *virtualiter* diversa motiva, atque adeò Decreta. Etenim Deus ad suam infinitam Increatae in se omninò independenter subsistentis Bonitatis communicabilitatem respiciendo, potuit velle sui ad extra communicationem quoad naturae & gratiae ordinem, non verò quoad ordinem Hypostaticum. Deinde ordine gratiae in genere humano, per peccatum exciso, cùm ad reparationem Justitiae unicus sufficere possit Hypostaticus ordo, potuit & hunc taliter voluisse, ut, quià Christus per suam excellentiam haberet intrinsecam aliquam omnium ad se tanquam Finem ordinabilitati convenientiam, in decreto Christi praefinitivo universae creaturae, licèt pro priori rationis signo per creationis decretum praefinitae, essent volitae propter Christum quà Finem universorum.

18. Cum ergò in Deo distingui debeat duplex *virtualiter* diversum Decretum, tum creationis primam Mundi productionem, ejusque universas partes, quà Voluntate antecedenti in Dei praecisè gloriã referibiles attingens; tum Incarnationis Decretũ, easdẽ creaturas, quà etiam in Christum seu Finem ordinabiles, voluntate peccati praevisionem consequente attingens: Hoc autem utrumque decretum ex intrinsecâ voluntatis Divinae efficaciâ erga objectum à se volitum habeat rationem causalitatis effectricis: Consequens est, in Deo dari duplicem Universi productricem Deo *formaliter* immanentem, sed *virtualiter* transeuntem causalitatem, licèt non nisi unicâ extra Deum transeunte actione sit Mundus in tempore productus.

19. Dices. Totam rationem, cur universas creaturas dicamus propter Christum in decreto Incarnationis volitas, atque adeò effectas fuisse, in eo sitam se tenere, quòd Christus à Deo fuerit ordinatus, quà Finis universorum, omnesque adeò creaturae ex praefinitivo Incarnationis Decreto receperint aliquam erga Christum ordinabilitatem. At non videri, quaenam sit ista ex parte creaturarum erga Christum referibilitas, nisi ponatur in aliquâ impressione intentionali in universis creaturis receptâ, earumque *intrinsecè* ordinativâ in Christum quà Finem. Ejusmodi verò impressionem ad Christum relativam non posse non esse supernaturalem. At sine fundamento dici, quòd ante realem Verbi incarnationem primae etiam Mundi existentiae fuerit impressa quaedam supernaturalis ad Christum habitudo ac relatio.

20. Contra. Nam Deus in ipso Incarnationis decreto praeordinavit, ut Christus in primo statim conceptionis instanti haberet universum Mundum cum omnibus suis creaturis intelligibiliter expressum, non tantùm per scientiam beatam in Verbo, sed etiam per scientiam infusam. Haec autem totius Mundi intelligibiliter expressivâ repraesentatio fuit Christo Divinitùs praeordinata ex intentione gloriae Christo taliter acquirendae, quatenùs ea in Deum referendo, exinde ipsemet Christus haberet sui exaltationem & gloriam accidentalem. In hac autem Dei praeordinativâ voluntate, fuit intenta, non illa duntaxat intelligibilis in Christo expressio, sed ipsa quarumlibet rerum physica existentia; quatenùs ista tanquam objectum intelligibiliter expressum, & ut sic volitum ab animâ Christi, in hujus gloriam redundaret. In quà proinde universarum creaturarum in se intelligibiliter expressarum Christi voluntariâ ad Deum re-

latione per intentionem gloriæ Christo inde acquirendæ, in decreto incarnationis per Deum præintentiâ erat sita illa totius Mundi ad Christum ceu Finem, ex vi decreti Incarnationis præfinita ordinatio passiva. Cùm igitur Decretum Incarnationis istam passivam in Christum, ceu finem ordinationem præfiniendo, ex parte objecti per se voliti attingeret universas creaturas, consequens est; fuisse istarum ut sic
21. causativam, & effectivam.

Instabis. Ex præfatis inferri, quòd Christus vi Divini Incarnationis decreti habuerit influxum finalem erga gratiam primi parentis & Angelorum, atque horum gloriam, non accidentalem duntaxat, sed essentialem. Ex hoc autem sequi, quòd gratia primi parentis, & Angelorum fuerit in præfinitione Dei consequens Christi existentiam. Hoc verò pugnare cum doctrinâ sancti Thomæ.

22. Contra. Nam licèt Christus non meruisset Angelis aliquid quoad præmium essentiale, sed accidentale duntaxat. Hoc tamen non obstaret, quò minùs Christus vi Divini Incarnationis decreti habuisset influxum finalem erga Angelorum gloriam etiam essentialem, eorumque, sicut & Adami Primam gratiam. Probatur istud assumptum. Nam Apostolus ad *Heb. 2.* cùm
23. Christum dixisset primogenitum omnis creaturæ, asserit, omnia ei esse subjecta. Exindè verò affirmat ibidem, quòd ipse sit, proter quem sunt omnia. *& cit. cap. ad Heb.* At ly *propter* dicit causalitatem finalem. Unde quatenus Christus est primogenitus omnis creaturæ, videntur omnia ei subjecta secundùm causalitatem finalem, ex parte Dei universorum ordinatricem ad Christum, ceu Finem, propter quem sunt omnia. At ratio primogeniti importat respectu Christi causalitatem ejusdem effectricem. Hoc autem est Decretum incarnationis. In hoc ergo Decreto debuit esse vis ordinatrix omnium ad Christum, ceu finem. Ejusmodi verò ordinatrix Divino Incarnationis Decreto intrinseca, universas creaturas per modum objecti voliti attingens vis est consequenter rerum omnium, ipsiusque adeò gloriæ & gratiæ, imò & substantiæ Angelorum causalitas eatenus effectrix, ut in hâc ipsâ effectrice causalitate Christus ceu finis præintentus habeat quendam influxum finalem in gloriam & gratiam Angelorum, ac primi parentis, in eorumque substantiam. Quamvis proinde Christus non posset dici Angelorum Caput, secundùm influxum efficientem seu physicum, sive moralem ac meritorium erga gratiam & gloriam ipsorum essentialem, sed accidentalem duntaxat: Attamen quoad influxum finalem dici debet totius universi, omniumque ejus partium caput & causa.

24. Urgebis. Si proinde Christus in universas creaturas exerceat finalis causalitatis influxum: non videri, cur iste finalis influxus ponatur in decreto Incarnationis, primùm consequente peccati permissionem, non autem in antecedente Creationis decreto: Doctore præsertim Angelico *in 3. dist. 1. q. 2. art. 3.* docente, Christum venturum fuisse, peccato non existente, eò quòd per incarnationem Filij Dei non solùm liberatio à peccato, sed etiam Humanæ Naturæ exaltatio, & totius universi consummatio facta sit. Unde probabiliter sustineri posse, quòd propter illas causas, etiam peccato non existente, Incarnatio facta fuisset.

Contra. Nam Divus Thomas postea *in sum. 3. p. q. 1. art. 3.* ad mentem reducendo; quòd in sacrâ scripturâ ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, exinde concludit: convenientiùs dici, Incarnationis opus à Deo ordinatum esse in remedium contra peccatum, & consequenter, peccato non existente, Incarnationem non futuram fuisse. Cujus ratio fundamentalis per Ioannem à sancto Thomâ *cit. art. 2. à n. 40.* tradita sic deduci potest. Remedium peccati, & Humani deperditi generis salvatio in sacris litteris simpliciter asseritur tanquam causa & ratio motiva Incarnationis, *absolutè* spectatæ quoad substantiam, & non quoad modum duntaxat passibilitatis, sic enim *1. Ioan. 3.* dicitur, Deus misisse *Filium suum, non ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum.* Et *1. ad Timoth. 5.* dicitur venisse *Christus in hunc Mundum, peccatores salvos facere.* Unde Filius Dei in Symbolo Nicæno dicitur incarnatus propter nos homines, & propter nostram salutem. At ly *propter* Essentialiter importat rationem causæ moventis. Illa verò causa simpliciter exercet causalitatem motivam, à quâ in illo genere *simpliciter* pendet effectus; cùm econtra causa dicatur tantùm *secundùm quid* motiva, à quâ non *simpliciter* pendet effectus, utpote qui subsisteret sine illâ. Quare si daretur alia ratio & causa principalior motiva, propter quam Filius Dei peccato etiam non existente, incarnandus fuisset, non verificaretur *simpliciter & absolutè*, quòd Incarnatio *simpliciter quoad substantiam* penderet à motivo Redemptionis, ac salvationis hominum pecca-
torum. Hoc autem videtur pugnare cum illo 26.
indefinito, ac illimitato sacræ scripturæ loquendi modo. Unde sanctus Irenæus *adversus Hæreses. cap. 14.* asserit, *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Et, *Si non haberet sanguis Justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Et, sanctus Augustinus *serm. 9. de verbis Apostoli. Nulla,* inquit, *causa veniendi Christi fuit, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, &, nulla causa est.* Similia habet Gregorius Magnus *in 4. Reg. cap. 1.* Cyrillus *5. Dialog. de Trinitate ante med.* & alij à Vasque *præs. cap. 5.* adducti.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Ysamberti. *n. 2.* oppositum Fundamen-
tum Respondetur. Exinde rectè probari, 27.
quòd Christus in decreto Incarnationis fuerit à Deo præintentus, tanquam universorum finis ac caput. Hinc autem rectè dici primogenitum omnis creaturæ, ita ut in ipso fuerint universa instaurata & recapitulata. At verò instaurationē ac recapitulationem præsupponere creaturas, in Christo restauratas & recapitulatas, *ut ex terminis est manifestum.* Neque verò creaturas secundùm existentiæ statum posse præsupponi ad incarnationis decretum nisi quà præintentas in decreto creationis, ceu causalitate ipsarum effectrice. Hoc igitur creationis Decretum universorum in Esse tum Naturæ, tum gratiæ primò effectivum pro aliquo rationis signo in Deo præsupponi debere ad Incarnationis decretum, vi cujus omnia in Dei ad extra effectrice causalitate jam præexistentia eatenus in-

staurarem-

ftaurarentur, & recapitularentur in Christo, quatenus pro rationis instanti peccati prævisionem consequente per Decretum Incarnationis revocarentur ad Christum, seu Universorum vitalis decreti præfinitum Caput, & Finem.

28. Ad Martini de Esparza n. 3. & 4. oppositum Respondetur. Verum quidem esse *Primò*, quòd objecta purè materialia Divinæ volitionis, nequeant esse ratio & causa alicujus actibus Divinis intrinseci prædicati. *Secundò* verum esse, quòd essentia Divina possit esse unicum motivum formale adæquatum actuum Dei liberorum. Hinc *Tertiò* verum esse, quòd nulla virtualis quoque distinctio in actibus Deo intrinsecis, seu decretis Divinis liberis peti possit ex multiplicitate objectorum creatorum.

29. At falsum esse *Primò*, quòd essentia Divina quà Finis & Formale Motivum Divinæ voluntatis nullam virtualem distinctionem admittat.

Hinc *Secundò* falsum etiam esse, quòd Decreta Dei quandam ex Divinæ formalitates *virtualiter* diversas in se continentis Essentiæ motivo specificata non habeant aliquam virtualis

30. distinctionis rationem. Ratio est. Tum quia Decretum intentionis, ac executionis in eo differunt, quòd illud sit *Formaliter* specificatum ex Increatâ Dei Bonitate, quà intelligibiliter expressâ per Divinam simplicis intelligentiæ scientiam: Decretum verò executionis sit *formaliter* specificatum ex Dei essentiâ quà per dominativam voluntatis suæ vim ad sui ad extra communicationem determinatâ, & ut sic per scientiam visionis intelligibiliter expressâ. At sub priori formalitate Essentia Divina est *formaliter* specificativa ac determinativa ad rationem Misericordiæ; sub posteriore autem formalitate eadem Divina Essentia est specificativa ac determinativa ad Honestatem veritatis. Unde etiam dicitur Ps. 24. *quòd universa via Domini*, seu quòd opera Dei *sint Misericordia & Veritas*; Misericordia quidem *in ordine Intentionis*, Veritas autem *in ordine executionis*. Tum quia sicuti Divina Essentia secundùm sui ad extra Exemplabilitatem est *virtualiter* distincta in plures formalitates habentes rationem Idearum in Deo *virtualiter* distinctarum: sic simplicissima Dei Bonitas Increata comparata ad unicum Incarnationis opus potest diversimodè voluntatis Divinæ esse motiva.

31. Probatur illud subsumptum. Nam *Primò* ipsum Dei Esse habens vim infinitam ad sui effectum formalem infinitis creatis naturis mediante Personalis relativæ Hypostasis unione communicandum, posset voluntati Divinæ secundùm præcisam hanc sui communicabilitatem esse ratio *Formaliter* motiva ad decernendam Personæ Divinæ cum naturâ creatâ unio-

32. nem. *Secundò* Idem Esse Divinæ Hypostasis habens sui ad extra communicabilitatem in ratione Finis, potest secundùm hanc formalitatem esse motiva Decreti Incarnationis, in ordine ad decernendum Christum quà Universorum Finem

33. & Caput. *Tertiò*, Hæc ipsa Divinæ voluntatis motrix ratio habet in se honestatem tum Misericordiæ, tum Justitiæ saltem Eminentialis. At sub præcisâ Misericordiæ formalitate intenderetur opus Incarnationis, si antecedenter ad peccati prævisionem esset volitus Christus in primo Creationis decreto. Hâc autem Misericordiæ intentione positâ, non repugnaret, Deum peccato postea subsecuto decrevisse Christum in remedium peccati ex Justitiâ reparativum. Sicuti proindè priori decreto inesset honestas solius Misericordiæ, posteriori autem competeret Honestas Justitiæ simul ac Misericordiæ; sic oporteret, decreta ejusmodi per rationem nostram distingui, non tantùm ex connotatione objectorum moralium, sed ex intrinsecâ formalitatum Misericordiæ & Justitiæ Eminentialis distinctione virtuali.

*********)(*********

CONTROVERSIA III.

Ex quo motivo fuerit de facto decreta Verbi Divini Incarnatio?

Suppositо, quòd Mysterium istud non nisi dependenter à peccato Adami fuerit præfinitum, ità ut Adamo non peccante, Christus nullâ ratione fuisset venturus, superest, examinare modum, quo Deus in decreto Incarnationis respiciebat ad Humani generis peccatum.

Referuntur Sententiæ.

Lorca *disp. 4. de Incarn. disp. 3. membr. 2.* aliiq; *in initio hujus. art. n. 3. relati*, asserunt, in decreto Incarnationis Christum universorum Finem eatenus fuisse ordinatum in peccati remedium; ut Decretum Christi præfinitivum peccati permissionem spectaret, tanquam medium conducens ad executionem talis præfinitionis, nec adeò peccatum fuisse in Dei prævisione antecedens illam præfinitionem. Fundamentum est. Quia hac ratione explicatur, & quomodò peccato non existente, Christus venturus non fuisset, & quomodo tamen sit omnis creaturæ Primogenitus, Universorum Caput, & Finis.

Franciscus Amicus *cit. disp. 7. n. 77.* Decretum Divinum Incarnationis præfinitivum explicat, quasi Deus dixisset: volo Christum, ut exaltandum & glorificandum mediâ Redemptione, & Justificatione ut medio aptissimo, & non aliter. Adamum verò reliquosquè redimendos: volo ut medium ad Christi glorificationem. Rursus, volo incarnationem Verbi ut medium ad Justificationem hominum; Justificationem ut finem Incarnationis, & medium ad hominum glorificationem; omnia tandem ut convenientissimum medium ad Christi exaltationem, dependenter tamen à peccato Adæ præviso in eodem signo rationis, *virtualiter* futuro in Decreto efficaci. Fundamentū est. Nam priùs ratione, quàm Deus quidquam efficaciter decerneret ab æterno, prævidit non solùm simplici intelligentiâ Mundos infinitos, quos condere poterat, sed etiam scientiâ conditionatâ præcognovit, quid singulæ naturæ in varijs circumstantijs constitutæ, pro liberâ suâ voluntate operaturæ essent; inter quas prævidit etiam, Adamum sub ijs circumstantijs, in quibus de facto positus erat, peccaturum. Insuper præcognovit Deus, quàm ingens & sibi, & Filio suo promanatura esset gloria, si permisso pec-

cato in Adam & posteris ejus, Vnigenitus Dei in remedium peccati incarnaretur. Quibus adeò sub conditione prævisis, in posteriori rationis signo efficaciter decrevit Deus, condere hunc Mundum sub illis circumstantijs, sub quibus illum prævideras scientiâ conditionatâ. Hoc autem Decreto posito, conditionata de peccato Adami præscientia Divina transibat in absolutam, non formalem objecti in se existentis repræsentativam, sed virtualem objecti in causâ expressivam: siquidem purificatâ conditione, id, quod erat sub conditione futurum, fiat absolutè futurum. At verò non repugnabat, Deum pro eodem rationis signo voluisse, tum Adamum sub tali circumstantiâ, sub quâ prævisus erat peccaturus, ut priorem in genere causæ materialis Christo mediâ hominum Redemptione glorificando; tum ipsummet Christum ut exaltandum in genere causæ finalis, meritoriæ, & exemplaris priorem Adamo, & reliquis tam Angelis, quàm hominibus. Potuit ergò Christus in Divinâ prædestinatione esse primus omnium in genere causæ finalis, Meritoriæ, & Exemplaris, licèt non nisi dependenter à peccato fuerit præfinitus.

Conclusio.

3. Motivum formale & adæquatum Decreti Incarnationis est Bonitas Dei increata, quatenus hæc tum sub ratione Misericordiæ est communicativa sui *Esse Divini* secundùm Hypostaticam cum naturâ creatâ unionem, & omnimodam cum istâ unione *Connaturaliter* connexam excellentiam, tum sub ratione Eminentialis Deo inexistentis Justitiæ est communicativa Dignitatis Divinæ personalis, conferentis naturæ creatæ condignitatem perfectam ad Divinæ Majestatis offensæ reparationem adæquatam, imò superabundantem, tum sub ratione Imitabilitatis omnimodam finalis causalitatis eminentiam in se continentis, habet vim ad extra communicandi Christo rationem Finis Universorum.

4. Explicatur, & probatur. Nam omnis decreti Divini ratio formalis motiva est unica Dei essentia & Bonitas increata, per se ipsam *Formaliter identicè* specificativa, & ut sic *finaliter* motiva Amoris Divini, quà liberè se diffundentis in res creatas. Unde formale Divini Incarnationis prædefinitivi Amoris motivum est illa ipsa Bonitatis increatæ formalitas, cujus ad extra communicabilitas est voluntatis Divinæ *finaliter* motrix ad perfectionem seu Bonitatem aliquam derivandam in Christum. At in Christo invenimus 1. ipsum Divinum *Esse* mediante
5. Hypostaticâ Verbi unione communicatum naturæ Humanæ. Hæc autem *Esse Divini* secundùm unionem personalem participatio descendit ex Divino Amore, quà *finaliter* moto per formalitatem communicabilitatis Esse Divino, ejusq; Hypostasi convenientis secundùm subsistendi infinitatem, non intensivam duntaxat, sed etiam extensivam. 2. In hoc Divi-
6.

no Esse naturæ creatæ secundùm unionem p-sonalem communicato erat proportio ad omnimodam gratiæ, & gloriæ plenitudinem. Quæ proinde in ipso Divino, naturæ creatæ personaliter unito, Esse radicata proportio erat ratio, cujus intuitu Divina voluntas *finaliter* moveretur per increatam suam bonitatem, prout hæc importat formalitatem communicabilitatis secundùm gradum quasi specificum naturæ Divinæ. Hinc 3. prima Esse Divini secun- 7.
dùm Hypostaticam unionem ad extra communicabilitas, eatenus erat in Deo specificativa formalitatis Misericordiæ, ut altera naturæ Divinæ propria, gratiæ & gloriæ plenitudinem ex se profundens communicabilitas, secundu veritatis intelligibilem expressionem in Esse Divini Hypostaticâ communicabilitate quodammodò radicata esset in Divino amore specificatrix veritatis seu Justitiæ. 4. Illa gratiæ & gloriæ exempla- 8.
tiva Divinæ Bonitatis communicabilitas, potens in naturam Hypostasi Divinâ terminatam derivare vim infinitè satisfactoriam ac meritoriam, voluntati Divinæ in tantum erat ratio prædestinandi Christum in peccati Majestatis Divinæ infinitè offensivi remedium, ut in hoc decreto reluceret & Misericordia erga genus Humanum, & Justitia erga Jus Divinæ Majestatis, exigens condignam, adeòq; infinitam pro peccato satisfactionem. 5. Deus communican- 9.
do Christi Humanitati, non moralem duntaxat seu meritoriam, sed physicam etiam ad supernaturalia & miraculosa opera virtutem ac potentiam, pro formali talis sui Decreti motivo habebat *Formalitatem* omnipotentiæ quà *exemplariter* participabilis à naturâ creatâ. 6. Deus 10.
volens supereminentem erga universas res se extendentis causalitatis Finalis dignitatem Christi Humanæ naturæ communicare, habebat pro motivo formali Increatæ suæ Bonitatis, quà *Formaliter* in omnes res creatas derivabilis formalitatem. Constat igitur, Divini Incarnationis præfinitivi Amoris motivum formale & adæquatum esse Bonitatem Dei spectatam secundùm omnes in se *virtualiter* distinctas illas formalitates, quarum aliqua participatio relucet in Christo.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad Lorcæ *n. 1.* oppositam doctrinam Re- 1.
spondetur. Eam non probari nobis, quòd vi talis doctrinæ prima Divinæ Incarnationis præfinitivi decreti ratio non videatur statui in Amore ac dilectione Humani generis, sed quòd iste Amor habuerit se quasi *consecutivè* ad primam illius decreti rationem. Probatur istud subsumptum. Nam Deus in decreto In- 2.
carnationis dilexit genus Humanum, quatenus intendit hujus ex peccato sublevationem. At prima Decreti Incarnationis præfinitivi ratio non supponebat peccatū Humani generis: sed hujus permissionem ceu mediumquasi *consecutivè* inferendo, aperiebat viam sublevandi humani generis ex peccato contractam miseriam. Quomodo ergò verum esset, Deum sic dilexisse mundum, ut ex hâc dilectione Unigenitum suum daret, si hunc ex intentione remedij contra peccatum, ante hujus prævisionem efficaciter intendendo, voluit ex consequenti humani

mani generis peccatum permittere, ut denuò ex hâc miseriâ extractum reduceretur in gloriam Christi?

13. Ad Amici n. 2. oppositam doctrinam Respondetur. In eâ placere, quòd Incarnationis proximum finem ponat peccatorum Justificationem, ac istius denique finem asserat Christi exaltationem. At displicere, quòd hanc Christi exaltationem, ipsumque adeò Christum mediâ Redemptione glorificandum & exaltandum posuerit in primo Divinæ ad extra sui determinativæ voluntatis signo, antecedente omnimodam absolutam Dei præscientiam, licèt consequente conditionatam futurorum scientiam. Nam abstrahendo etiam ab istâ mediâ conditionatorum scientiâ, de quâ *in primo tomo q. 5. art. 5.* fusè disputavimus, sequens hîc occurrit difficultas; quòd Deus dici non possit ex Misericordiæ, & erga peccatores Amoris motivo decrevisse tum actionem Incarnationis, tum ipsummet etiam Christum, si pro primo decreti Incarnationis præfinitivi signo non substiterant peccata, ceu materia Misericordiæ.

14. Probatur istud assumptum. Nam aliud est, Deum in decreto remedij contra peccatum præfinitivo intendere Misericordiæ Bonum *simpliciter*, tanquam Universi perfectionem; aliud verò est, istud Bonum appetere homini peccatori, tanquam *Fini cui*. At licèt absolutè loquendo non videatur repugnare, quòd Deus Universi perfectionem volens resplendere in Bono etiam Misericordiæ, Incarnationem quà peccati remedium eatenùs voluisset antecedenter ad prævisionem peccati, ut hujus tamen permissionem, ceu medium illi fini accomodatum in signo consequente statueret. Nihilominùs ut Deus decernendo Incarnationem in peccati remedium, homini peccatori diceretur velle bonum Misericordiæ tanquam *Fini cui*, oporteret, hominem pro signo aliquo rationis antecedenter in peccati miseriâ prævisum fuisse, præscientiâ non tantùm virtuali, sed formali.

15. Probatur Istud assumptum. Signum enim virtualis præscientiæ hoc tantùm importat, tum quòd Deus per scientiam conditionatam, Adamum, si poneretur in his circumstantijs, peccaturum, totumque adeò genus Humanum originali maculâ fore inficiendum praeviderit: tum quòd Deus decreverit, Adamum ponere in his circumstantijs. Atqui pro tali signo ex parte liberi arbitrij Adami nulla adhuc supponitur determinatio, per quam se, ac genus Humanum in miseriam redemptione Christi indigentem, atque adeò damnatione dignam conjecerit: hoc enim videretur sapere errorem semipelagianorum asserentium, demerita etiam conditionalia mereri aliquam damnationem. Quare Misericordiæ Bonum ex Amore erga peccatorem huic tanquàm *fini Cui* nequit volitum esse, nisi iste præsupponatur contraxisse talem miseriam, quæ per Misericordiæ redemptionem foret tollenda, quæque consequenter damnationem aliquam promeruisset. Consequens igitur est, pro illo virtualis præscientiæ signo non posse in Deo intelligi decretum Incarnationis, imò ipsius etiam Christi ex motivo Misericordiæ erga peccatores quà *finem Cui* præfinitivum. Ergo quia Sacræ litteræ in Decreto Incarnationis maximè commendant Misericordiam, & erga peccatores ceu *Finem Cui* Amorem, consequens est, Decretum Incarnationis in Deo esse ex motivo, secundùm Divinam præscientiam præsupponente miseriam peccatorum.

COROLLARIUM.

Ex dictis infertur, sequentem circa Incarnationis Decreta formandum esse signorum rationis ordinem. Nam 1. Deus decernendo Mundi creationem, pro primo rationis signo intendebat creaturarum intellectualium elevationem ad statum gratiæ; cum auxilio perseverantiæ sufficiente duntaxat. 2. Præviderat pro secundo rationis signo lapsum Humani generis ex Adami peccato. 3. Ex suæ Increatæ Bonitatis, ejusque secundùm Misericordiæ, Justitiæ Eminentialis, Dignitatis finalis, Potentiæ, aliasque in se *Virtualiter* distinctas Formalitates, diversimodæ ad extra communicabilitatis Motivo pro tertio rationis signo præfinivit Christum, quà Redemptorem universi Humani generis, quà Justificatorem Sanctorum, illorum etiam, qui non essent perseveraturi; quà glorificatorem Electorum, quà Finé universarum creaturarum in primo creationis Decreto aliàs præfinitarum. 4. In isto porrò Incarnationis præfinitivo decreto, Christi Dignitas personalis, quà humanitati unita, habebat quidem rationem *finis Cui* Deus intenderet omnem gratiæ & gloriæ plenitudinem, cum omnimodæ Sapientiæ ac Scientiæ thésauris, Potentiam item miraculorum operativam, rationem Finis universorum, munus Redemptoris, Justificatoris, & Glorificatoris, omnemque Christo destinatam Excellentiam, exaltationem, & sublimitatem. Nihilominùs inter Formalitates Increatæ Bonitatis, per sui ad extra communicabilitatem, Divini Incarnationis præfinitivi decreti *finaliter* motivas, ac illarum Christi excellentiarum exemplativas, nullus in ordine ad Incarnationis decretum intelligitur ordo, sed omnes ejusmodi formalitates per modum unius simplicissimi motivi, secundùm idem rationis signum intelliguntur specificativæ illius Divini decreti. Verùm 5. Inter ipsas Christi Excellentias ex illo Divino Decreto *Efficienter*, ac ex illarum Bonitatis increatæ Formalitatum communicabilitate *Finaliter*, nec nòn ex harum exemplabilitate *Idealiter* causatas talis subest ordo, ut omnium secundùm connaturalitatis exigentiam radix sit dignitas & sanctitas Christi Personalis, deindè Excellentia Dignitatis illius (secundùm quam Christi Humanitas super omnia foret exaltanda) esset ratio finalis cæterarum Redemptoris, Glorificatoris, Justificatoris, Miraculorum patratoris, Dignitatis denique erga universas res creatas Finalis Excellentiarum.

Hinc 6. Istarum Excellentiarum Christi, nec non actuum ex his promanantium subordinationem eatenus esse ex Divini decreti causalitate, ut hæc tamen non ratione sui, quoad intrinsecam ex Bonitatis Increatæ *virtualiter* licèt distinctis formalitatibus ceu motivis Formalibus specificationem; sed quoad objecta duntaxat materialia, suosque adeò effectus, contraheret aliquam prioritatis ac posterioritatis subordinationem.

✱✱✱✱✱✱✱✱(✱)✱✱✱✱✱✱✱✱

CONTROVERSIA IV.

An, & quomodo verificetur, Christum venisse principaliùs ob culpam originalem, quàm ob actualia hominum peccata?

1. EX duplici capite dici potest, Christum principaliùs venisse ob peccatū Originale. 1. Quòd, licèt Sacris litteris clarè attestantibus, ex vi decreti Divini fuerit missus ad remissionem peccatorum tam actualium, quàm originalis peccati, hujus tamen delectio esset Divinius & majus Bonum, quàm actualis culpæ remissio, tantò enim principaliùs ad alicujus peccati deletionem, D. vo Thomâ *præs. q. 1. art. 4.* affirmante, venit Christus, quantò istud peccatum majus dicitur. At peccatum actuale est *Intensivè* majus originali: hoc verò est majus *Extensivè*: siquidem totum humanum genus inficiat; cùm econtra actualis culpa singulas duntaxat personas afficiat. Unde Christus tantò principaliùs dici potest, venisse ad tollendum originale peccatum, quantò bonum Gentis, teste Philosopho 1. *Eth cap. 2.* Divinius ac eminentius est bono unius. 2. Circa illam propositionem, quâ dicitur, Christum principaliùs venisse ob peccatum originale; sequens formari potest controversia, *An scilicet existente solo originali peccato, Christus adhuc venturus fuisset, non autem econtra solis actualibus peccatis existentibus, venisset ex vi præsentis decreti?*

Referuntur sententiæ.

2. VAsquez *præs. disp. 13. cap. 2.* affirmat, solo Originali in posteros transfuso, ac nullo actuali peccato existente, Verbum fuisse incarnandum vi præsentis Decreti: Econtra verò actualibus sine Originali futuris in posteris Adami, incarnandum non fuisse.

Fundamentum ab Amico *præs. disp. 7. n. 153.* deductum, sic se habet. Manente eodem objecto & motivo, manet idem decretum. At Deus vi præsentis decreti Incarnationis præfinitivi intendit afferre remedium peccato universum genus humanum inficienti. Hoc verò peccatum est Originale, non autem Actuale. Ergo solo Originali existente, vi præsentis decreti venisset Christus, cùm econtra solis existentibus Actualibus, non staret decretum de incarnando Verbo Divino, Gregorio Magno *in 1. Reg. cap. 1. post medium* ita disserente: *Et quidem nisi Adamus peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.*

3. Amicus citatus prædictam Vasquezij sententiam limitat, asserendo; nullis actualibus peccatis existentibus, Verbum adhuc incarnandum fuisse, vi præsentis decreti inadæquati quasi, non verò adæquati.

Fundamentum est. Nam præsens decretum non solùm terminatur ad remedium Originalis, sed etiam ad remedium actualium peccatorum; à quibus Christus nos liberat: siquidem se extendat ad omne id, quod de facto fit; cùm nihil fieri possit nisi ex voluntate Dei.

Cardinalis de Lugo *disp. 7. sect. 5.* rem istam expedit, asserendo, *primò* Deum forsitan ante Incarnationis Decretum non prævidisse peccata actualia *absolutè* & *determinatè* futura, sed solùm in radice inducente necessitatem, ut essent plura actualia peccata. 4.

Fundamentum est. Quia hæc peccata de facto non fiunt sine interventu auxilij sufficientis ad vitandum peccatum. Illud verò auxilium datur ex meritis Christi. Unde fit consequens, ante merita Christi prævisa Deum non habere animum absolutum conferendi auxilium sufficiens. Ergo ante Christum prævisum non vidit Deus peccatum actuale re ipsâ futurum cum tali auxilio.

Secundò. Si ex originali peccato non deberent necessariò subsequi peccata actualia, tunc illud quidem non tam allecturum fuisse Deum ad remedium, sicuti nunc, in eo tamen casu adhuc venturum fuisse Christum. 5.

Fundamentum est. Quia adhuc maneret Motivum potissimum veniendi, scilicet infectio totius naturæ Humanæ, & exclusio à Beatitudine.

Tertiò. Ablato Originali, licèt essent actualia, Christum non venturum fuisse ex vi præsentis decreti. 6.

Fundamentum est. Quia ablato Originali peccato, licèt alij forsitan actualiter peccarent (quod tamen alij negant) non omnes, sed pauciores laberentur in peccatum, manente in ijs naturâ integrâ, & Justitiâ originali. Non ergo maneret natura Humana omninò frustrata fine Beatitudinis, sed solùm quoad aliqua individua; sicut de facto natura Angelica. Quare tunc non haberet Deus motivum, quod de facto habuit.

Nazarius *præs. q. 1. art. 4. concl. 1. 2. & 3.* Labat *disp. 1. de incarn. dub. §. 3. coroll. 3.* docent, esse saltem probabile, quòd deficiente peccato non tantùm originali, sed etiam actuali duntaxat, vi præsentis decreti Christus non venisset. 7.

Fundamentum ex Nazario desumptum est. Quia Originale non præcisè, sed quatenus est fons omnium peccatorum, est potissima causa adventûs Domini; ac proinde si non essent alia peccata futura, nec venisset Christus.

CONCLUSIO.

SOlo Originali peccato existente, idem subsisteret motivum, ex quo Deus de facto decrevit Incarnationem: non tamen subsisteret idem Objectum materiale Decreti Divini; nec adeò dici potest, Christum ex vi præsentis decreti venturum fuisse. 8.

Probatur. Nam Incarnationis præfinitivum decretum per modum objecti materialis attingebat in æternitate omnes illos effectus, qui exinde in tempore promanaturi erant. Hi verò sunt Hypostasis Increatæ communicatio & unio cum naturâ Humanâ; Dignitas erga universas res creatas, Finalis Excellentia Glorificatoris erga Electos, Justificatoris erga temporaliter etiam justos, Redemptoris quoad sufficientiam erga omnes homines; & consequenter Christi merita universa etiam in particulari, omnisque

etiam cuivis homini sive prædestinato, sive reprobo per illud Incarnationis decretum dependenter à Christi meritis præfinita gratia, ac quorumlibet tam originalis, quam actualium peccatorum, sive mortalium, sive venialium remissio.

9. Isti proinde effectus omnes in unam Christi super omne nomen exaltationem reducebantur ex vi & causalitate Divini Incarnationis præfinitivi decreti, cujus formale motivum erat Increata Bonitas, divinæ ad extra voluntatis *Finaliter* motrix quà effectuum illorum *Eminenter* præcontentiva. At verò Divina voluntas intelligi posset *Finaliter* mota ex iisdem Increatæ suæ bonitatis formalitatibus, etiamsi nullis actualibus peccatis existentibus, solum originale peccatum Deo fuisset occasio, seu ratio prædestinandi Christum.

10. Probatur istud assumptum. Quia licèt ad peccati duntaxat prævisionem libera Dei voluntas respexerit tum in motivum Misericordiæ in Unionis Hypostaticæ, omnisque Christo participatę Dignitatis communicatione relucentis, tum in motivū Justitiæ in decernendo medio Juris divini ad æqualitatem reparativo resplendescentis. Ejusmodi tamen & quarumvis Increatæ Bonitatis formalitatum motiva *finaliter* excitare poterant divinam voluntatem ex prævisione solius peccati originalis, licèt tunc per hanc liberam voluntatis divinæ determinationem illa motiva non ad æquè plures effectus se extendissent. Ergo nullis peccatis actualibus existentibus, Divina voluntas ad solius originalis peccati prævisionem posset intelligi *Finaliter* mota ex iisdem Increatæ Bonitatis suæ formalitatibus, licèt tunc aliqua esset diversitas quoad effectus, atque adeò quoad materialia objecta decreti Incarnationis præfinitivi. At per hanc objectorum materialium diversitatem arguitur Bonitatis Dei Increatæ, ad sui participationem extensio *virtualiter* alia ab illâ, quæ de facto est in divinâ voluntate. Hæc autem virtualis & causalis ad extra participativa Increatæ Dei Bonitatis extensio est ipsummet decretum Divinum *finaliter* motum ad extra ex Increatæ Bonitatis, ejusque exemplabilitatis formalitatibus. Consequens igitur est, ex vi decreti de facto existentis in Deo non venturum fuisse Christum, si nullis actualibus peccatis existentibus, sola originalis culpa esset à Deo prævisa.

11. Dices. Si diversitas objectorum materialium arguat in Deo decreta *virtualiter* diversa, sequitur, posse de facto distingui *virtualiter* decreta Incarnationis præfinitiva, ita ut unum sit Christi præfinitivum quà Universorum Finis, aliud sit ejusdem prædestinativum quà Redemptoris. Probatur ista sequela: Quia decretum Christi quà universorum Finis præfinitivum de se efficax intelligitur sub virtuali extensione ad illum præcisè effectum, non verò ad redemptionem Humani generis. Ergo jam potest intelligi in Deo decretum Christi efficaciter præfinitivum cum abstractione ab effectu ac munere Redemptoris.

12. Contra. Nā in Decretis Divinis dupliciter intelligi potest virtualis distinctio: altera ex diversitate signorum seu instantium rationis habentiū in ipso Deo fundamentum eminentiale: cujusmodi sunt decretum intentionis, ac executionis, hoc enim *virtualiter* supponit præscientiam effectûs efficaciter præintenti, illud verò est *virtualiter* antecedens istam visionis scientiam, utpotè hujus objectum formale specificativum. Pari proinde ratione in Deo esset *virtualiter* duplex Incarnationis decretum, si Christus quà universorum Finis *antecedenter* ad peccati prævisionem, sed quà redemptor *consequenter* ad culpæ originalis præscientiam esset præfinitus. At ejusmodi in decreto Incarnationis præfinitivo distinctionem non esse admittendam, contra Scotum, & alios probavimus *præf. cont. 2.* Altera proinde in decretis Divinis virtualis distinctio est *secundùm extensionem virtualem*, seu *rationis habitudinem ad diversa objecta.* Hæc autem virtualis ad objecta materialia extensio quandoque consideratur *solùm inadæquatè*, cum præcisione alicujus objectorum seu effectuum inter se ad unum finem coordinationis: quo modo singulas Universi species absq; aliquâ ad Universi Bonum ceu finem coordinatione considerando, secundùm diversas Increatæ Bonitatis formalitatum ad extra communicabilitates ac exemplabilitates, distinguimus in Deo diversa *virtualiter* decreta. Pari ergo ratione in Decreto Christi præfinitivo diversas ad extra tum Dignitatis Universorum finalizativæ, tum universalis *quoad sufficientiam* Redemptoris, tum particularis erga Electos Glorificatoris participationes cōsiderando, absq; aliquâ intrinsecâ inter se, coordinatione possumus diversa circa Christum decreta in Deo distinguere. Quare Divinæ voluntatis ad extrà extensio *Virtualis* aliter consideratur *adæquatè* secundùm aliquam effectuum respectu unius finis coordinationem. Hoc autem modo spectantur universæ Mundi hujus species, imò & individua, quatenus ex Divinæ providentiæ causalitate ac efficaciâ referuntur ad Bonum Universi, situm in quādam Divinæ Increatæ Bonitatis Formalitatum in creaturis relucentiâ, seu gloriâ Divinæ perfectionis manifestativâ sub omnigenâ specierum in unum Dei gloriæ reductarum varietate. 13.

Unde sicuti hoc Universi bonum ex unius etiam speciei defectu oporteret esse variatum, sic consequenter creationis Decretum omnium rerum creatarum ordinativum ad hoc Universi Bonum, oporteret, *virtualiter* esse aliud, quàm sit de facto, si vel unica specierum creatarum de facto non existeret. At verò Divinum Incarnationis Decretum *adæquatè* consideratum intelligitur cum efficaciâ omnis Christo inexistentis dignitatis, omnisque ex decreto illo emanantis effectûs ordinatrice ad unum Christi Gloriæ, & super omne nomen Exaltationis finem. Quare si vel unius ejusmodi effectuum v.g. actualium peccatorum remissio non existeret, sequeretur, Decretum Incarnationis præfinitivum, & ut sic omnium ordinis Hypostatici effectuum sub uno Christi exaltationis fine in Dei Increatam Bonitatem *Finaliter* ordinativum, fore *virtualiter* aliud, quam de facto sit in Deo. At verò quæstio hujusmodi; *An peccatis actualibus non existentibus ex vi præcedentis decreti Divini Christus venturus fuisset?* non potest procedere de Decreto Incarnationis præfinitivo, nisi quatenus consideratur *adæquatè*. Cum igitur ex Sacris literis certò constet; Verbum fuisse de facto Incarnatum, ob redemptionem à peccato non duntaxat originali, sed à culpis etiam actualibus, consequens est, absolutè ac simpliciter negari debere, Christum 14.

ſtum, non exiſtentibus actualibus peccatis, venturum fuiſſe.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

15. AD Vaſquezij *n. 2.* oppoſitam doctrinam, ejuſque ex Amico petitum fundamentum Reſpondetur. Ad hoc, ut in aliâ rerum ſerie non eſſet *virtualiter* aliud, quàm modò ſit, Decretum Dei; oportere, non Motivum præcisè, ſed etiam effectus ad finem iſtorum eſſe eadem. Unde licèt Deus ex eodem Increatæ Bonitatis ſuæ motivo æquè poſſet *finaliter* moveri ad redemptionem à peccato duntaxat originali: quia tamen ex parte effectuum, atque adeò virtualis ad objecta materialia Extenſionis in voluntate Divinâ eſſet aliqualis varietas, ſequi, peccatis actualibus non exiſtentibus, Verbum ex vi præſentis Decreti Divini non fuiſſe incarnandum.

16. Ad Amici *n. 3.* oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Non videre nos, qualiter Amicus procedat conſequenter. Nam eo ipſo, quòd, peccatis actualibus non exiſtentibus, non fuiſſet idem *adæquatè* Decretum Incarnationis, abſolutè dici deberet Chriſtus vi præſentis decreti non fuiſſe venturus ob ſolum originale peccatum, *uti ſupra probatum eſt.* Neque obſtant Patres ab Amico *cit. n. 15.* allegati: cùm hi ſolùm dicant, Verbum fuiſſe incarnatum ratione peccati originalis, abſtrahendo à peccato actuali: abſtrahentium autem neque ſit affirmatio, neque negatio.

Ad 1. Cardinalis de Lugo *n. 4.* oppoſitum Fundamentum

17. REſponſio. In effectibus ex Divino Incarnationis Decreto promanantibus eſſe quidem aliquam cauſalitatis ſubordinationem: Siquidem merita Chriſti ſint *cauſalitatis ordine* priora auxilio efficaci ad potentiam ſupernaturaliter operandi requiſito, atque adeò ad peccatum ejuſmodi ſupernaturalis rectitudinis privativum præſuppoſito. Nihilominùs in intentione Incarnationis præfinitivâ omnes hujus effectus fuiſſe ordinatos efficaciter in unum finem exaltationis Chriſti, atque adeò in intentione & per hanc actuatâ præſcientiâ Divinâ non fuiſſe priorem redemptionem à peccato originali, quàm actuali. Falſum igitur eſſe, quòd Deus non æquè actuale, ac originale peccatum præviderit ante Incarnationis decretum.

Ad 2. ejuſdem de Lugo *n. 5.* oppoſitum Fundamentum

18. REſponſio. Nullis actualibus peccatis exiſtentibus, fore diverſitatem in effectibus per decretum Incarnationis præfinitis, & ut ſic ad Chriſti nominis exaltationem præordinatis. Sicuti ergo idem Author per Fundamentum *n. 6.* propoſitum probat, ablato originali, licèt eſſent actualia peccata, Chriſtum non venturum fuiſſe ex vi præſentis decreti, ſic à pari negandum eſt, Verbum Divinum fuiſſe incarnandum, ablatis peccatis actualibus.

IESUS

ARTICULUS II.

AN *Efficacem Chriſti prædeſtinationem in prævisione Dei præceſſerit aliquod meritum, cujus intuitu decreverit Deus Verbi Divini Incarnationem?*

TRiplex hic occurrit diſcutienda controverſia. 1. *Utrùm Humanitas Chriſti pro aliquo naturæ inſtanti poſſet intelligi cum virtute promerendi unionem ad Verbum?* 2. *An ſuppoſitâ efficaci Chriſti Domini, ejuſque adeò meritorum præfinitione, merita Chriſti ſecundùm hanc efficacem intentionem jam præſcita, potuerint eſſe ratio motiva Incarnationis quoad Executionem?* 3. *Utrùm Incarnatio potuerit eſſe ex meritis ſaltem congruis aliquorum Patrum, ſeu Virginis Deiparæ?*

CONTROVERSIA I.

An Humanitas Chriſti pro aliquo Naturæ inſtanti poſſet intelligi cum virtute promerendi unionem Hypoſtaticam?

DIvus Auguſtinus *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 15.* Item *lib. 13. de Trinitat. cap. 17.* aperte negat, Humanitatem Chriſti de facto meruiſſe unionem ad Verbum. In quem ſenſum *lib. de corrept. & grat. cap. 11.* taliter diſſerit. *Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unione Perſonæ aſſumptus, filius Dei unigenitus eſſet, unde meruit? Quod ejus bonum qualecunque præceſſit? Quid egit ante, quid petivit, ut ad hanc excellentiam ineffabilem perveniret? Nonne faciente ac ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cœpit, filius Dei eſſe cœperat?* Quare controverſia non de facto, ſed de poſſibili procedit: *An, & cur repugnet, Humanitatem Chriſti meruiſſe, imò de potentiâ Dei abſolutâ mereri potuiſſe unionem ad Verbum?* 1.

Referuntur Sententiæ.

NAzarius *3. p. q. 2. art. 11. quæſt. 3. §. Nunc de merito ordine tantùm naturæ Hypoſtaticam unionem præcedente* docet. 1. Si Chriſti Humanitas propriam habuiſſet exiſtentiam, aut priùs naturâ fuiſſet aſſumpta ad exiſtentiam, quàm ad ſubſiſtentiâ (quod ex probabili Aſturicenſis, non autem propriâ ſententiâ ille author poſſibile aſſerit) tunc potuiſſe per gratiam à Deo acceptam ſibi mereri Perſonalem cum Verbo unionem. 2. Si Chriſti Humanitas non habuit exiſtentiam priùs naturâ, quàm aſſumeretur à Verbo, impoſſibile fuiſſe, quòd Perſonalem cum Verbo unionem mereretur priùs naturâ, quàm uniretur, 2.

uniretur. Fundamentum est. Quia ad operandum simpliciter necessaria est ipsius operantis existentia. Hac verò unicè positâ, jam potest natura per Dei gratiam opera meritoria operari. Cùm proinde Humanitas Christi non existeret, nisi per Verbi existentiam, mediante hujus unione personali sibi communicatam, consequens est, illam non potuisse mereri talem unionem.

3. Cardinalis de Lugo *præs. disp. 8. sect. 3. n. 2.* ubi illationem proximè factam asseruisset, niti falso principio, ex communi Theologorum sententiâ sequens ponit Fundamentum. Nam Humanitas antecedenter ad Verbi unionem pro priori naturæ nequit intelligi subsistens. At subsistentia est conditio prærequisita ad operandum; siquidem actiones sint suppositorum ex Aristotele *in varijs locis*, Joanne Theologo in Concilio Florent. *sess. 18.* & Damasceno *l. 3. de fide, cap. 15.*

4. Vasquezius *præs. disp. 21. cap. 3.* late impugnans Fundamentum proximè positum, illud axioma, *Actiones sunt suppositorum*, negat esse Aristotelis & Damasceni, nec multùm valere arbitratur authoritatem Joannis Theologi in Concilio Florentino, non ex hujus authoritate, sed ex communi Theologorum sententiâ proferentis illud axioma. Idem proinde author *cap. 6. à n. 50. præsertim*, sequens adstruit fundamentum. Opera enim Humanitatis Christi fuissent personalis cum Verbo unionis meritoria, vel quatenus digna redderentur ab ipsâ unione, vel quatenus profecta ex solo gratiæ operantis & cooperantis auxilio, priùs naturâ considerarentur effecta digna ex gratiâ habituali. At primum dici non potest: siquidem unio Verbi tunc esset causa Dignitatis operum, essetque adeò principium meriti; Principium autem meriti cadere non potest sub meritum. Neque secundum dici potest, quia & gratia habitualis, & quodlibet gratiæ auxilium debet considerari ut posterius unione Hypostaticâ, alioquin enim si gratia habitualis data fuisset Christo, non ratione unionis Hypostaticæ, daretur ex solo affectu adoptionis, siquidem illa gratia secundùm se constituat filium Dei adoptivum, non naturalem. Atqui adoptio repugnat cum personali naturæ Humanæ ad Verbum unione.

5. Cardinalis de Lugo *cit. sect. 1. n. 4.* refutans illam Vasquezij rationem, tandem *n. 7.* non tam ex illo in Aristotelis fundato Axiomate, *Actiones sunt suppositorum*, quàm ex isto principio *modus operandi sequitur modum essendi*, pro instituto præsenti efficax arbitratur desumi argumentum. Nam omnis operatio videtur supponere modum essendi, ut ipsum imitetur, & cum ipso proportionetur. At natura constituitur per subsistentiam in suo modo essendi determinato, ut postea operationes proportionentur cum naturâ non utcunque, sed cum naturâ prout habente talem modum essendi, magis, vel minùs perfectum. Ergo pro signo priori ante subsistentiam nulla operatio potest procedere à naturâ.

6. Joannes à Sancto Thomâ *disp. 5. de Incar. ar. 2. n. 8.* repugnantiam ad promerendam unionem Hypostaticam in Christo taliter deducit. Etenim licèt gratia sit distinctum principium merendi ab ipsâ Incarnatione, & videri posset, quòd actus ut respondens gratiæ in Christo, fit meritorius de congruo ipsius Incarnationis, tamen in hoc subjecto scilicet in Christo habet dependentiam ille actus in suo esse & productione ab ipso supposito, ut à principio *Quod*. Ergo ipsa operatio ut existens involvit secum, & includit ipsam personam ut principium; à quo dependet in suo esse. At meritum est causa moralis & per modum pretij ad habendum ipsum præmium, utpote quod Essentialiter procedat ab illo, & supponat ipsum. Ergo quia suppositum Christi supponitur ad actionem ejus meritoriam, nequit ad istam se habere tanquàm præmium.

Conclusio.

7. Tam ex eo, quòd actiones sint suppositorum *Connaturaliter*, quàm ex eo, quòd Christi Humanitas existat per Increatam Verbi sibi personaliter uniti existentiam; *Essentialiter* repugnat, unionem cum Verbo divino, saltem quoad ordinem intentionis cadere sub meritum Christi.

Probatur. Nam actiones dicuntur suppositorum esse, quatenus subsistentia se habet per modum conditionis ab intrinseco præsuppositæ ad operandum. Hæc autem subsistentiæ in ordine ad operandum prioritas in eo se tenet; quòd substantia Essentialiter dicat ordinem ad *Esse per se*, sive ad *Esse subsistens*, & ex consequenti per modum duntaxat proprietatis conveniat ipsi ordo ad operandum. Unde substantia *Connaturaliter* exigit per prius *Esse* completum in ratione subsistendi, ac existendi per se; quàm ut ex ipsâ intelligantur emanare virtutes operativæ. Cùm igitur substantia *Connaturaliter* ex intrinseco naturæ suæ ordine priùs sit subsistens, quàm potens operari, sequitur; subsistentiam non posse *Connaturaliter* supponere in naturâ operationem ipsius meritoriam.

Dices. Istam connaturalem subsistentiæ respectu virtutis operativæ prioritatem posse divinitùs superari. Posito igitur, quòd Deus non attendendo ad naturæ Humanæ Christi exigentiâ connaturalem, sed ad hujus obedientialem potentiam respiciendo, ex vi suæ absolutæ potentiæ tale in se formet decretum; *Volo Humanitatem gratiâ sanctificante & auxilio supernaturali instructam, cum actuali operatione procedente ex libero Humanitatis taliter instructæ arbitrio; intuituque istius operationis, volo illi Humanitati unionem cum Verbo*; Tunc intelligi posse operationem Humanitatis liberam & meritoriam pro signo priori, quàm humanitas intelligatur unita Verbi subsistentiæ, nec adeò videri impossibile, quòd ista unio cadat sub meritum Humanitatis Christi, ita ut hoc in nullo quidem reali instanti esset subsistens nisi per Increatam Verbi Hypostasin: attamen in aliquo Naturæ instanti prior esset operatio Humanitatis Christi libera & meritoria; quàm ejus cum Verbo Hypostatica unio. 8.

Contra. Nam tum gratiæ habitualis in humanitate receptio, tum vis operativa, tum ipsa etiam operatio Humanitatis essentialiter supponit hujus existentiam. At existentia substantiæ distinguitur ab existentiâ accidentis, quòd 9.

hæc ſit actuatio Entis in alio, illa verò ſit actualitas Entis *per ſe* exiſtentis, adeòque quà ſubſiſtentis. Unde exiſtentia ſubſtantiæ *Eſſentialiter* ſupponit in naturâ ſubſiſtentiam. Ergo *Eſſentialiter* repugnat, Humanitatem Chriſti intelligi quà inſtructam per gratiam ſanctificantem, ac potentiam ſupernaturaliter, imò & naturaliter operativam, niſi præſuppoſitâ aliquâ ipſius ſubſiſtentiâ. Ergo quia non niſi Increata Verbi ſubſiſtentia erat in humanitate Chriſti, nequit iſta intelligi cum merito ſecundùm aliquod naturæ inſtans, ſeu rationis ſignum antecedente Hypoſtaticam Verbi unionem.

10. Confirmatur. Nam Exiſtentia Increata Dei *Tranſcendentaliter* involvitur in ſubſiſtentiâ Verbi. Ex hoc autem fit, quòd ſubſiſtentia Verbi effectum ſuum formalem communicando humanitati Chriſti, conſtituat iſtam *Formaliter* in ratione Exiſtentis, ut adeò Humanitas non per propriam, ſed per Increatam Verbi ſubſiſtentiam ſit *Formaliter* exiſtens. At ſecundùm eſſentialem Divinitùs inſuperabilem neceſſitatem eſt, quòd ad operationem ſupponatur Principium operandi exiſtens. Ergo quia humanitas Chriſti eſt exiſtens per Increatam Verbi exiſtentiam, non tantùm *Connaturaliter*, ſed *Eſſentialiter* repugnat, pro aliquo naturæ priori intelligi in Chriſti Humanitate operationem unionis cum Verbo meritoriam.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

11. AD Nazarij *n. 2.* propoſitum fundamentum Reſpondetur. Eo ipſo, quòd unitiva cum Humanitate Chriſti actio *Eſſentialiter* importet communicationem Exiſtentiæ Increatæ, quà in Verbo *Formaliter* correlatæ ad Patrem, non poſſe pro aliquo priori intelligi humanitatem Chriſti, unitam Increatæ Exiſtentiæ Verbi, quàm hujus perſonalitati, nec adeò in humanâ Chriſti naturâ intelligi poſſe meritum, unionem Verbi perſonalem pro aliquo naturæ, ſeu rationis priori antecedens.

12. Ad Cardinalis de Lugo *n. 3.* propoſitum fundamentum Reſpondetur. Ex illo principio, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, non tam *immediatè*, quàm *mediatè* demonſtrari, quòd perſonalis Verbi cum humanitate Chriſti unio nequeat cadere ſub iſtius meritum. Etenim operatio *eſſentialiter* præſupponit principij ſui operativi exiſtentiam. Hæc verò in ſubſtantiâ *Eſſentialiter* præexigit ſubſiſtentiam. Ergo operatio in ſubſtantiali operativo principio ſaltem *mediatè*, neceſſitate eſſentiali præexigit ſubſiſtentiam.

13. Ad Vaſquezij *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Hunc authorem meritò reijci à Cardinali de Lugo *citato ſect. 1. n. 4. & 5.* partim quòd illud axioma, *Actiones ſunt ſuppoſitorum* neget, eſſe fundatum in Ariſtotele & Damaſceno, partim quòd, licèt opera Chriſti pro aliquo priori unionem Hypoſtaticam antecedente conſiderari poſſent, quatenus profecta ex gratiæ actualis auxilio & ad merendum effecta condigna per gratiam habitualem; exinde non inferretur, Chriſtum pro illo ſigno eſſe Filium Dei adoptivum, ſiquidem adoptio ſupra gratiam habitualem includat carentiam realem filiationis naturalis. At pro illo ſigno priori non intelligeretur perſonalis Filij Dei Hypoſtaſeos carentia, ſed hujus duntaxat præciſio. Ergo dato etiam illo ſigno priori, in quo opera Humanitatis Chriſti antecedenter ad unionem cum Verbo profecta ex auxilio gratiæ actualis, intelligerentur dignificata per gratiam habitualem; non ſequeretur: naturam Chriſti humanam eſſe pro illo ſigno Filium Dei adoptivam.

Ad Cardinalis de Lugo *n. 5.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Non tam ex iſto axiomate, *Modus operandi ſequitur modū eſſendi*, quàm ex hoc: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, efficaciter demonſtrari præſens noſtrum inſtitutum. Etenim modi Operandi cum modo Eſſendi commenſuratio non tam Eſſentialis, quàm connaturalis eſt; adeò ut per Divinæ virtutis elevationem operatio poſſit excedere, ac ſuperare modum Eſſendi. Econtra verò quia ſubſiſtentia *Eſſentialiter* præſupponitur ad ſubſtantiæ exiſtentiam, *Eſſentialiter* repugnat, emanare actionem à Principio ſubſtantiali, niſi quà ſubſiſtente. Ergo ex eo, quòd *actiones ſint ſuppoſitorum*, infertur, quòd ſimpliciter repugnet, unionem Hypoſtaticam cum Verbo cadere ſub merito humanitatis Chriſti. 14.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 7.* propoſitum argumentum Reſpondetur. Hunc authorem non diſcrepare à noſtrâ doctrinâ, niſi quòd non explicet, qualis ſit actûs ex gratiâ ſanctificante in Chriſto procedentis ab Hypoſtaſi Verbi dependentia. Oportere igitur, taliter exponere rem, ut dicatur ſubſiſtentia, cujuſmodi in humanitate Chriſti unica pro quovis inſtanti erat Verbi Hypoſtaſis, non tantùm *Connaturaliter* per modum complementi ſubſtantialis, ſed quà exiſtentiæ fundamentum, in naturâ ſubſtantiali *Eſſentialiter* præexigi, tum ad receptionem accidentium, tum ad operationis ex principio ſubſtantiali emanationem. 15.



CONTROVERSIA II.

An ſuppoſitâ efficaci Chriſti Domini, ejuſque adeò meritorum præfinitione, merita Chriſti ſecundùm hanc efficacem intentionem præſcita, potuerint eſſe ratio motiva decernendæ Incarnationis quoad executionem?

SUarez *diſp. 10. de Incarnat. ſect. 4.* affirmat, Deum potuiſſe decreto efficaci per modum intentionis velle Chriſtum exiſtere, & mereri: quo decreto ſuppoſito, vidiſſe Chriſtum eſſe futurum, & habiturum merita, poſtea ex his meritis futuris ſic prævisis potuiſſe habere voluntatem exequendi incarnationem. Etſi proinde nõ potuerit Chriſt⁹ mereri Incarnationis ſuæ prædeſtinationem, de abſolutâ tamen potentiâ Dei potuiſſe unionem Hypoſtaticã Verbi *Quoad executionem* Humanitati Chriſti decerni ex ipſius meritis. Fundamentum eſt. Quia non implicat contradictionem, velle ita conferre Humanitati gratiam unionis, ut eam non abſolutè donet, ſed quaſi ſub conditione, & dependenter à futuris operibus, ac in præmium eorum. Tunc autem fieri, quòd unio Verbi, licèt tempore, vel naturâ antecederet merita, non eſſet per modum gratiæ gratis datæ, ſed per modum anticipatæ ſolutionis: veluti etiam evenit, ſi 1.

Rex tribuat militi arma & equum in stipendium futuri laboris & militiæ, & quasi in præmium meritorum eodem equo & armis parandorum.

2. Cardinalis de Lugo *citat. disp. 8. sect. 2. n. 13.* ex Vasquezij & Theologorum communi sententiâ taliter movent contra præcitatum Suarezium. Etenim licèt voluntas intentionis, ac Executionis distinguatur in Deo, & licèt possit efficaciter decernere, ac præfinire merita ante eorum prævisionem; non tamen potest ex ijs meritis posteà visis velle efficaciter ponere in executione eadem merita; nec potest concipi, quòd aliquis mereatur suum primum meritum per ipsum primum meritum: siquidem omne præmium comparetur cum merito, ut effectus cum suâ causâ, & consequenter exigat distinctionem à merito. Unde fit, nec posse per primum meritum obtineri id, quod cum ipso habet connexionem necessariam, cujusmodi est valor meriti. At verò totus valor meritorum Christi provenit ab unione cum Verbo. Ergo repugnat, quòd merita Christi meruerint hanc unionem.

3. Quòd si dicas, pro aliquo priori posse videri meritum Christi cum valore duntaxat congruo, proveniente ab Entitate supernaturali actuum, posseque propter hoc meritum velle Deum dare Humanitati unionem cum Verbo, & valorem condignum ipsis actibus; præcitatus de Lugo *n. 20.* contra opponit, dato illo responso, adhuc subsistere, quòd principium meriti cadat sub meritum. Etenim licèt pro eo signo priori non viderentur ea merita cum dependentiâ ab unione: attamen re ipsâ dependent illa opera à naturâ ut terminatâ per hanc, Verbi nimirùm subsistentiam: siquidem subsistentia de facto præsupponatur ut conditio ad omnem operationem. Ergo unio Hypostatica nequit obtineri per merita ejusmodi.

4. Cui sententiæ adstipulatur Nazarius in *1. p. q. 2. art. 11. cont. 1. §. Ex his sequitur.* asserens. Christum Dominum nec per absolutam Dei potentiam mereri potuisse per opera subsequentia suæ humanitatis unionem cum Verbo personalem. Fundamentum est. Quia meritum non se habet ad præmium ut Finis ad medium; qui potest præcedere medium, sed ut via ad terminum, ut causa efficiens ad effectum, ut dispositio ad formam. At Via, Causa efficiens; & Dispositio præcedunt Terminum, Effectum, & introductionem Formæ: atque oppositum implicat. Hæc autem præcedentia, seu prioritas causalitatis est prioritas independentiæ, pro eo enim priori jam consideratur entitas Causæ independenter à suo effectu, id est, habens sufficienter suum *Esse* aliunde, quin illud accipiat à suo effectu. Ergo quia meritum pro illo priori, quo præcedit, consideratur independens à præmio, nequit ab isto dependere, tanquam à verâ causâ. Ergo quia meritum Christi dependeat à Personali Verbi unione tanquàm causâ, nequit ista cadere sub meritum Christi.

5. Ioannes à S. Thomâ *cit. art. 2. n. 9.* extendit prætactam doctrinam, asserendo, Christum neque potuisse mereri circumstantias, sub quibus facta erat incarnatio. Fundamentum est. Quia licèt ab hisce circumstantijs meritum Christi non acceperit valorem, tamen quia operatio Christi supponebat Incarnationem, consequenter supponebat etiam circumstantias, sine quibus non erat facta Incarnatio. Ergo non poterat Christus per subsequentem operationem mereri circumstantias, quibus in re facta est Incarnatio.

Idem Ioannes à sancto Thomâ *ubi supra* illam doctrinam extendit etiam ad continuationem Incarnationis. Fundamentum est. Quia continuatio Incarnationis est eadem indivisibilis actio, quâ inchoata est. Etenim Incarnationis duratio simplicior ac permanentior est, quàm duratio rei indivisibilis, velut Angeli, vel Beatitudinis: siquidem altioris sit ordinis. ex S. Thomâ *infra q. 50. art. 2.* Sicut ergo non potest cadere sub meritum Christi ipsa Incarnationis actio, prout primò facta est, ita neque ut continuata. 6.

Conclusio I.

IMplicat, suppositâ etiam efficaci Christi Domini, ejusq; meritorum præfinitione. merita Christi secundùm hanc efficacem intentionem præstita, fuisse rationem motivam unionis cum Verbo Personalis, quoad executionem decernendæ. 7.

Probatur. Nam Motiva effectûs alicujus etiam quoad executionem decernendi ratio importat prioritatem causalitatis ac independentiæ. At implicat, merita Christi quoad *executionem* fuisse independentia ab unione Personali cum Verbo. Minor probatur. Nam præscindendo etiam à meritorum Christi per Verbum Dignificatione, oportet, merita Christi secundùm entitatis suæ substantiam spectata, esse dependentia ab humanitate per auxilium supernaturale elevatâ, quâ principio effectivo. Hæc verò dependentia ex ratione suâ essentiali supponit principium effectivum, quà existens. At humanitas Christi est *Formaliter* existens per Increatam Verbi existentiam. Hæc autem Increata Verbi Existentia *Formaliter* communicatur Humanitati per Verbi unionem Hypostaticam. Ergo operationum ac meritorum Christi ab humanitate quà elevatâ dependentia effectiva supponit in Humanitate personalem cum Verbo unionem. Ergo merita etiam Christi præcisè secundùm Entitatis suæ substantiam spectata nequeunt habere prioritatem causalitatis ac independentiæ respectu personalis cum Verbo unionis. Ergo ista unio etiam *quoad executionem* nequit cadere sub meritum Christi. 8.

Dices. Suppositâ efficaci cum Verbo unionis personalis, ac Christi meritorum intentione, in conspectu Dei stare utriusque illius effectûs à se præfiniti præsentialitatem. In hâc verò præsentialitate intueri Deum merita Christi secundùm suam entitatem supernaturalem, suamque ex gratiâ habituali dignificationem. Ut sic autem spectata habere congruitatem cum illâ personali unione. Hanc ergo Christi meritorum congruitatem posse Deum in decreto executionis eatenus velle, ut ejus intuitu velit ipsam etiam personalem unionem, sicuti merita cum fine gloriæ efficaciter præfinitâ & ut sic præcia à Deo, ob sui cum Gloriâ condignitatem possunt in decreto Executionis esse causa finis gloriæ meritoria. 9.

Contra. Nam Deus in Decreto efficacis suæ 10.

suæ intentionis vult merita Christi, quà *Efficienter* procedentia ex humanitate Christi per Increatam Verbi existentiam *physicè ac realiter* subsistente. Ut sic autem merita Christi cum personali Verbi unione habent congruitatē, non in ratione causæ meritoriæ, sed in ratione effectûs. Unde etiam Deus per scientiam visionis efficaci intentionis decreto nixam videt meritorum Christi cum illâ unione congruitatem sub ratione duntaxat effectûs; imò ob meritorum Christi ab ipsius Humanitate *Formaliter* per Verbum existente ex vi præfinitionis Divinæ dependentiam, repugnat, ea videri cum proportione causæ potentis promereri unionem Hypostaticam. Quare dispar est ratio inter merita justi ad finem gloriæ comparata, & merita Christi ad ejus personalem unionem relata: siquidem ex vi prædestinationis Divinæ ab unione Verbi personali sit meritorum Christi dependentia causalitatis efficientis, cùm èconira Justi merita ex vi præfinitionis Divinæ nullam Efficientiæ dependentiam habeant à Fine gloriæ.

11. Instabis. Fieri saltem potuisse de absolutâ Dei potentiâ, ut Deus personalem cum Verbo unionem decerneret humanitati Christi commodatā sub conditione faciendi illam ipsius propriam, ubi eam meruisset. Ergo hac saltem ratione potuisse Hypostaticam Verbi unionem *quoad executionem* cadere sub meritum Christi.

12. Contra. Nam aliud est, quòd unitiva cum Verbo actio *quoad substantiam* spectata cadat sub Christi meritum, aliud verò est, quòd dominium ipsius fuerit à Christo promeritum. At prius eo ipso repugnat, quòd ex vi primæ Divinæ præfinitionis omnia Christi merita *per se* dependeant ab existentiâ Verbi, humanæ Christi naturæ communicata per unionem Hypostaticam, *uti superius dictum est.* Unde si hæc prius fuisset quasi commodata Humanitati, & postea per meritum ipsius propria effecta, non promeruisset Christus substantiam Incarnationis, sed Dominium actionis *Hypostaticè* unitivæ: siquidem *Tò commodatum* & *Tò proprium* non ex parte rei, sed dominij circa rem habendi differant.

CONCLUSIO II.

13. CHristus de facto meruit circumstantias, sub quibus facta est Incarnatio.

Probatur. Nullum enim meritum fuit in ullo sanctorum hominum, quin ejus principium fuerit Christi meritum. Hoc autem contingebat, quatenùs Christi meritum erat causa moralis, non gratiæ duntaxat tam actualis, quàm habitualis, ex quâ tum *Efficienter*, tum *dignificativè* fluebat actio meritoria, sed quatenùs intuitu meritorum Christi Deus acceptabat antiquorum Patrum merita, in ordine ad illas circumstantias decernendas, sub quibus facta est Incarnatio. At circumstantiæ, sub quibus facta est Incarnatio, cadebant sub meritis antiquorum Patrum ac Beatissimæ Virginis, uti *seq. concl. elucidabitur.* Oportet ergo, has circumstantias à Christo etiam fuisse promeritas.

14. Dices. Antiquorum Patrum merita posse considerari, tum in ordine ad præmium gloriæ, tum in ordine ad promerendas circumstantias, sub quibus Incarnatio facta est. Etsi proinde sub priori respectu fuerint ex meritis Christi, sub respectu tamen posteriori posse spectari cum aliquâ prioritate antecedente Verbi Incarnationem, atque hujus circumstantias.

Contra. Nullum enim Patrum Electorum extitit meritum, quin ipsi responderet in cœlis aliquis gradus gloriæ. Ut sic autem eatenus procedebat ex merito Christi, ut tam actûs meritorij Entitas supernaturalis, quàm illius per gratiam Habitualem dignificatio esset meritorum Christi effectus. At si circumstantiæ Incarnationis fuissent ex meritis antiquorum Patrum, non autem Christi Domini, oporteret, aliquam istorum Patrum actionem meritoriam, non tantùm *quoad substantiam* supernaturalis Entitatis, sed *quoad dignificationem* gratiæ habitualis pro *aliquo priori* fuisse præfinitam antecedenter ad Christi Existentiam, ejusque adeò merita. Hoc autem posito, sequeretur, talem actûs meritorij supernaturalem Entitatem, ejusque ex gratiâ habituali dignificationem non potuisse *pro signo* etiam *posteriori* decerni ex meritis Christi. 15.

Probatur istud assumptum. Nam id, quod ex vi præfinitionis Divinæ habet prioritatem causalitatis, seu independentiæ, nequit pro signo posteriori intelligi cum dependentiâ effectûs propriâ. At merita antiquorum Patrum quoad suam Entitatem supernaturalem, suique ex gratiâ dignificationem, quatenus antecedenter ad merita Christi essent causa moralis circumstantiarum Incarnationis, haberent respectu istarum, ipsiusque adeò Incarnationis prioritatem causalitatis & independentiæ. Ergo pro signo posteriori, in quo meritis illis decretum fuisset præmium gloriæ, non possent quoad substantiam Entitatis supernaturalis, ac dignificationem gratiæ habitualis, tanquàm effectus dependere à meritis Christi, sed quoad sui duntaxat in præmium illud ordinabilitatem. 16.

Replicabis. Etsi Patrum antiquorum merita respectu circumstantiarum Incarnationis ex vi præfinitionis Divinæ haberent prioritatem causalitatis, posse adhuc pro signo posteriori, in quo intelliguntur ordinari ad gloriæ præmium, considerari cum dependentiâ à meritis Christi. Probatur istud assumptum. Nam ex hoc solùm repugnaret, Patrum merita pro illo signo posteriori pendere à Christi meritis, quòd in priori Incarnationis, ejusque circumstantiarum præfinitivo signo haberent prioritatem causalitatis respectu Christi meritorum. At quia circumstantiæ Incarnationis nullum habent *per se* ordinem ad Christi merita, idcircò pro signo circumstantiarum ejusmodi præfinitivo merita antiquorum Patrum respectu circumstantiarum Incarnationis possunt habere causalitatis prioritatem, quin habeant talem prioritatem respectu Christi meritorum. Ergo etiamsi Patres antiqui independenter à Christi meritis meruissent circumstantias Incarnationis, possent ista Patrum merita pro posteriori Finis gloriæ prædestinativo signo intelligi cum dependentiâ à Christi meritis. 17.

Contra. Nam ex isto discursu saltem sequeretur, pro primo Incarnationis, ejusque circumstantiarum præfinitivo signo intelligi merita 18.

merita antiquorum Patrum, cum independentiâ à Christi meritis. Ex hoc autem infertur; Christi meritum non esse principium omnis meriti præsciti à Deo post peccati originalis prævisionem. Hoc ipsum verò pugnat cum dignitate Christi Domini asserentis. *Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere.* Probatur istud assumptum. Nam certè Christo Domino hoc asserenti reponere potuissent Judæi, se in quantum erant Justi, vel Patres suos sine ipso quà homine, sive sine meritis ipsius fecisse meritū Incarnationis, vel hujus circumstantiarum *moraliter* causativum, quod ut sic nō penderet ab ipsius meritis, quin potiùs ipse Christus vel quoad substantiā Incarnationis, vel saltē quoad hujus circumstantias penderet ex Judæis vel Patribus eorū, utpote tales circumstantias independenter à Christo promerentibus. Dicendum igitur est, omnes illas Incarnationis circumstantias, quas Patres antiqui promeruerunt; processisse etiam ex merito Christi tanquam principio omnis meriti.

19.

Conclusio III.

Perpetuitas Incarnationis potuit etiam cadere sub Christi meritum.

20. Probatur. Nam Incarnatio est *Formaliter* actio unitiva Verbi cum humanitate. Hæc verò unitiva actio in duplici statu considerari potest, pro statu nimirum passibili, & pro statu glorioso. At eo ipso, quòd per continuam Christi corporis diminutionem, & accretionem in statu passibili, *Physicè* saltem *adæquatè* non staret in Christo eadem natura Humana, consequens est, actionem Verbi cum humanitate unitivam fuisse variatam, atque adeò conservationem seu continuationem unionis Hypostaticæ pro statu passibili fuisse distinctam à primâ Verbi unitione. Ergo nihil repugnabat, quò minùs caderet sub meritum Christi. Deinde perpetuitas unionis Verbi cum Humanitate pro statu glorioso est ipsa
21. Christi Domini resurrectionis actio. Probatur istud assumptum. Illa enim perpetuitas est ipsa Verbi cum humanitate unitivæ actionis duratio. At eo ipso, quòd unitio Verbi ab instanti resurrectionis mensuretur æternitate, sequitur, unionis ejusmodi conservationem realiter indistinctam esse ab actione Resurrectionis, prout hæc importat non præcisè Corporis & Animæ Christi reunionem, seu regenerationem Humanitatis, sed hujus quà totius naturæ humanæ cum Verbo reunitionem. Est autem indubitatum, quin Christi Domini Resurrectio secundùm omnimodam suam formalitatem fuerit ex ejus meritis. *Oportuit enim pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo perpetuitas etiam unionis cum Verbo pro statu glorioso fuit ex Christi Domini meritis.

Responsio ad opposita fundamenta.

22. Ad Suarezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Implicare, principium aliquod ex naturâ rei habens causalitatis prioritatem, ex vi præfinitionis & ordinationis divinæ dependere à suo effectu quà principio effectivo. Atqui unio Hypostatica Verbi habet respectu meritorum Christi prioritatem causalitatis, tum quatenus est istorum *formaliter* dignificativa, tum quatenùs humanitati est *formaliter* communicans existentiam *per se* requisitam, ad principium meritorum Christi effectivum. Hæc igitur Incarnationis actio habens ex naturâ rei prioritatem causalitatis respectu Christi meritorum, nequit pro illo signo pendere ex Christi meritis, tanquàm causâ sui *moraliter* effectivâ. Unde dispar est ratio exempli per Suarezium *ubi supra* allegati, siquidem meritum militis non pendeat ex causalitate armorum, ac equi, per modum anticipatæ solutionis militi concessorum sub conditione meriti; sicut econtra merita Christi per se dependent ab Hypostatiâ Verbi unione.

Ad Cardinalis de Lugo *n. 2. & 3.* propositam Doctrinam Respondetur. Eam nobis omninò probari & placere. Nam firmum stare debet illud principium, quòd formalitas ex naturâ rei, vel ex vi præfinitionis divinæ habens respectu effectûs alicujus prioritatem causalitatis, nequeat pro signo aliquo stare in conspectu Divinitatis cum dependentiâ ab effectu ejusmodi, quà principio sui effectivo. At merita Christi quatenùs cum valore per Hypostasin Verbi dignificato considerantur, ut sic pendent ex unione personali Verbi, tanquàm causalitate quasi formali: quatenùs autem spectantur cum præcisâ per gratiam habitualem dignificatione, ut sic pendent efficienter ab humanitate quà subsistente, ac existente per Increatam Verbi existentiam ac subsistentiam *Hypostaticè* unitam. Ergo ista unio nequit pro ullo signo in Deitatis conspectu stare tanquàm effectus Christi meritorum. 23.

Ad Nazarij *n. 4.* propositum argumentum Respondetur. Probari quidem, quod Incarnatio, prout est unio personalis Verbi cum humanitate, non potuerit cadere sub meritum Christi. Secus tamen esse de actione Incarnationis, quam supra *n. 20.* probavimus successu temporis esse variatam. Etenim prima actio Incarnationis non habebat connexionem per se, nisi cum illo Christi merito, quod humanitas Verbo unita habebat pro primo sui instanti. Unde talis actio potest respectu meritorum Christi subsequentium se habere cum solâ durationis, non autem causalitatis prioritate. At non repugnat id, quod respectu meritorum Christi habet prioritatem solius durationis, non autem causalitatis, cadere sub ejusmodi meritis. Potuit ergo Deus intuitu aliquorum Christi meritorum decrevisse primam Incarnationis actionem: quod equidem necessariò asserendum videtur; si hæc actio dicatur decretata ex antiquorum Patrum meritis. 24.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Circumstantias, sub quibus facta est Incarnatio, habuisse cum primo etiam Christi merito connexionem, non causalitatis, sed concomitantiæ. At non implicare, quò minùs sub meritum cadere possit id, quod cum tali merito non habet per se connexionem causalitatis, sed quod cum actione principij meritorij effectrice habet connexionem duntaxat concomitantiæ, sicuti est v. g. circumstantia Maternitatis Divinæ. Unde ejusmodi circumstantias, dicendum est, eo ipso fuisse decretatas ex Christi meritis, si asseratur; 25.

sanctos veteris Testamenti eas promeruisse.

26. Ad ejusdem Authoris *n. 6.* oppositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd natura humana Verbo unita pro statu passibili fuerit obnoxia mutationi, oportuisse actionem hujus unionis continuativam variationi subjectam fuisse. Unde falsum esse, quòd actio hujus unionis continuativa fuerit semper eadem cum actione ejusdem unionis primò causativâ. Quamvis ergo hæc prima Incarnationis actio non potuisset cadere sub Christi meritum, non fore perinde sentiendum de actione unionis Hypostaticæ continuativâ.



CONTROVERSIA VII.

Utrùm Incarnatio potuerit esse ex merito saltem congruo antiquorum Patrum?

1. Doctor Angelicus *praes. q. 2. artic. 11.* probat, non potuisse cujuscumque hominis opera *condignè* meritoria fuisse personalis cum Verbo unionis. Nam in puro homine non datur altius merendi principium, quàm gratia. Atqui gratiæ præmium adæquatum est visio beatifica; Unio autem Verbi cum sit in *Esse personali*, transcendit visionem beatificam, & consequenter gratiam adoptionis. Ergo merendi principium in homine puro, nequit de condigno commensurari cum unione Verbi personali. Solùm igitur superest hîc decidendum. *An incarnatio Verbi de possibili, vel etiam de facto fuerit ex merito antiquorum Patrum?*

Referuntur Sententiæ.

2. Divus Bonaventura *in 3. dist. 4. art. 2. q. 1.* Richardus *ibi art. 1. q. 1.* Marsilius *eadem dist. q. 7.* Martinon *disp. 4 de Incarnat. sect. 5.* Vasquez *disp. 22. cap. 4* Amicus *praef. disp. 26. sect 8.* Mæratius *disp. 15. sect. 1.* Cardin. deLugo. *disp. 8. sect. 4.* & alij tenent, Patres antiquos non meruisse Incarnationem quoad substantiam, sed quoad Circumstantias v. g. accelerationis. Fundamentum est. Si enim meruissent Incarnationem quoad substantiam, dici possent meruisse Principium suorum meritorum.

3. Ysambertus Sorbonicus *de myst. Incarnat. ad quest. 6. disp. 3. art 3.* restringit prætactam sententiam, asserendo: Patres antiquos non meruisse de congruo circumstantias Incarnationis, per se & necessariò requisitas; Sive illæ spectentur *secundum executionem*: sive; tantùm *secundùm intentionem*: sed illas duntaxat, quæ per accidens & non necessariò requiruntur in Incarnatione.

Fundamentum est. Quod enim est priùs efficaciter à Deo volitum in particulari ut tale & tale futurum; non potest ut sic cadere sub meritum, quod est posteriùs prævisum & volitum à Deo. Atqui circustantiæ, quæ ipsi Incarnationi sunt necessariæ, quatenùs tales & tales futuræ, *per se* sunt priùs nostro concipiendi modo volitæ efficaciter à Deo tam *secundùm executionem*, quàm *secundùm intentionem* in particulari, quàm Deus prævideret aliquod meritum antiquorum Patrū in particulari. Minor probatur, Quia Christus Dominus tam de facto, quàm ex intentione Dei fuit decretus Caput omnium hominum, etiam quoad influxum gratiæ, prout ille futurus erat Redemptor. At ratio Redemptoris in Christo Domino importat necessariò & efficaciter istas circumstantias. Ergo nec ipse Christus ut Redemptor, nec circumstantiæ ad hanc ejus rationem *per se* necessariæ cadunt, vel cadere possunt sub aliquod meritum Patrum veteris Testamenti.

Martinus de Esparzâ *de Incarnat. q 17.* asserit: Patres antiquos merito duntaxat dispositivo & latè ac impropriè sumpto, non autem merito etiam congruo propriè dicto, id est, termini sui inductivo & causativo, meruisse Incarnationem quoad circumstantias Loci, Temporis, ac Stirpis. Fundamentum est. Nam omnes ante Christum Fideles habuerunt gratiam ad merendum ex meritis Christi, non minùs, quàm Fideles Christo posteriores. Ergo Christus prævisus est merens independenter à meritis antiquorum Fidelium, & merita Christi fuere priora, quàm merita illorum. At Christus sicut mereri non potuit, ita non potuit prævideri merens, nisi, ut pendens à suis progenitoribus, & existens in hoc loco ac tempore determinato, cum repugnet, quemquam operari & mereri, aut nondum positum extra omnes suas causas, aut nondum determinatum ad hunc locum, & ad hoc tempus. Ergo circumstantiæ stirpis, loci, ac temporis fuerunt priores in prævisione Dei, quàm merita antiquorum Patrum, à quibus proinde erant independentes, non minus, quàm substantia Incarnationis. 4.

5. Divus Thomas *praef. q. 2. art. 11.* Nazarius *ibi. cont. 2. §. dicendum est Patres.* Philippus à sanctiss. Trinit. *de myst. Incarnat. disp. 3. dub. 6. ad 3.* Joannes à sancto Thomâ *praef. disp. 5. art. 1. n. 10.* Petrus Labat *disp. 2. dub. 5. concl. 3. & 4.* docent: Patres antiquos meruisse de congruo Incarnationis executionem & accelerationem, non autem Christi prædestinationem. Fundamentum ex Joanne à sancto Thomâ *n. 11. ac seqq.* deductum est. Quia gratia, si non daretur per Christum, haberet sufficientem vim ad merendam executionem Incarnationis. At eo ipso, quòd sit per Christum, non amittit hanc efficaciam. Ergo neque obstat, quòd Incarnatio sit principium meriti, ut possit quoad executionum cadere sub merito gratiæ. Ergo non est, cur hoc meritum gratiæ negetur Patribus. Minor probatur. Quia Incarnatio non est Principium meriti intrinsecum, id est inexistens in ipsis Patribus, dansque valorem operibus ipsorum, sed solùm est Principium extrinsecum, & per modum causæ finalis, non efficientis. Atqui non repugnat, tale Principium meriti extrinsecum, & solùm se habens per modum finis, quantum ad *sui executionem*, cadere sub merito: quia licèt media dependeant à causâ finali ut à principio intento, tamen etiam finis dependet, & procedit à medijs in sui executione. Ergo licèt gratia antiquorum Patrum dependeat ab Incarnatione, ut à principio meriti *in genere causæ finalis*, tamen ipsa Incarnatio *in Executione* dependere potest à meritis Patrum, ut à Principijs moralibus.

CONCLU-

CONCLUSIO.

Patres Antiqui & à fortiori beatissima
6. Deipara meruerunt actionem Incarnationis spectatæ etiam quoad substãtiam.

Probatur. Nam orationes antiquorum Patrum in sensu proprio acceptæ significant executionem Incarnationis *quoad ipsam substantiam* fuisse ipsis in voto ac desiderio erga Deum. *Psal. 105. Visita nos in salutari tuo. Isa. 45. Rorate cœli desuper & nubes pluant justum. & cap. 64. Utinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Dicendum igitur, visitationem in salutari filii Dei, seu descensum in actione Incarnationis *formaliter* situm, in se ipso & non in aliquâ duntaxat circumstantiâ decretũ fuisse ex merito congruo talis orationis.

Dices. Hinc fore consequens, vel quòd
7. principium meriti, scilicet Incarnationis substantia cadat sub meritum, vel quòd aliqua Patrum antiquorum merita non fuerint effectus meritorum Christi seu Incarnationis.

8. Contra. Nam ordo Incarnationis in Decretis divinis taliter est designandus. *Primò* Deus Christum quà universorum Finem, hominumq; & Angelorum Caput cum omnimodo meritorum suorum in hos influxu prædestinans; consequenter unionem Verbi Hypostaticam ceu formam meritorum Christi dignificativam præordinavit in Causam *moraliter* effectricem omnis antiquorum etiam Patrum & Virginis Deipa-
9. ræ meriti. Nihilominus *secundò* meritum in Christi morte consummatum pro illo primo Christi Domini prætinitivo signo, eatenus potuit à Deo esse prædestinatum in causam *moraliter* effectricem omnis Patrum etiam Antiquorum meriti & gratiæ, ut tamen meritum in primo Incarnationis instanti à Christi Domini Humanitate elicitum non designaretur aliquorum, saltem in antiquis Patri-
10. los meritorum morale principium. Hinc *Tertiò* quia actio Verbi unitiva pro statu Christi passibili, ratione subjecti sui, seu Humanitatis admisit variationem & successionem, fieri potuit, ut prima Incarnationis actio nullam haberet per se connexionem cum merito Christi per ipsius passionem in Cruce consummato, & consequenter cum antiquorum Patrum meritis, ex vi Divinæ prædestinationis dependentibus ab hoc crucis Christi merito, non autem ab actionibus in primo instanti elicitis à Christi Huma-
11. nitate. *Quartò* igitur in illo ipso prædestinationis decreto potuit Deus velle primam Incarnationis actionem, tanquam finem illorum in antiquis Patribus meritorum, quæ à consummato per mortem Christi merito, non verò à moralibus in primo conceptionis Christi instanti elicitis operationibus quà principio *moraliter* effectivo
12. penderent. Unde *Quintò* Deus in suæ prædestinationis decreto videns præfatorũ in Patribus antiquis meritorũ à prima Incarnationis actione quà Principio *Moraliter* efficiente independentiã, potuit in suo decreto executionis voluisse Incarnationis actionem, quà *Moraliter* dependentem ab illis Patrum antiquorum meritis; sicuti, licet Deus in decreto Intentionis ac prædestinationis velit Electis gloriam, quà finale meritorum principium; in decreto tamen Executionis vult finem gloriæ, cum dependentiâ à meritis tanquam morali effectivo principio.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Cardinalis de Lugo n. 2. oppositum ar- 13.
gumentum Respondetur. Incarnationis substantiam intelligi posse, vel quoad Formalem Verbi cum naturâ humanâ unionem: vel quoad effectivam Incarnativæ actionis unionem. At primam pro omni vitæ passibilis Christi instanti invariabilem & indivisibiliter unam Hypostaticam unionem, eatenus fuisse causam *Formaliter* dignificativam universorum Christi meritorum, ex quibus omne Patrum antiquorum meritũ promanavit, ut consequenter verificaretur; Patres antiquos, si meruissent Incarnationis substantiam, formale Hypostaticam unionem meruisse Principium suorum 14.
meritorum. At secus esse de Incarnationis actione, seu unitione effectrice; hanc enim utpote pro statu Christi passibili variabilem, quà conjunctam Christi merito in cruce consummato, potuisse moralem efficientiæ influxum habere in Patrum antiquorum merita, quin ista dependeant à primo Christi merito; atque adeò ab Incarnationis actione. Unde non sequi, quòd, licet Patres antiqui meruissent illam Incarnationis actionem, meruerint meritorum suorum principium.

Ad Ysamberti n. 3. oppositum Responde- 15.
tur. Circumstantias, imò & substantiam Incarnationis posse dupliciter intelligi à Deo prius volitas fuisse, quàm Patrum antiquorum merita. *Primò* ut ista prioritas ex parte volitorum in actione & circumstantijs Incarnationis importet *causalitatem saltem moraliter effectricem. Secundò* ut ex parte Incarnationis importet respectu illorum meritorum prioritatem *causalitatis* duntaxat finalis. Si proinde actio & circumstantiæ sint *per se* connexæ cũ merito Christi *Moraliter* effectivo illorum in Patribus antiquis meritorum; tunc non posse tales circumstantias cadere sub ista merita. At meritum Christi quà in morte consummatum intelligi posse *moraliter* effectivum illorum in Patribus antiquis meritorum, quin ista *per se* pendeant à primâ Incarnationis actione, ejusquè adeò circũstantijs. Consequens igitur esse, quòd istæ potuerint à Deo decerni cum dependentiâ à meritis antiquorum Patrum.

Ad Esparzæ n. 4 oppositum fundamentum 16.
Respondetur: Christum intelligi posse quà in morte merentem, quin haberet connexionem *per se*, ac pro tunc effectivam dependentiam à Circumstantijs Stirpis, Loci, ac Temporis Nativitatis. Ergò Antiquorum merita eatenus posse à Christi meritis in Cruce consummatis dependere, ut tamen ex vi præordinationis Divinæ haberent etiam moralem meritorum influxum in circumstantias Incarnationis, Conceptionis & Nativitatis Christi.

Ad Joannis à sancto Thomâ n. 5. proposi- 17.
tum fundamentum Respondetur. Ipsam etiam formalem unionem Verbi esse Principium duntaxat extrinsecum meritorum in antiquis Patribus: neque tamen ista posse *moraliter efficienter* esse *causativa* illius unionis, eo ipso, quòd ab illâ formâ Christi meritorum dignificativâ; tanquam principio *moraliter* effectivo dependeant. Quare ut Patrum antiquorum merita possent esse principium morale Incarnationis debuisse descendere ex aliquo Christi merito, quòd

ab

cum Incarnatione seu primâ Verbi unitivâ actione nullam haberent *per se* connexionem, ac efficientiæ etiam moralis dependentiam, veluti *supra* in conclusione exposuimus.

COROLLARIUM.

1. INfertur 1. Omninò dicendum esse, quòd Abraham, & David meruerint de congruo, ut Christus ex ipsorum progenie nasceretur. Ratio est, tum ex illo Genesis 22. *Quia obedisti voci meæ, benedicentur in semine tuo omnes gentes*: hanc enim promissionem de Christo exponit Paulus *ad Galat. 6.* tum ex illo *Ps. 131. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* Quam promissionem fuisse remuneratoriam pro voluntate, quam habuit David ædificandi Domum Domini, colligitur *ex 2. Reg. cap. 7.*

2. Infertur 2. Meritò dici, quòd Patres v. g. Daniel, meruerint accelerationem Incarnationis. Ratio videtur posse desumi ex illo Danielis *9. Septuaginta hebdomates abbreviatæ sunt super populum tuum, ut ungatur sanctus Sanctorum.* Hæc enim abbreviatio temporis videtur tribui orationibus Sanctorum. Verùm supra illum sacrum textum videri possunt Biblia Hebraici Idiomatis. Nec obstat objectio Cardinalis de Lugo *disp. 4. n. 34.* quòd meritum in ratione meriti includat durationem temporis. Sive enim actio per meritum importata sit realiter indistincta à duratione, sive Meritum ex duratione excrescens, in ratione meriti *virtualiter* duplicis *Formaliter* importet circumstantiam & durationem temporis, exinde erit consequens; Christi Domini merita non potuisse prævideri nisi cum hac duratione, nec adeò per Patrum merita fieri potuisse, ut Christi Domini merita per Divinam prædestinationem præfinita, posteà vi decreti executionis ob Patrum merita ad tempus anterius ordinarentur. Nam contra est; Tum quia, licèt duratio *quoad substantiam* esset indistincta vel ab existentiâ, vel ab actione rei durantis continuativâ, Christi tamen, ejusque meritorum duratio non importabat intrinsecam dependentiam ab extrinseco tempore; sed volubiles Christi actiones meritoriæ sibimet erant tempus suum intrinsecum. Unde eadem etiam duratio Christi, ejusque meritorum erat de naturâ suâ indifferens ad hujus, vel illius extrinseci temporis connotationem. Non igitur repugnabat, Christum, ejusque merita sub illâ ipsâ etiam, quam de facto habuit, duratione *quoad substantiam* spectatâ, extitisse alijs etiam temporibus: Tum quia Deus in decreto intentionis, præfiniendo Christi Domini existentiam sub determinati temporis connotatione, potuit hanc disposuisse quâ Finem, per merita Patrum pro illo Divinæ præfinitionis signo dependenter etiam à Christi aliquibus meritis prædestinata, procurandum. Unde in posteriori præscientiæ signo ista Patrum merita prævisa potuerunt esse causa *moraliter* motiva ad Incarnationem in Decreto Executionis statuendam pro tempore, quod esset anterius, non illo quidem tempore, quod per prius *absolutè* præfinitum erat, sed quod sub conditione fortassis, nisi Patres orarent, erat Divinitùs præordinatum.

QUÆ-



QUÆSTIO QUINTA.

DE

BEATISSIMÆ VIRGINIS IN INCARNATIONEM, DEIQUE MATERNITATEM INFLUXU; TUM PHYSICO, TUM MORALI.



1. Duobus Articulis expediemus præsentem Quæstionem, in primo investigaturi. *Quali, sive physico, sive morali, ac meritorio influxu concurrerit Beatissima Virgo tum ad Incarnationis Substantiam, tum ad Maternitatis Divinæ Circumstantiam?* In Secundo postea discussuri. *Quâ, & quantâ sanctitatis Puritate Beatissima Virgo meruerit Maternitatem divinam?*



ARTICULUS I.

Quali, sive physico, sive morali, ac meritorio Influxu concurrerit Beatissima Virgo tum ad Incarnationis substantiam, tum ad Maternitatis Divinæ Circumstantiam?

2. Hujus Articuli tres sunt expendendæ controversiæ. In primâ, *An sanctissima Deipara influxu physico, sive Principali, sive Instrumentali concurrerit ad Hypostaticam Verbi cum humanâ naturâ unionem?* In secundâ, *Qualiter concurrerit ad Conceptionem Christi?* In tertiâ, *Utrùm de condigno, vel de congruo tantùm meruerit Maternitatem?*



CONTROVERSIA I.

Utrùm Beatissima Virgo influxu physico, sive Principali, sive Instrumentali concurrerit ad Hypostaticam Verbi cum Humanitate unionem?

1. Vasquez *præs. disp. 26. cap. 1. n. 7.* existimat: nullum Instrumentum physicum à Deo assumi potuisse ad Mysterium Incarnationis. Fundamentum est. Quia nulla res à Deo assumi potest pro solâ suâ voluntate, tanquàm physicum Instrumentum, ad producendam aliquam rem, ad cujus productionem non sit suâpte naturâ inclinata. Atqui constat, nullam rem creatam inclinatam esse suâpte naturâ ad producendum hoc Mysterium.

Suarez *præs. disp. 10. sect. 1. §. Quocirca.* arbitratur; non repugnare, Deum eo modo sumere creaturam ut Instrumentum ad hanc unionem efficiendam, sicut ad alios effectus supernaturales. Fundamentum est. Quia instrumentaria virtus Creaturæ in ordine ad Deum est obedientialis, cujus efficacia possibilis mensuratur ex infinitâ virtute omnipotentiæ Dei, suppositâ non repugnantiâ ex parte actionis, vel effectûs. 2.

Joannes à Sancto Thomâ *disp. 5. de Incarn. art. 3. n. 4.* docet; in sententiâ, quæ tenet, humanitatem existere propriâ Existentiâ, non posse assignari implicantiam, quare non possit dari instrumentalis causalitas Incarnationis: in sententiâ tamen oppositâ Divi Thomæ *infra quæ. 17. art. 2.* asserentis; quòd Humanitas non habeat existentiam propriam, sed Divinam, posse assignari illam implicantiam. Fundamentum prioris est. Quia si humanitas habet existentiam, capax est, ut circa illam versetur actio creaturæ. Ergo potest Deus uti tali actione ad immutandam Humanitatem, & producendam in eâ unionem ad Verbum. Fundamentum posterioris est. Quia illa actio Incarnationis nullum Esse supponit in Humanitate, sed totum tribuit. Ergo in hoc æquiparatur creationi. 3. 4.

Medina *3. p. q. 3. art. 4.* Alvarez *q. 3. art. 2.* existimat probabile, de facto fuisse communicatum beatissimæ Virgini, ut elevaretur tanquàm instrumentum *physicè* effectivum hypostaticæ ad Verbum unionis. 5.

CONCLUSIO.

6. Ratio Joannis à sancto Thomâ superiùs *n. 4.* allegata non probat repugnantiam actionis Instrumentariæ, unionem,

nem cum Verbo efficientis: unde verisimile est, Beatissimam Virginem de facto fuisse à Deo assumptam, tanquàm Instrumentum ad Incarnationem, seu vnitivam Verbi actionem *physicè* efficiendam.

Probatur 1. Authoritate: Tum Hesichij *hom. 2. de Virg. tom. 7. Biblioth. SS. PP.* vocantis Virginem Instrumentum Incarnationis ejus, qui omnia produxit. Tum Sancti Ambrosij *Epist. 82.* asserentis: *Per hominem & mulierem fuisse carnem ejectam de paradiso, per Virginem verò esse unitam Deo.* Tum denique Divi Bernardi *hom. 4. in Missus est.* Et *lib. 5. de consid. circa finem* affirmantis, *Virginem fuisse mulierem illam, quæ tria illa sata Evangelica, Carnem scilicet, Animam, & Divinitatem tam benè fermentavit, ut nec divisione quidem factâ carnis & animæ, caro, vel anima à Verbo divideretur.*

7. 2. Ratione. Nam Beatissimam Virginem physicâ instrumentariâ actione influxisse in unionem Humanitatis cum Verbo, pertinet ad majorem Virginis dignitatem. Ergo ista prærogativa est hoc ipso Virgini Sanctissimæ concedenda, quòd nullam involvat contradictionis repugnantiam, maximè cùm exinde possit magis propriè dici, concepisse Deum. At si aliqua circa illum instrumentarium influxum esset implicantia, reduci deberet in ejus cum creatione æquiparantiam. Hæc autem ratio nulla est.

8. Probatur istud assumptum. Nam actionis creativæ ratio essentialis importat *formaliter* omnimodam à subjecto independentiam. Unde solius *Esse* subsistentis habentis vim se *Causaliter* communicandi, proprium est creare. Atqui, licèt Humanitas non per propriam, sed Verbi Existentiam sit existens, potest tamen in eâ dari actio cum Verbo unitiva, dependens ab Hu-

9. manitate tanquàm subjecto. Minor probatur. Ut enim natura aliqua sit receptiva actionis alicujus, sufficit, eam habere existentiam in actionis illius in se subjectatæ instanti reali, nec opus est, hanc existentiam in naturâ præcedere prioritate naturæ, sed sufficit, habere simultatem concomitantiæ.

10. Probatur istud assumptum. Nam in instanti generationis etiam naturalis non ampliùs est Existentia Termini *à quo*. Unde; ista in termino *ad Quem* nihil confert ad subjectivam actionis generativæ receptionem. At verò, si existentia sit realiter distincta à naturâ, tunc existentia Termini *ad Quem* generationis est secundùm ordinem naturæ consequens naturam genitam, habetque cum istâ simultatem duntaxat durationis, & concomitantiæ. Unde generatio dependens à naturâ genitâ ceu subjecto, non præexigit hujus existentiam. Pari ergo ratione, etsi humanitas per Verbi existentiam existens, in priori naturæ unionem Verbi antecedente non sit *formaliter* existens, potest tamen esse subjectum actionis cum Verbo unitivæ. Non ergo sequitur, talem unitivam actionem in sententiâ Divi Thomæ æquiparari creationi.

11. Dices ex Joanne à Sancto Thomâ *citato art. 3. n. 3.* Doctorem Angelicum *in 4. dist. 8. q. 2. ad 3.* docere: *Dari quidem actionem instrumentalem ad transubstantiationem, & similiter potuisse dari ad formationem corporis Christi & conceptionem:* addere tamen, *quòd si in conceptione includatur unio, major sit difficultas in conceptione Christi, quàm in transubstantiatione.* At verò istam majorem difficultatem, de quâ ibi loquebatur, esse quoad actionem instrumentariam, de quâ ibi erat sermo. Ergo Sanctum Thomam negare actionem instrumentariam pro illâ unione, licèt concedat pro transubstantiatione.

Contra. Nam legenti Sanctum Thomam constabit, nihil ab ipso definiri circa actionem instrumentariam respectu unionis ad Verbum: sed solùm affirmari, quòd major circa ejusmodi actionem sit difficultas respectu unionis ad Verbum, quàm respectu transubstantiationis. At ista difficultas non in eo se tenet, quòd ad actionem instrumentariam unionis cum Verbo causatricem non possit ex parte Humanitatis, utpote per Verbi Existentiam increatam pro naturæ posteriori existentis, præsupponi aliquod subjectum actionis illius receptivum. Unde difficultas illa non arguit æquiparantiam cum actione creativâ, sed in eo sita est, quòd unio Verbi terminetur ad Esse Divinæ Personæ, veluti patet ex contextu Angelici Doctoris. Ex hoc autem eruitur ratio illius difficultatis, quam oporteat solvere in actione Incarnationis, etiamsi hæc nō sit dependens à Virgine tanquàm physico instrumento. Illa igitur difficultas non arguit actionis instrumentariæ unionem cum Verbo physicè attingentis impossibilitatem, sed abstrusiorem absconditi Mysterij investigationem: *veluti sequenti quæstione* elucidabitur. 12.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Vasquezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Ejus fundamentum esse simpliciter falsum, siquidem obedientialis ad actiones naturæ creatæ improportionatas potentia importet elevabilitatem fundatam in ipsâ ratione Entis subordinati Deo. Quare ut Beatissima Virgo in virtute instrumenti *physicè* effectivi elevaretur ad producendum Incarnationis Mysterium, non opus erat, ex suâptè naturâ inexistere ipsi aliquam respectu effectûs ejusmodi inclinationem. 13.

Ad Suarezij *n. 2.* oppositum Respondetur. Ejus fundamentum nobis probari, maximè cùm actio Mysterij Incarnationis productiva non ad instar creationis importet independentiam à subjecto, atque adeò actualitatem puram: ut proinde illa, non verò ista communicabilis sit creaturæ immersæ potentialitati. Unde patet etiam responsio ad ea, quæ ex Joanne à S. Thomâ *n. 3. & 4.* deducta sunt. 14.

CONTROVERSIA II.

Qualiter Beatissima Virgo concurrerit ad conceptionem Christi?

DIvus Bonaventura *in 3. dist. 4. art. 2. q. 1.* docet, Beatissimam Virginem habuisse virtutem sibi divinitus datam, per quam administraret materiam Christi conceptui, quæ non solùm habuerit rationem ma- 1.

teriæ sive potentiæ passivæ, sed etiam sufficientiam, & virtutem ad prolis productionem, ita tamen, ut illa virtus non posset prodire ad perfectum actum, nisi per successionem in tempore. Unde quia non decebat, carnem Christi formari successivè, ideò Spiritum Sanctum suâ infinitâ virtute perduxisse illam materiam ad actum completum. Fundamentum est. Nam in Beatissimâ Virgine non minor fuit potentia, quam in aliâ muliere, imò multò major, siquidem potentiam naturalem & supernaturalem habuerit, quâ subministrare poterat materiam ipsa etiam sola, instar mulieris viro commixtæ. Unde tota substantia Christi fuit de matre suâ. Patet proinde, quòd Virgo Maria aliquo modo fuerit cooperata in Conceptione Filij, subministrando scilicet sufficientem materiam virtuti activæ, quæ tamen *supra suum posse* esset accelerata, & ad complementum perducta per virtutem infinitam. Cui consonat sacra scriptura, quæ modo Christum natum de Virgine, modò factum dicit. Consonat etiam Damascenus *lib. 3. de fide Ortho. cap. 2.* asserens, quod Beatissima Virgo habuerit virtutem Verbi susceptivam, & generativam; generativam, quia potuit seminantem Corpori Christi ministrare per virtuté sibi collatam Divino munere: susceptivam verò, quia solum Verbum Dei à Virgine susceptum potuit carnem assumptam in instanti formare.

2. Divus Thomas *in 3. dist. 3. q. 2. ar. 1.* docet; In Conceptione prolis inveniri triplicem actionem; quarum una, eaque principalis est formatio & organizatio Corporis; altera hanc præcedens est actio materiæ ad formationem corporis præparativa, alia denique Organizationem corporis concomitans actio est factiva melioris in prole dispositionis. Hinc sanctus Doctor affirmat, beatissimam Virginem in secundâ & tertiâ actione *activè* operatam fuisse instar aliarum matrum; unde & verè matrem esse. At in principali actione formationis Corporis Christi nihil fuisse ex parte B. Virginis, quod esset activum; sed id, quod beata Virgo ministravit, se habuisse *Materialiter* tantùm ad hanc actionem: virtutem autem Divinam fecisse totum, quod fit in alijs conceptionibus per virtutem seminis à Patre decisi: & ideo Damascenum Divinam virtutem vocare quasi divinum semen. Fundamentum est. Tùm quia Phylosophus *1. de gener. animal. cap. 20. & lib. 2. cap. 4.* tenet, matrem in omni generatione humanâ non concurrere *activè*, sed solum ministrare materiam.

Conclusio.

3. Ex hypothesi, quòd mater in generatione humanâ non concurrat *activè*, videtur omninò negandum; Beatissimam Virginem in conceptione Christi ad principalem formationis Corporis actionem concurrisse *Efficienter*.

Probatur ratione Doctoris Angelici *in 3. p. art. 4. in corpore.* Si enim Beatissima Virgo ad formationem corporis Christi concurrisset *activè*, exercuisset influxum Patris proprium, deberetque adeò dici non Mater duntaxat, sed etiam Pater Christi. Hoc autem est absurdum. Ergo & id, ex quo sequitur.

Dices. Ex hypothesi, quòd mater secundùm naturalem generationis viam in formatione corporis concurrat *passivè* duntaxat, ministrando materiam, potuisse sanctissimam Deiparam *activè* cooperatam fuisse Spiritui sancto ad Christi Corpus ex purissimis suis sanguinibus efformandum, quin concursum Patri proprium exerceret. Probatur illud assumptum. Nam dici potest, Beatissimam Virginem non naturali sed supernaturali virtute concurrisse *activè* ad Christi Corporis formationem, & animæ introductionem, seu cum corpore unionem. Ex ejusmodi autem concursu non acciperet nomen patris, siquidem hujus in prolem influxus proprius debeat esse naturalis. 4.

5.

Contra. Nam Spiritui sancto specialiter est attribuendum, quòd in conceptione Christi suppleverit concursum Patris. Unde dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto, ità quidem ut ista particula *De* significet Christi ad Spiritum sanctum habitudinem tum consubstantialitatis secundum divinitatem, tum causæ efficientis secundùm Humanitatem. ex Divo Thomâ *3. p. q. 32. art. 3.* At verò Spiritus sanctus dupliciter posset intelligi, quòd in conceptione Christi suppleverit concursum Patris. *Primò* purissimis Deiparæ sanguinibus ad Christi Corpus præparatis imprimendo qualitatem patris formatricem. *Secundò* per ipsammet Divinitatis virtutem Christi Corpus formando ex virgineo Deiparæ sanguine. At juxta priorem modum illius quasi seminalis Virginis à Spiritu sancto impressæ virtutis facta fuisset quædam cum materiâ per Deiparam subministratâ commixtio. Hoc autem tanquàm absurdum refutat Divus Doctor *cit. q. 32. art. 2. ad 3.* Quare potiùs dici debet, ipsam Spiritûs sancti Divinitatem, seu virtutem Altissimi per se *immediatè* supplevisse in virgine semen virile: Divo Chrysostomo, *hom. 1. in Math. opere imperfect. circa finem*, attestante, quòd *Unigenito Dei in Virginem ingressuro, præcesserit Spiritus sanctus, ut præcedente Spiritu sancto in sanctificatione nasceretur Christus secundum corpus, Divinitate ingrediente pro semine.* Juxta quem sensum Damascenus *lib. 3. Ortho. fid. cap. 2. circa principium* ait, *Obumbravit super Mariam Virginem Dei sapientia & virtus; velut Divinum semen.* 6.

Replicabis. Sanctissimam Deiparam ex supernaturali Spiritûs sancti motione elevatam fuisse ad ipsam Hypostaticam Humanitatis cum Verbo unionem. Cur non igitur ad Corporis Christi formationem, & unionem cum animâ?

Contra. Nam licet virtutis quasi seminalis impressio in Beatissimâ Virgine taliter potuisset fieri à Spiritu sancto, ut hujus virtute obumbrante, omnemque adeò concupiscentiæ motum impediente, maneret illæsa virginitas: ab ejusmoditamé commixtione abhorret omnimoda Virginis puritas. Est enim in Virgine sanctâ tuendum non id duntaxat, quod virginitatis est formale & morale, sed id etiam, quod est quasi materiale, debuit in tali virginitate omninò purum ac perfectum fuisse. 7.

Deinde posito, quòd Sanctissimæ Deiparæ à Spiritu sancto impressa fuisset aliqua Corporis & humanitatis Christi effectrix motio, absque prævlâ quasi seminali virtute etiam supernaturali, exinde sequeretur, ipsam *activè*, licèt *supernaturaliter* concurrendo ad formationem Corpo- 8.

 ris, &

ris, & generationem Humanitatis, subijsse Patris etiam munus. Unde non Matris duntaxat, sed etiam Patris nomen quodammodò mereretur.

10. Probatur. Nam Christus de Spiritu sancto conceptus, ideò non dicitur Filius Dei, quia secundùm Humanitatem, ratione cujus duntaxat est ex origine Spiritûs sancti, imò totiùs Trinitatis, non est in similitudinem naturæ. At Beatissima Virgo per Spiritûs sancti motionem elevata ad Humanitatis Christi generationem activam, ex se *activè* originari fecisset prolem in naturâ similem. Hæc ipsa verò origo fuisset viventis à vivente tanquàm principio conjuncto. Sicut ergo actiones per supernaturalem Spiritûs sancti motionem causatæ in intellectu & voluntate humanâ, obtinent rationem vitalis intellectionis, ac volitionis: sic illa generatio per Spiritûs sancti motionem, licèt supernaturalem effecta fuisset vitalis. Unde quia secundùm Philosophum, Patris est *activè*, Matris autem *passivè* concurrere ad generationem prolis, sequeretur, Virginem eatenus concurrisse ad generationem Humanitatis Christi, ut in ipsâ resultasset relatio non Maternitatis duntaxat, sed etiam Paternitatis. Hoc autem dicere absurdum est. Unde patet, qualiter sanctissimæ Deiparæ ad unionem cum Verbo, non verò ad formationem corporis Christi, & hujus cum animâ unionem activus influxus congruat ejus puritati ac Dignitati, nec non Maternitatis proprietati.

11. Instabis. Quòd Conceptio Christi in utero Virginis fuerit miraculosa. Unde non debere dijudicari ex illo Philosophico Principio, quo Aristoteles censuit, Matrem ad generationem prolis concurrere solùm *passivè*.

12. Contra. Nam Conceptio Christi ex parte virtutis activæ fuit quidem miraculosa, attamen ex parte patientis, seu matris *passivè* cooperantis fuit naturalis. ex Sancto Thomâ 3. *p. q.* 33. *art.* 4. Unde conceptio illa eatenus fuit miraculosa, quatenus Divinâ virtute fuit in instanti ad locum conceptionis naturalem tantâ Virginei sanguinis copia perducta, quanta juxta naturæ exigentiam sufficiens esset ad formandum corpus, quòd pro eodem instanti perfectè organizatum uniretur animæ Verbo *personaliter* unitæ: tametsi eadem conceptio naturalis fuerit, quatenus Beatissima Virgo materiam naturali suâ virtute per Dei providentiam ad Divinum illum conceptum specialiter ordinatâ præparatam subministravit.

Responsio ad sententias initio propositas.

13. AD Divi Bonaventuræ *n.* 1. propositam doctrinam Respondetur. In eâ displicere 1. Quòd passivam etiam potentiam, per quam Virgo Deipara subministrabat materiam, videatur adstruere supernaturalem. Nam cum Doctore Angelico *proximè citato* videtur potiùs dicendum: id, quod est ex parte materiæ conceptûs quam Mater ministravit, totum esse naturale: 2. Displicet, quòd Beatissimæ Virgini tribuat virtutem supernaturalem activam, quâ concurrerit ad conceptionem Christi. Etenim Damascenus in Virgine Deiparâ ponens potentiam Verbi susceptivam & generativam, ita accipiendus est, ut per *potentiam Verbi susceptivam* intelligatur potentia obedientialis in sanctâ Virgine ad prolis suæ cum Verbo unionem elevata; *per potentiam verò generativam* intelligatur Divina Spiritûs sancti virtus, per modum principij effectivi conjuncta materiæ, per Virginis Deiparæ virtutem naturalem subministratæ ad corpus Christi ex eâ efformandum, animæque Verbo *personaliter* conjunctæ uniendum. Unde patet etiam Responsio ad Doctoris Angelici *n.* 2. propositam sententiam.

CONTROVERSIA III.

Utrùm Sanctissima Virgo de condigno, vel tantùm de congruo meruerit Maternitatem Dei?

GAbriel *in* 3. *dist.* 4. *q.* 1. *ar.* 3. *dub.* 3. Almainus *q.* 1. *dub.* 3. Major *q.* 4. *in fine.* asserebant, Beatissimam Virginem meruisse de condigno, esse Matrem Dei. Fundamentum desumitur ex Patribus asserentibus, Beatissimam Virginem fuisse dignam, ut assumeretur in Matrem Dei. Inter quos Divus Ambrosius, *Quid, inquit, in singulis moror? quæ digna fuit, ex quâ filius Dei nasceretur.* 1.

Divus Bonaventura *in* 3. *dist.* 4. *a.* 2. *q.* 2. docet, Beatissimam Virginem Mariam, ut conciperet filium Dei, ante annuntiationem meruisse merito congrui: post annuntiationem verò meruisse non solùm merito congruitatis, sed Dignitatis, ut obumbraretur, & impraegnaretur virtute Altissimi, verùm merito condigni non potuisse mereri, ut conciperet Filium Dei. Fundamentum est. Est enim meritum congrui, in quo v. g. peccator dicitur gratiam sibi mereri, cùm ad gratiam se disponit. Atqui Beata Virgo Maria ante annuntiationem præ nimiâ sui puritate, humilitate, ac benignitate erat idonea, ut efficeretur Dei Mater. Deinde meritum Digni est, quo v. g. Justus orat pro alio, & meretur exaudiri. At post annuntiationem, postquàm Beata Virgo consensit, & Spiritus Sanctus in copiositate gratiæ in eam descendit, non solùm habuit congruitatem, sed & Dignitatem respectu Maternitatis Dei. Denique Deum fieri hominem, sive mulierem fieri Matrem Dei, est supra statum creaturæ debitum. Ergo excedit omne puri hominis meritum condignum. 2.

Suarez *præf. disp.* 10. *sect.* 7. *concl.* 1. docet 1. Beatissimam Virginem fuisse quidem condignè dispositam, ut esset Mater Dei. Nihilominùs 2. non meruisse de condigno Maternitatem Divinam, imò nullatenus fieri potuisse, ut ista Maternitas ex lege Dei ordinariâ secundùm connaturalem gratiæ commensurationem ac proportionem caderet sub merito condigno puri hominis. Verùm 3. secundùm potentiam Dei absolutam non repugnare, quin interveniente pacto, & promissione de conferendâ Maternitate Divinâ in præmium, illam homo purus mereretur de condigno. Fundamentum primi est. Quia quando Beatissima Virgo dicitur 3.

condignè

condignè dispositа fuisse ad Maternitatem Dei, non est sermo de æqualitate dispositionis cum dignitate illius Maternitatis, sed de proportione & convenientiâ secundùm rerum capacitatem, & ordinem Divinæ providentiæ. At in isto sensu præter alios Sanctos Patres Epiphanius *hær. 78. circa init.* ait. *Quomodò audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei, & electa ex multis millibus, quò vas & habitaculum dignum esset.* Fundamentum secundi est. Nam gratia creata & opera, quæ ab illâ emanant, naturâ suâ solùm tendunt ad consummationem ipsius gratiæ, usq; ad consecutionem Beatitudinis, quam respiciunt ut condignum, & proportionatum præmium. At ista proportio est requisita quasi ex naturâ rei ad meritum de condigno. Fundamentum tertij est. Quia opera supernaturalia profecta ex gratiâ habent valorem condignum ad gratiam & gloriam. Hæc autem majus quid est, quàm esse matrem Dei: ideò enim Augustinus *to. 6. lib. 6. de Sanct. Virg. cap. 3.* dixit, majus esse concipere Deum mente, quàm ventre. A fortiori igitur ea opera haberent valorem condignum ad merendam Dei Maternitatem, si ex vi pacti Divini ad hanc ordinarentur.

4. Vasquez *præs. disp. 23. cap. 2. à n. 13.* probat, fieri nullatenus potuisse ex Dei ordinatione, ut Beatissima Virgo condignè meruisset Maternitatem Dei. Fundamentum est. Nullum enim opus potest esse condignè meritorium alicujus præmij ex eo, quòd à Deo acceptetur, & referatur ad tale præmium, sed ex eò solùm, quòd suâpte naturâ dignum sit tali remunerationе. At opera Virginis facta in statu adoptionis ex auxilio gratiæ Dei fuerunt ejusdem rationis cum operibus aliorum Justorum. Hæc verò suâpte naturâ referuntur, tanquàm condigna ad præmium ipsum Beatitudinis & augmenti Justificationis; non autem referuntur ut condigna suâpte naturâ ad Dignitatem Matris Dei, alioquin omnes sanctæ essent dignæ, ut essent Matres Dei: Ergo neque merita Beatissimæ Virginis ad hoc præmium tanquàm condigna referebantur.

5. Lorca *præs. disp. 22.* negat, Beatissimam Virginem etiam de congruo meruisse Maternitatem Dei. Fundamentum est. Nam ejusmodi fuisset fundatum in sanctitate, quâ pollebat Beatissima Virgo. At omnimoda Sanctitas Beatissimæ Virgini collata fuit ex merito Christi, quod habuit in primo Conceptionis instanti. Hinc enim Apostolus *ad Heb. 10.* cùm asseruisset, Christum ingrediendo Mundum, dixisse Patri Æterno: *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam:* subjungit, *Nos in hac voluntate sanctificatos esse per oblationem Corporis IESU Christi semel.* Si proinde Beatissima Virgo etiam de congruo meruisset Maternitatem Dei, oportuisset, hanc fuisse ex merito Christi, quòd illâ Ma-
6. ternitate esset naturâ posterius. Probatur ista sequela. Nam Maternitas Divina importat causalitatè productricem Humanitatis Christi. Hæc autem erat causa efficiens meriti à Christo eliciti in primo Conceptionis instanti. Oportuisset igitur causalitatem in Maternitate Divinâ importatam ex meritis Christi fuisse causatam illo ipso instanti, quo Christi meritum causativum talis Maternitatis, ex hâc tanquàm effectrice Humanitatis causalitate pendebat.

Divus Thomas *in 3. dist. 4. q. 3. a. 6.* Medina *in 3. p. q. 2. a. 11.* Nazarius *ibi. cont. 3.* Suarez *cit. disp. 10. sect. 8. concl. 2.* Vasquez *cit. disp. 23. cap. 4.* Cardin. de Lugo *præs. disp. 8. sec. 8. n. 40.* Labat *disp. 2. de Incar. dub. 3. §. 4.* & alij tenent, Beatissimam Virginem meruisse Maternitatem Dei de congruo duntaxat. 7.

CONCLUSIO I.

MAternitas Dei non potuit cadere sub meritum condignum Beatissimæ Virginis.

Probatur. Nam Maternitas Dei importat quandam affinitatem cum Deo. ex S. Thomâ *2. 2. q. 103. a. 4. ad 2.* Ratione autem hujus affinitatis debetur ipsi excellentior, Hyperduliæ nimirùm, cultus, quàm ratione gratiæ & gloriæ debeatur Sanctis. ex Sancto Doctore *citato.* Unde fit consequens, quòd Dignitas Maternitatis Divinæ sit excellentioris ac superioris ordinis, quàm gratia. At meritum condignitatis in Beatissimâ Virgine desumebatur ex gratiâ sanctificante. Non potuit ergo Virginis Deiparæ meritum esse condignum respectu Maternitatis Divinæ. 8.

Dices. Non subsistere propositionem, quâ Maternitas Divina dicitur ordinis excellentioris ac superioris, quàm gratia sanctificans. Nam contra hoc esse, quod sanctus Augustinus *citat. cap. 3. de sanctâ Virginitate* scribat sequentibus verbis: *Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœliciùs Christum corde, quam mente gestasset.* Unde non videri, quòd condignitas meritorum Beatissimæ Virginis fuerit improportionata ad promerendam Maternitatem Divinam. 9.

Contra. Nam Maternitas Virginis in ordine ad Christum dupliciter considerari potest: *primò physicè* secundùm relationem fundatam in actione Humanitatis Christi generativæ. Ut sic autem importat influxum ex parte Virginis passivum, & ex parte Spiritûs Sancti activum. At totus hicce influxus quà procedens etiam à Spiritu Sancto, est finitus ac inferioris ordinis, quàm gratia sanctificans. *Secundò* igitur potest Maternitas Dei *moraliter* considerari, quà *formaliter* Divina; Ut sic autem importat relationem Maternitatis ad Humanitatem Christi quà personaliter terminatam Verbo Divino. At nequit intelligi relatio respiciens Humanitatem quà *personaliter* terminatam Verbo Divino, quin intelligatur actiò Verbi unitiva, seu substantialis ac Hypostatica Humanitatis per Verbum terminatio. Unde Maternitas Divina *formaliter* quà Divina non potest cadere sub meritum, quin actio Verbi unitiva, seu Hypostatica Humanitatis per Verbum terminatio intelligatur cadere sub meritum. At per se notum est, Maternitatem Divinam ut sic, eatenus excedere ordinem gratiæ habitualis, ut de condigno non possit respondere ulli merito, nisi habenti valorem infinitum. Etsi proinde Maternitas Deiparæ *physicè & materialiter* spectata sit ordinis inferioris, quàm gratia sanctificans, attamen *moraliter & formaliter* considerata, quà Divina, spectat ad ipsum ordinem Hypostaticum, atque adeò super- 10. 11.

 excedit

excedit condignitatem meriti in gratiâ sanctificante radicatam.

CONCLUSIO II.

12. **B**Eatissima Virgo meruit de condigno dispositionem, quâ condignè esset Mater Dei.

Probatur. Nam Maternitas Divina *formaliter* quà Divina est radix, ex morali quâdam congruentiâ advehens gratiæ plenitudinem. Unde sicuti calor in summo *Connaturaliter* emanans ex formâ v. g. ignis est ad hujus in materiâ receptionem condigna dispositio: sic plenitudo gratiæ est condigna dispositio ad Maternitatem Divinam. At sublimis ille gratiæ gradus, quo Virgo Deipara *proximè* disposita fuit ad condignam filij Dei in se susceptionem, erat augmentum gratiæ. Hoc autem erat ex merito condigno illius præsertim actûs, quò Sanctissima Virgo præbuit consensum Conceptioni Verbi, Divo Barnardo Senensi *in serm. 51.* attestante. *Quòd Beata Virgo per cōsensum, quem præbuit conceptioni Verbi, plus meruerit, quàm omnes homines, & Angeli simul suis actibus meritorijs meruissent.*

CONCLUSIO III.

13. **B**Eatissima Virgo meruit de congruo Maternitatem Dei.

Probatur. Nam meritum de congruo fundatur in amicitiâ Dei, ratione cujus congruit, ut Deus ultra præmium condignum alijs insuper prærogativis donet ac ornet personam sibi amicitiâ junctam. At Divus Anselmus *de laudib. Virg. cap. 8.* ait, *Quòd sanctissima puritas, & purissima sanctitas pectoris ejus omnis creaturæ puritatem & sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruerit, ut Reparatrix perditi orbis plenissimè fieret.* Hoc autem Reparatricis munus obtinuit, quatenus fide plenâ meruit Deum concipere. ex S. Maxentio *Dialog. 1. cap. 14.* Unde Petrus Damianus *in serm. 2. de Assumpt.* ait: Beatam Virginem hoc meruisse ex abundantiâ gratiæ. In hâc igitur gratiæ abundantiâ,& plenitudine,fidei per Charitatem formatæ, erat fundata Amicitiæ Divinæ congruitas, per quam deceret, Virginem purissimam, & sanctissimam elevari ad prærogativam Maternitatis Divinæ.

14. Dices. Nos superiùs affirmasse, quòd Beatissima Virgo fuerit condignè disposita ad Maternitatem Divinam. At istam dispositionis condignitatem sitam fuisse in ipsâ Purissimæ Virginis Sanctitate, nec non fidei & Charitatis Divinæ actibus, quibus meruit Maternitatem Dei. Si ergo hisce actibus inerat condignitas Dispositionis, cur non & meriti?

15. Contra. Nam dispositio dicitur condigna, quam forma subjecti determinat sibi ex quâdam connaturalitatis exigentiâ. Econtra verò meritum condignum dicitur, quod ex suâ condignitate habet proportionem commensurationis ad præmium. At excellentis licèt puritatis & sanctitatis actus in Beatissimâ Virgine non poterant tamen ascendere ad ordinem Hypostaticum, in quo censetur Maternitas Deiparæ: quamvis hæc Maternitas ex suæ excellentiæ prærogativâ speciali habuerit quandam connaturalitatis exigentiam ad tantam puritatis & sanctitatis prærogativam, quâ nitebat Virgo Sanctissima. Patet igitur, in Sanctissimâ Deiparâ fuisse quidem condignitatem dispositionis, non autem meriti ad Divinæ Maternitatis excellentiam.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD fundamentum ex parte Gabrielis *n. 1.* oppositum Respondetur. Illam Ambrosii, aliorumque SS. Patrum similes Authoritates procedere de condignitate dispositionis, non autem meriti. 16.

Ad Divi Bonaventuræ *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Hunc Seraphicum Doctorem posse pro nostrâ sententiâ exponi, si dicatur Beatissima Virgo per suum consensum & gratiæ Spiritûs Sancti in se descendentis copiositatem eatenus meruisse de congruo Maternitatem Divinam, ut respectu istius haberet etiam Dignitatem dispositionis. 17.

Ad Suarezij *n. 3.* propositam doctrinam Respondetur. Hanc eatenus nobis probari, ut ejus tamen fundamenta nō undequaq; placeant. Nam circa primi asserti fundamentum desideraremus fuisse expositum, in quo illa dispositionis condignæ proportio radicaretur? Nos enim eam posuimus in connaturali quasi exigentiâ Maternitatis Divinæ, ex sui ad ordinem Hypostaticum elevatione determinantis sibi tantam subjecti puritatem, & sanctitatis prærogativam. 18.

Deinde circa tertij asserti fundamentum occurrit notatu dignum, quòd gratia & gloria sit major Maternitate Christi *physicè* spectatâ, non autem *moraliter* & quà Divinâ *formaliter* considerata. Ut sic enim importat quandam ad ordinem Hypostaticum elevationem, in quâ ceu radice *Eminenter* contineatur præexcellens gratiæ gradus *dispositivè* dignificans suum subjectum ad prærogativam Maternitatis Dei. 19.

Ad Vasquezij *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Id non omninò probari nobis. An non enim Sancti alicujus actus heroicus de condigno meretur prærogativam specialem alicujus gloriæ accidentalis, ad quam non extendit se meritum alterius Sancti, ejusdem licèt cum illo speciei? Quidni ergo, nisi alia ratio subesset, puritas illa sublimior in Sanctissimâ Virgine potuisset mereri de condigno Excellentiam Maternitatis Divinæ, quin reliquorum Sanctorum merita cum ipsâ haberent condignitatis proportionem? 20.

Ad Lorcæ *n. 5.* oppositum Respondetur. Illud meritum, quo Virgo purissima de congruo meruit Maternitatem Dei, descendere ex merito Christi per mortem consummato, non autem elicito in primo Conceptionis instanti, eò quòd istud primi instantis meritum saltem *mediatè, per se* tamen pendeat ab influxu Virginis, fundante relationem Divinæ Maternitatis. Nec obstat ille sacer textus ex Apostolo *ad Heb. 10.* allegatus. Tum quia Cardinalis de Lugo *disp. 8. de Incar. sect. 6. n. 79.* probat; non omnem sanctitatem hominibus collatam fuisse ex primo Christi merito. Unde author *citatus* existimat, in illis verbis: *In quâ voluntate sanctificati sumus:* vocem *Tò Voluntate* referri ad voluntatem Dei, 21.

cujus priùs meminerat Paulus, inducendo Christum orantem. *Ecce venio, ut faciam, Deus voluntatem tuam.* Tū quia potuit tota gratia Virgini Deiparæ collata fuisse ex illo ipso primo merito, ut tamen quoad sui conservationem & augmentum, Dispositionis ad filium Dei concipiendum *condignè* consummativum, pro instanti conceptionis Christi non penderet ex primo tunc per Christum elicito, sed per mortem consummato merito. Unde licèt verba illa, *In quâ voluntate sanctificati sumus*, referrentur ad Christi hominis voluntatem pro primo conceptionis ipsius instanti meritoriam, deberet tamen ejusmodi propositio indefinita in sensu accommodo intelligi. Sicuti verum etiam est, quòd Christus omni suo actu, quo in cruce se sanctificabat, meruerit omnia hominum merita, & actus bonos, & tamen actus ille latronis ad Christum, ut sui meminisset in regno suo, orantis, non poterat meritoriè proficisci ex actu illo Christi de se humani generis Redemptionis meritorio, quo dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* Nam oratio illa latronis erat causa moralis & impetratoria actus Christi Domini taliter respondentis; nec adeò ab illo pendere poterat, ut à causâ meritoriâ. Pari ergo ratione, primum Christi Domini meritum, quia pendebat ex influxu Virginis purissimæ fundante Maternitatem Divinam, non poterat actûs istam dignitatem merentis esse causa moralis & meritoria; tametsi omnis reliquæ sanctitatis & hominum meriti causa extiterit.



ARTICULUS II.

Quæ, & quanta fuerit sanctissimæ Virginis puritas, atque sanctitas, per quam meruit Divinam Maternitatem & ad hanc disposita fuit?

1. QUinque hic veniunt decidenda. 1. *An Mater Dei prælecta in primo suæ conceptionis instanti fuerit immunis à peccato Originali?* 2. *Utrùm fuerit libera etiam à debito Originalis culpæ.* Quibus per modum corollarij aliqua de Virginis Deiparæ gratiæ consummatione & plenitudine, ejusque à peccatis etiam venialibus præservatione annectemus.



CONTROVERSIA I.

Utrùm Mater Dei prælecta in primo suæ conceptionis instanti fuerit immunis ab Originali peccato?

2. SUpponendum 1. sanctissimæ Deiparæ à culpa originali immunitatem probari per Sacras litteras, tum ex illo *Gene. 3. Inimicitias ponam inter te & Mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum*; tum ex illo *Cant. 4. Tota pulchra es, & macula non est in te.* Tum ex eo, quòd beatissima Virgo fuerit *Lucæ 1.* salutata ab Angelo, *gratiâ plena.*

Supponendum 2. Eandem immunitatem firmari ab Authoritate Ecclesiæ ubique celebrantis Festum Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis. Ad cujus celebrationem Sixtus IV. *in Extrav. Cùm præexcelsa*, concessis etiam indulgentijs, invitat universos: Alexandro VI. Julio II. & Leone X. idem approbantibus: imò universali Tridentino Concilio *sess. 5. in Decreto de peccato Originali* declarante, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto Beatissimam, & immaculatam Virginem Mariam. 3.

Supponendum 3. prætactam immunitatem stabiliri Sanctorum Patrum authoritatibus, quas frequenti numero adduxit Suarez *to. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 5. §. secundò.* Potissimum; inter eas locum tenent, quibus Virgo dicitur immaculata, incontaminata, purior Angelis. Sic enim Beatus Iacobus, quem sexta synodus *can. 32.* quoad hoc, specialiter venerata fuit, effatus est; *Commemorantes*, inquiens, *Sanctissimam, immaculatam & gloriosissimam Dominam nostram, Matrem Dei.* Et Andreas Apostolus (in ejus gestis *lib. 4. Hist.* referente Abdiâ) aiebat: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terrâ, antequàm esset maledicta, ita secundus Adam formatus est ex terrâ Virgineâ nunquàm maledictâ.* 4.

Supponendum 4. Pro illâ Virginis immunitate stare insuper omnes rationes, quibus sanctus Thomas *3. p. q. 27. art. 4.* probat, sanctissimam Deiparam nunquàm peccasse actualiter. Si enim tum ex eo, quòd ignominia Matris redundet in Filium, tum ex eo, quòd singularem affinitatem Virgo Deipara habuerit ad Christum Deum, neque verò aliqua sit conventio Christi ad Belial *2. ad Corinth 6.* tum ex eo, quòd singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, habitârit non solùm in animâ, sed in utero ipsius, neque verò in malevolam animam introeat sapientia, nec habitatura sit in corpore subdito peccatis *Sap. 1.* inferre licet, Deiparæ sanctissimæ ab omni actuali, etiam veniali peccato immunitatem: à fortiori ejus ab originali culpâ puritatem omnimodam oportet adstruere: ut sic in eâ impleatur, quod dicitur *Cant. 4. Tota pulchra es, & macula non est in te.* 5.

Supponendum 5. Sixtum IV. in Extrav. *Grave nimis. De Reliq. & venerat. Sanctorum* Excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam, ac summo Pontifici reservatam protulisse adversùs eos, qui affirmarent, hæresin, vel peccatum mortale committere illum, qui credit, aut tenet, Beatissimam Virginem fuisse ab originali peccato præservatam: licèt econtra illos etiam damnarit Excommunicationis, qui assererent, quòd tenens, Beatam Virginem Mariam cum peccato originali conceptam fuisse, incurrat hæresis crimen, aut peccatum mortale. Exinde Pium V. in Bullâ *Super speculâ* sub pœnâ suspensionis à Divinis, & privationis cujuscumque Dignitatis, vel administrationis, inhabilitatisq; prohibuisse, ne in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutrâ parte disputare liceret, rationibus, vel Doctorum Authoritate asserendo propriam sententiam, 6. 7.

&con-

& contrariam refellendo, vel impugnando. Unde infert Castropalaus *disp. 3. de Censf. punct. 27. n. 12.* si propriam sententiam quis confirmet, modò directè, id est, animo evertendi contrariam, non refellat in popularibus concionibus, vel ubi promiscua virorum & mulierum multitudo convenit, non comprehendi sub prætactâ Pij V. censurâ.

8. Supponendum 6. Paulum V. *Anno 1616. Julij 16. & 1617. Augusti 31.* postea constituisse sub præfatis pœnis ac censuris, ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, seu alijs quibuscumque actibus publicis asserere audeat, Beatissimam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam, nevè sentiens Beatissimam Virginem immunem à peccato originali extitisse, aliam opinionem in publicis actibus impugnet, seu de eâ aliquo modo (ad illam *directè* impugnandam, refellendam, & evertendam, uti exponit Castropalaus *citatus*) agat

9. aut tractet. Tandem Gregorium XV. sub pœnis in Bullâ Pij V. & Pauli V contentis prohibuisse, ne quis in sermonibus, vel scripturis etiam privatis asserat, Beatissimam Virginem originali peccato maculatam fuisse, neque de hâc opinione aliquo modo agat, aut tractet, rationes nimirum in ejus favorem insinuatas adducendo, nisi fortè ex privilegio speciali sedis Apostolicæ, Dominicanis ab eodem Pontifice per Bullam *Eximij. Anno 1622.* concesso, ut in privatis colloquijs, seu conferentijs inter se duntaxat, & non inter alios possint agere de istâ sententiâ.

10. Supponendum 7. Etsi per ista decreta, de fide necdum definita sit sanctissimæ Deiparæ à peccato originali immunitas: nihilominùs à Suarezio *2. to. in 3. p. disp. 3. sect. 6. concl. 1.* probari, quòd possit definiri ab Ecclesiâ, quando id expedire judicaverit. Cujus fundamentum à præfato Authore optimè deductum ita se habet.

Ad ejusmodi enim definitionem satis est, ut aliqua supernaturalis veritas in traditione, vel scripturâ *implicitè* contenta sit, ut crescente communi consensu Ecclesiæ, per quem sæpè Spiritus sanctus traditiones explicat, vel scripturam declarat, tandem possit Ecclesia definitionem suam adhibere, quæ vim habet cujusdam revelationis propter infallibilem assistentiam Spiritûs sancti. At veritas illa in præallegatis sacræ scripturæ textibus indicata est, deinde ab antiquissimis Patribus per Suarezium frequenti numero adductis, & ut creditur, ab Apostolis superiùs expressis est tradita: Adhæc universali Ecclesiæ consensione paulatim recipitur, non sine magno animarum fructu, nec sine motione, ut creditur Spiritûs sancti, qui plenitudinem gratiæ Virginis ita esse intelligendam, sensim docet Ecclesiam. Potest igitur hic Ecclesiæ consensus ita crescere, ut tandem possit Ecclesia *absolutè*, & *simpliciter* rem definire. Quibus adeò suppositis, hîc examinandum superest. *Qualiter Immaculata Virginis Conceptionis veritas demonstrari possit ex sacrâ scripturâ?*

Referuntur Argumenta opposita.

11. PRimum desumitur ab Authoritate Divi Thomæ *2. p. q. 81. art. 4.* asserentis, secundum fidem Catholicam firmiter esse tenendum, quòd omnes homines præter solùm Christum ex Adam derivati peccatum originale ex Adamo contraxerint.

Secundum ex ratione per sanctum Doctorem *citatum* insinuatâ desumendum est. Nam alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum. Hoc autem est erroneum. 12.

Tertiò. Ex peccato primi Parentis sic traducitur culpa originalis in posteros: sicut à voluntate animæ per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis. Atqui manifestum est, quòd peccatum actuale traduci possit ad omnia membra, quæ nata sunt moveri à voluntate. Ergo & culpa originalis traducitur ad omnes illos, qui moventur ab Adam motione generationis. 13.

Conclusio.

SAnctissimæ Deiparæ ab originalis culpæ labe immunitas efficaciter demonstratur ex illo sacro textu: *Tota pulchra es, & macula non est in te.* 14.

Probatur. Ex solo litterali sacræ scripturæ sensu trahi potest Theologicū fidei firmitate nixum argumentum. ex sancto Augustino *in Epist. contra Vincent. Donatistam* & Divo Thomâ *1. p. q. 1. art. 10. ad 1.* At Beatissimæ Virginis ab omni actuali etiam veniali peccato immunitas vel est articulus fidei secundùm Suarezium *cit. to. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 4.* definitus in Concilio Claromontano sub Vrbano II. vel proximus fidei, insinuatus à Concilio Tridentino *sess. 6. de Justificatione. Can. 23.* docente. *Ecclesiam tenere de Beatâ Virgine, quòd ex speciali Dei privilegio vitarit omnia venialia.* Unde Doctor etiam Angelicus *3. p. q. 27. art. 4.* asseruit, *simpliciter* fatendum esse, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum, nec mortale, nec veniale commiserit. Hæc autem omnimoda actualis peccati immunitas, secundùm Doctorem Angelicum *citatum* demonstratur ex illo *Cantic. 4. Tota pulchra es, & macula non est in te.* Oportet igitur, hunc sacrum textum, ceu articuli de fide definiti, vel fidei proximi fundamentum, *Litteraliter* procedere de Beatissimâ Virgine. At hujus sacri textûs universalitas non minùs probat immunitatem Deiparæ à maculâ originali, quàm actuali, seu personali.

Dices. Ex mente alicujus recentioris. Illum sacrum textum *Litteraliter* accipiendum esse de Abisag Sunamitide: de quâ *Cant. 6.* dicitur, *Revertere, revertere Sunamitis.* 15.

Contra enim est, quòd exinde sequeretur, Cantica canticorum esse colloquium, in quo ageretur de amore aliquo prophano. At hoc olim refutavit Theodoretus *præfat. in Cant.* Et Phylastrius *in suo cathalogo. cap. 133. & 147.* numerat inter innominatas hæreses, approbante id pluribus Soto *in præfat. Cant.* Est igitur Canticum canticorum colloquium quoddam amatorium, in quo per allegoriam significatur, tum ac præcipuè connubium illud, quod est Sacramentum magnum inter Christum & Ecclesiam, tum amicitia, quæ est inter animam sanctam & ipsum Deum, uti ex Patrum præsertim Authoritate multis probat Sotus *cit. præfat. §. Canticum* 16.

igitur

igitur Canticorum. ac sequentib. At verò Ecclesia tota, adeòque secundùm omnia sua viva membra dicitur pulchra, ac existere absque omni maculâ: non quòd aliquis in præsenti vitâ esse possit sine peccato veniali, sed quia fides perfecta, seu fidei Sacramentum, Baptisma, & desiderium cœleste omnem abstergit maculam. ex S. Thomâ super Cant. Canticorum cap. 4. versiculo. Tota pulchra. Ut sic autem Ecclesia secundum se totam quoad omnia membra viva est sine maculâ, tum actualiter in infantibus recenter Baptizatis, tu virtualiter in adultis justis & sanctis. Secundùm hanc verò significationem Ecclesia intelligitur pulchra quidē, quoad aliqua membra. Primos scilicet parentes Originaliter, non autem indefectibiliter, secundùm alia membra, recenter scilicet Baptizatos, non Originaliter, sed actualiter & defectibiliter: secundū sanctos verò adultos peccatis venialibus obstrictos, non actu, sed in virtute fidei perfectæ, ac
17. per Charitatem formatæ. De quibus proinde Sanctis verificatur, quòd Ecclesia secundùm ipsos tāquàm sua membra sit Tota pulchra & sine maculâ, nō quidem simpliciter & absolutè, sed sub aliquâ restrictione. ex Divi Thomæ exposit. præalleg. locum Cantici. Quare Salomon prophetico spiritu perlustrans omnia tempora Ecclesiæ, tam præsentia, quàm futura, debuit præter illa membra, de quibus non absolutè, sed cum restrictione duntaxat verificatur, esse sine omni maculâ, circumspexisse aliquod Ecclesiæ membrum, Spiritui sancto eatenus conjunctum, ut cum omnimodâ universalitate dici posset totū pulchrum, nullam aliquando in se habens maculam. At hoc in præallegatis Canticorū verbis, tota pulchra es, & macula non est in te, prophetice prænuntiatum, fuisse impletum in Beatissimâ Virgine, testatur sanctus Thomas supra citatus. Per hunc igitur sacrum textum demonstratur efficaciter omnimoda Beatissimæ Virginis à peccato tam originali, quàm personali immunitas.

18. Replicabis. Nos supra ex Soto dixisse, quòd Cantica Canticorum sint per allegoriam de Christo & Ecclesiâ. Hinc autem inferri 1. quòd in sensu litterali non procedant de Beatissimâ Virgine, etiam quà membro Ecclesiæ. 2. Licèt ille sacer textus, Tota pulchra es, & macula non est in te, secundariò esset de sanctissimâ Virgine quà membro Ecclesiæ, sequi, textum ejusmodi non posse etiam per allegoriam de ipsâ intelligi, nisi pro illo primùm instanti, quo incepit esse membrum Ecclesiæ. At Ecclesiæ membrum fuisse sanctissimam Deiparam ex illo primùm tempore, quo fuit in utero sanctificata. Neque verò per illum sacrum textum definiri, quo tempore ac momento fuerit Virgo sanctificata in utero. Ergo illum textum probare quidem, quòd sanctissima Virgo Deipara ab illo tempore, quo fuit in utero sanctificata, fuerit sine omni maculâ etiam veniali: non tamen ex illo demonstrari posse, quando fuerit sanctificata, & relata inter viva Ecclesiæ membra, ut ex illo tempore Spiritus sanctus diceret ipsi, Tota pulchra es, & macula non est in te.

19. Contra. Nam iste sacer textus, tum de Ecclesiâ, tum ut infra probabitur, de Beatissimâ Virgine procedit per allegoriam Tropicam; non autem Figuralem. Hæc autem licèt fundet Mysticum sensum, ex quo, nisi per alium litteralem sensum declaretur, non desumitur Theologicum fidei certitudine nixum argumentum: illa tamen Tropica allegoria fundat sensum litteralem, licet improprium, ex quo, si per communem Ecclesiæ consensum, vel summi Pontificis à Spiritu sancto inspirati definitionem declaretur, firmum Theologicum fidei Articuli illativum argumentum trahi potest. Est autem ista specialis Divi Thomæ prærogativa, ut summi Pontifices ac Oecumenica etiam Concilia in definiendis fidei Articulis, vel maximè uterentur Summâ illius Angelici Doctoris. At verò hic sanctus Doctor citatus expressè dicit, in SS. Deiparâ expletum fuisse, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es, & macula non est in te. Nequit autem aliquis sacer textus ex inspiratione Spiritûs sancti prophetice dictus impleri, nisi circa illud objectum, quod significat in sensu literali. Ille igitur sacer textus secundùm Summam Angelici Doctoris debet in sensu litterali intelligi de Beatissimâ Virgine, etsi secundùm eundem sanctum Doctorem in expos. Can. Cantico. accipiatur de Ecclesiâ: siquidem una sacræ scripturæ litterâ possit habere multiplicem sensum litteralem, ex eodém S. Doctore 1. p. q. 1. art. 10. At verò objectum illius prophetici effati est negatio maculæ cum omnimodâ distributione tam maculæ, quàm temporis. Probatur istud assumptum. 20.
Quia particula non est distribuens quidquid post se invenit. Ergo à subjecto, scilicet Beatissimâ Virgine omnem maculam etiam originalem removet universim pro illo tempore, quod enunciatur per verbum illius propheticæ propositionis. Hujus autem propheticæ, atque adeò Divinam præscientiam respicientis enuntiationis verbum consignificat omne tempus, quod in mente Divinâ expressum, & ut sic in æternitate præsens indicitur ex proprietate verborum talis Divinitùs prolatæ propositionis. At verò proprietas verborum in illâ propheticâ enunciatione facit distributionē temporis, sub quo per Divinam præscientiam erat in æternitate jam præsens Beatissima Virgo. Neque verò illa distributio patitur in hoc tempore aliquam exceptionem. Oportet igitur, ex veritate illius effati, nullum unquam fuisse tempus, sub quo Virgo à Deo prævideretur existens cum maculâ aliquâ. Ergo in primo statim temporis ac Existentiæ suæ instanti debuit esse verum, quòd esset tota pulchra, nec ulla in ipsâ esset macula. Quia ergò illa prophetica enunciatio verificata sint de sanctissimâ Virgine ex illo instanti, quo in utero sanctificata, est facta vivum Ecclesiæ membrum, proprietas autem verborum illius propheticæ Divinam præscientiam respicientis propositionis definiat omne tempus, Virginem ex Dei præscientiæ causalitate ambiens, ac insuper prò illo tempore ab ipsâ omnem originalem etiam maculam removeat; consequens est, sanctissimam Virginem in primo existentiæ suæ statu esse factam vivum Ecclesiæ membrum per sui sanctificationem, atque adeò præservationem à peccato originali, nec non gratiæ plenitudinem; omnis Personalis etiam venialis culpæ exclusivam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD primum ex Divo Thomâ oppositum argumentum Respondetur. Sanctum Doctorem non aliud intendere, nisi quòd secundùm 21.

dùm fidem Catholicam firmiter sit tenendum, quòd omnes homines præter solum Christum ex vi legis, ac secluso privilegio, ex Adam contrahant peccatum originale, saltem secundùm debitum. Probatur ista responsio. Nam *primò* sanctus Doctor *citatus* doctrinæ à se traditæ Theologicum fidei certitudine nixum argumentum adstruit ex illo *Roma. 5. Mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccaverunt.* At per hoc indicatur causa Mortis tam spiritualis per gratiæ privationem, quàm temporalis per corporis & animæ dissolutionem. Omnes igitur in Adamo inclusi, id est, per seminalem rationem ex ipso propagandi, in ipso peccantes contraxerunt causam, seu debitum Mortis, ita ut vi hujus debiti mors in omnes, secundùm legem ordinariam pertranseat. At huic legi non obstat privilegium sanctissimam Deiparam ab actuali originalis peccati contractione eximens; uti pluribus probat ejus discipulus Ioannes a sancto Thomâ *in approb. Doctrinæ* Divi Thomæ *art. 2. per*

22\. *totum*: ipseq; Doctor Angelicus *in 1. dist. 17. q. 2. art. 4. ad 3.* illa Divi Anselmi verba, *Quòd Beata Virgo nituit eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi*, exponens indicat, *in Beatissima Virgine*, in quiens, *fuisse depurationem ab omni peccato.* Quod clariùs explicans *eod. lib. 1. dist. 45. q. 1. art. 3. ad 3.* disserit in hunc modum: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & nullâ contagione peccati inquinatum sit. Et talis puritas est Beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in eâ potentia ad peccandum.* Ne proinde Doctor Angelicus sibi videatur contrarius, debet in illis locis, ubi Virginem beatá peccato originali obnoxiam asserit, intelligi de debito, non autem de actuali contractione originalis culpæ, veluti præter *citatum* Ioannem à sancto Thomâ censent alij quoque Thomistæ, Ferrariensis *in 4. contra gentes. cap. 50.* & Zumel *in 2. q. 81. art. 3. quæst. un.*

23\. Ad secundum ex Divo Thomâ oppositum argumentum Respondetur. Negando sequelam Majoris. Nam eo ipso, quòd Beata Virgo in Adam peccando, contraxerit originalis culpæ Debitum, indiguit redemptione per Christum, non quidem culpæ originalis actualiter contractæ expiativâ, sed per privilegium præservativâ à culpâ, ex vi legis alioquin contrahendâ: sicuti Luna in eodè instanti producta cum Sole, hujus adeò eguit illuminatione, ut Soli per naturam suam lux esset, Lunæ verò per sublimiori astri illustrationem.

24\. Ad tertium Respondetur. Eo argumento omninò probari, potuisse, imò ex vi legis debuisse peccatum originale traduci in Virginem Mariam, licèt ista traductio actualis per Christi merita ex vi specialis privilegij fuerit à Deo impedita.

❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II

Utrùm Beatissima Virgo fuerit liberâ etiam à Debito originalis culpæ?

1\. SUpponendum 1. Debitum Originalis peccati ex Salazario *in defens. Immaculatæ Conceptionis cap. 15. n. 4.* describi posse, quòd *sit obligatio quædam passiva, & moralis necessitas, quæ ex pacto cum Adamo inito & ex transgressione hujus, in posteros redundavit, per quam obstricti sint reatui culpæ, & Justam indignationem Dei, atque adeò maculam, sive peccatum habituale incurrere debeant.*

Supponendum 2. Istud debitum duplex statui solere, remotum scilicet, ac proximum. Illud plerique dicunt, esse naturæ Humanæ per seminalem generationem ab Adamo propagatæ conditionem, vi cujus posteris Adami competit aptitudo quædam culpæ originalis contrahendæ. Hoc verò dicitur, esse ipsa actualis continentia, sive inclusio in pacto Adami. Quibus adeò suppositis, superest difficultas hîc decidenda, *Utrùm sanctissima Deipara fuerit inclusa in pacto Adami?* 2.

Referuntur sententiæ.

IOannes Perlinus *in suâ Apolog. pro Magna Matris Dei ab originali debito immunitate, à disp. 5. usque ad 11.* multis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Revelationum, Patrum, Authoritatibus & rationibus probando summam sub Deo puritatem, sanctitatem, Dignitatem, & sublimitatem Mariæ, consequenter ostendit, dedecuisse, ut Virgo sancta esset inclusa in Adami peccantis pacto, siquidem inde contraxisset servitutem peccati. 3.

Ferdinandus de Salazar *in lib. de Conceptione Virginis. cap. 24.* aliorum sententijs latè impugnatis, rem hanc ita componit, ut *primo* Deus decreverit hominem, imò homines non *confusè*, sed *distincte* hos eosdem, qui futuri erant, creare: *postea* fecerit unum, Adamum scilicet, Caput eorum physicum & morale, cum eoque inierit pactum de transfundenda gratia ad posteros: *exinde* lapsum videns, Christum Redemptorem præordinaverit: *deinde* Matrem illi prævideri, non quidem ex fæminis jam prius prævisis futuris, quòd illæ omnes peccato infectæ fuerint, sed aliam de novo, ultra omnes illas, propter Christi merita producere voluerit pulchram, sanctam, & undique immaculatam, quæ cum cæteris pactum non intraverat. 4.

Cardinalis de Lugo *disp. 7. de incarn. sect. 3. à n. 25.* refutans prætactam Salazarij sententiam, postea *n. 37.* rem istam explicat per sequentia Decretorum Divinorum signa. In primo ait, Deum creasse primum hominem, quem constituerit Caput morale posterorum, in ordine ad transfusionem, vel amissionem gratiæ, exceptá tamen jam tunc eá, quam sibi Deus ad Matrem eligeret, non determinando pro eo signo, quam eligeret, imò nec, an esset Matrem electurus. In secundo postea signo, cùm vidisset peccatum, decrevisse Christum Redemptorem in remedium hominum. In tertio denique signo ex Christi meritis elegisse Mariam in ejus Matrem, quæ quidem eo ipso, quòd fuerit electa, intelligatur non peccasse in Adamo; cùm in ipso pacto censeatur excepta, quæcumque eligatur in Christi Matrem. 5.

Gundisalvus Sancius ab Adamo Burghaber *in suo Tracta. de Immaculatâ Concept. n. 49.* relatus, præsupposita scientiâ conditionatâ, quâ Deus ab æterno cognoverat, si Adamus conderetur, & transfusis in eum voluntatibus caput nostrum constitueretur, futurum esse, ut is laberetur, omnesque posteros perderet; hâc, inquam, 6.

inquam scientiâ suppositâ, docet, Deum in primo statim signo decrevisse Christum Dominum, & quidem passibilem, mortalem, & in crucem agendum. In *Secundo* deinde signo præordinasse huic Matrem, eamque ex meritis Christi ad gloriam prædestinasse. In *Tertio* signo statuisse propter Christum & Beatissimam Virginem creare mundum, & omnes creaturas, interque eas Adamum cum suis posteris, annumeratâ his ipsâ beatâ Virgine. In *Quarto* voluisse dare Adamo legem, & cum eo inire pactum, ad quod omnes posteri tenerentur, exceptâ Beatâ Virgine. In *Quinto* denique, prævisо Adami, & totius posteritatis lapsu, constituisse, ut Christus suâ morte, ad quam in primo signo erat prædefinitus, redimeret genus humanum.

7. Didacus Granados *à citato* Burghaber *n. 51.* relatus ait: Deum, præsuppositâ scientiâ conditionalium, uno indivisibili decreto statuisse creare Mundum, inire pactum cum Adamo, ponere ei legem, permittere violationem legis, mittere Filium suum, ut per mortem suam mederetur generi humano conciperetúrq; ad eum finem ex Virgine purissimâ; quam idcirco à lege illâ propter filium ex eâ nasciturum eximebat.

8. Adamus Burghaber *n. 58.* suppositâ virtuali decretorum Divinorum distinctione, negotium illud taliter expedit, asserendo, *Primò* Deum præsentiâ absolutâ vidisse futura sua, antequàm in ijs formandis *actu* se exerceret, decreta creandi hominem, permittendi ejus peccatum, Redemptionẽ per Filium prædestinandi. *Secundò* tum propter operis præstantiam, tum propter Redemptionem decrevisse Incarnationem seu Christum quà passibilem; ita quidem, ut licèt duplex ista intentio in eodem sit signo totali, posterior tamen suo modo referatur ad priorem; possintque adeò duo particularia decreta poni. *Tertiò* elegisse Mariam Virginem in Matrem Christi, statuisseque idcircò propter merita Christi producere eam, quàm purissimam, sanctissimam, gloriosissimam. *Quartò* elegisse quoque Deum ad gloriam quosdam Angelos & homines, itidem propter Christum, ejusque passionem, qui destinato jam Cœli Regi ac Reginæ, velut Aulici nobilissimi astarent, æternâque cum ipsis fælicitate, ac beatitudine Cœlestis regni fruerentur. *Quintò* determinâsse media factæ ordinationis exequendæ, inter quæ respectu hominum sit permissio peccati, ejusque deletio per applicationem meritorum Christi. Unde inferri, quòd, cùm Deus ante jam, quàm decerneret pactum inire cum Adamo, ejusque peccatum permittere, elegerit Virginem, potuerit deinde ita inire, imò re ipsâ tale pactum cum Adamo iniverit; *volo si non pecces, Justitiam originalem à te transfundi in omnes posteros seminaliter à te propagandos, quicumque tandem illi sint absque ullâ limitatione: Sin autem pecces, volo peccatum tuum moraliter censeri debere peccatum omnium posterorum, qui vel in eodem tecum signo, vel in posteriore aliquo signo decreti fuerint.* Quâ ratione evidenter excipi Beatam Virginem, præservarique à peccato contrahendo, utpote jam ante Adamum in superiore aliquo signo decretam.

9. Doctor Angelicus *1. 2. q. 81. art. 4.* tradit, secundùm fidem Catholicam firmiter fatendum esse, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale (quoad debitum ac ex vi legis) ex Adam contrahant: eò quòd omnes in Adamo peccârint. Cui, quoad ejusmodi debitum à sanctissimâ Virgine in Adamo contractum, seu quoad ejus in Adami pacto & voluntate inclusionem præter Thomistas accedunt Bellarminus *tom. 3. controv. lib. 4. de amiss. gratiæ cap. 16.* Suarez *tom. 2 par. 3. disp. 3. sect. 2.* Vasquez *tom. 2. in 3. p. disp. 115. cap. 3.* & alij plures Societatis Jesu Theologi.

CONCLUSIO.

SAcræ Scripturæ modus loquendi universalis non permittit, ut Beatissima Virgo eximatur à proximo peccati originalis debito, dum neque ex Divinis litteris aliqua hujus exemptionis ratio ostenditur, neque Deiparæ puritas illam exigere videtur.

Probatur *ex Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quo ita licet argumentari: Peccatum, quod per unum hominem intravit in Mundum, est tum personale Adami, tum originale ejus posterorum. *ex Concilio Tridentino, in Decreto de orig. pecca sess. 6. n. 2.* At istud originale peccatum intravit in Mundum, ex eo, quòd omnes pecaverint in Adamo, *ex versione Siriacâ.* Hinc autem & mors pertransiit in omnes homines. At verò Apostolus inter peccatum originale, & mortem facit discrimen aliquod, quòd mortem dicat pertransiisse in omnes homines, peccatum verò asserat, intrasse in Mundum. Sub nomine autẽ Mundi intelligitur hic Universitas hominum. At cum veritate subsistit, quòd peccatum originale intraverit in hominum Universitatem, etiamsi unus hominum, Beatissima scilicet Virgo fuerit immunis ab illâ maculâ. Econtrà secundùm proprietatem verborũ non subsisteret, quòd mors in omnes homines pertransierit, ex quo omnes in Adamo peccaverunt; si unus hominum ex Adamo propagatus neque peccasset in ipso, nec consequenter mors ex isto peccato, sed ex naturæ duntaxat conditione pertransisset in illum hominem, Beatissimam scilicet Virginem. Consequens proinde est, sacræ Scripturæ loquendi modum universalem secùndùm proprietatem verborum non permittere, ut Virgo Deipara dicatur, neque in Adamo peccasse, neque mortem exinde contraxisse, tametsi ille sacer Apostoli textus permittat ejus à culpâ originali exemptionem. 10.

Dices cum Adamo Burghaber, *de immunit. Beatissimæ Virginis nu. 60.* Ipsam etiam sacram Scripturam leges universales non universaliter quandoq; accipere. Sic enim Assuerum fuisse allocutum Regiam conjugem suam Estherem; *Noli timere, non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Esther 15.* Si proinde Esther non debuit in omnium censum communi etiam æstimatione respectu illius legis referri; posse ac debere etiam Virginem Deiparam non censeri inter omnes, qui in Adamo peccaverunt; siquidem Deus illam adeò evexerit super omnes creaturas, ut nullis harum legibus ac juribus ejus perfectio mensuretur. 11.

Contra. Nam in potestate Assueri fuit, ut legem à se latam limitaret per exceptionem Reginæ. Etsi verò fuisset in Dei etiam potestate, 12

 ut exi-

ut eximeret aliquem Adæ posterum à lege, & pacto, vi cujus omnium voluntatibus in Adamum translatis, omnes in ipso peccaverunt: attamen scripturæ sacræ loquendi modus universalis secundùm proprietatem verborum non permittit, ut hoc à Deo factum asseveremus, dum nulla in sacris litteris fundata exceptionis illius ratio allegatur. Confirmatur ex illo 1. *Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ex hoc enim licet taliter argumentari. Omnes sunt in Adamo mortui, quatenus in ipso peccaverunt. At omnes vivificandi in Christo, erant mortui in Adamo. Verum autem est, quòd omnes quantùm ad sufficientiam & in causâ, non verò quoad efficaciam in effectu vivificabuntur in Christo: quatenùs Christus pro omnibus mortuus est. 2. *Cor.15.* At eo ipso, quòd Christus pro omnibus mortuus sit, Apostolus *in cit. 2. Cor. 5. cap.* infert. *Ergo omnes mortui sunt*, in Adamo nimirum ceu causâ mortis. Oportet igitur, eâdem universalitate esse verum, quòd omnes mortui sint ac peccaverint in Adamo, quâ universalitate verificatur, quòd pro omnibus sit mortuus Christus, quòdque omnes, quotquot Adæ posterorum unquam extituri sunt, in Christo ceu causâ sint vivificandi. At nefas esset, ab istâ posteriori universali locutione excipere ullum hominem. Quo igitur Jure ac fundamento licet in illâ priori æquè universali propositione facere aliquam exceptionem, nullo præsertim alio sacræ Scripturæ textu adstipulante.

13.

14. Replicabis. Ex sacræ scripturæ sensu etiam verificari, quòd peccatum originale in omnes Adæ posteros pertransierit; juxta illud *ad Rom. 5. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius Justitiam in omnes homines in Justificationem vitæ.* At non obstante isto Sacræ Scripturæ universali modo loquendi, subsistere, quòd condemnatio per peccatum Originale contracta ex Adami delicto non pertransierit in Beatissimam Virginem. *ex citato Trident. decreto in fine.* Quare nec illum universalem Sacræ scripturæ loquendi modum, vi cujus omnes dicuntur peccasse in Adamo, obstare, quò minùs excipi possit Virgo Deipara.

15. Contra. Nam Apostolus Paulus in illis verbis facit comparationem inter Adamum & Christum. At per Christi Justitiam est omnium hominum Justificatio quoad sufficientiam & in Causâ, non verò quoad effectum in actu secundo. Pari ergo ratione illud Apostoli debet intelligi *primariò* de omnium condemnatione *in causa* scilicet Adamo, & ex consequenti accipitur de condemnatione *actualiter* contractâ per peccatum originale. Unde illa distributiva quoad omnium condemnationem per Apostolum asserta universalitas plenè subsistit, etsi ex parte condemnationis ex illâ consequentis, quoad actualem peccati originalis contractionem, fiat exceptio aliqua. Imò ne hanc quidem facere licet sine fundamento ex sacris litteris petito. At de Originalis peccati maculâ haberi in Divinis scripturis fundamentum solidum, probavimus *in præcedente controversiâ* per istum sacrum textum, *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Patet igitur, Beatissimæ Virginis ab actuali originalis maculæ contractione immunitatem subsistere posse cum universalitate ac proprietate verborum Sacræ Scripturæ, habereque in hâc fundamentum: Secùs verò esse de debito, in eo duntaxat se tenente, quòd omnes peccaverint in Adamo.

Instabis. Ex illo ipso sacro textu Deiparam totam pulchram & immaculatam pronunciante evinci Virginis Sanctæ exemptioné à debito proximo culpæ originalis; cùm per hoc debitum peccando in Adamo, fuisset particeps hujus peccati. 16.

Contra. Nam ex hoc, quòd Beatissima Virgo peccarit in Adamo, non habuit in se maculam, sed hujus duntaxat proximum in Adamo quà Capite, omniumque adeò posterorum voluntates in se moraliter translatas habente subjectatum debitum. At ille sacer textus negat maculam in Beatâ Virgine *Formaliter* subjectatam, juxta illud, *non est macula in te.* Etsi verò peccatum Adami esset respectu posterorum macula *Causaliter*, quatenus ex illo de lege ordinaria transfunderetur culpa originalis: Nihilominus peccatum illud non poterat *formaliter* deturpare pulchritudinem Mariæ, dum per gratiam præservata fuit ab originali *formaliter* inexistente maculâ. Ergo ex sacro illo textu non evincitur Deiparæ immunitas à Debito peccati originalis, vi cujus dici posset non peccasse in Adamo. 17.

Urgebis. Ex eo, quòd Beatissima Virgo in Adamo ceu Capite, Virginis etiam voluntaté in se *Moraliter* translatam habente peccasset, evinci, ipsam *Moraliter* saltem contraxisse aliquâ maculam, non quidem personali suâ propriâ, sed Capitali voluntate. At hoc ipsum videri repugnans Virginis Deiparæ puritati, quâ sub Deo Major nequit intelligi; cujusmodi tamen puritate nituisse Virginem Sanctissimam, testatur Divus Anselmus *lib. de concept. & de peccat. Original. cap. 18.* Imò ex illo etiam debito Virginem contracturam fuisse servitutem peccati, quæ omninò dedeceret dignitatem tantæ Dominæ evehendæ ad statum Maternitatis Divinæ. Si proinde Maria, quam tanta servat gratia, & tanta Dignitatis prærogativa extollit, non immeritò verâ æstimatione excipitur à quibusdam generalibus legibus, uti asserit Sanctus Augustinus *de Virg. Assumpt. serm. 3.* consequens est, ipsam exceptam quoque fuisse à lege & pacto Adami, atque adeò debito culpæ originalis. 18.

Contra. Nam Beatissima Virgo potest spectari in statu tum objectivo, tum physico & reali. At in statu objectivo intelligi potest Virgo tum respectu Decreti, & præscientiæ Divinæ, vi cujus substiterat pactum cum Adamo initum, omniumque adeò ejus posterorum voluntatum in Adami Capitalem voluntatem moralis translatio: tum respectu decreti ac præscientiæ Divinæ, vi cujus post prævisum Adami peccatum, Christo Redemptore Divinitùs præfinito, ordinabatur Maria in Deiparam, cum gratiæ plenitudine ac immunitate ab omni tam personali, quàm originali peccato. Est autem inter hos duos objectivos Mariæ præordinativos status hoc discriminis, ut priori per modum effectûs responderet physica ac realis Adæ, ejusq; posterorum, ipsius etiam Mariæ existentia; omniumque voluntatum, in Adami voluntatem transfusio moralis, nec non permissio peccati 19.

cati Adæ, Capitali voluntate peccantis.

20\. Econtra verò posteriori objectivo Mariæ in Divinâ mente præordinatæ statui per modum objecti ac effectûs respondet physicus status Virginis, quâ per Christi merita immunis ab omni originali & actuali culpâ. At verò licèt illi priori objectivo statui per modum effectûs etiam respondeat physica Mariæ existentia; hæc tamen in actu *exercito* non erat, nisi prout suberat posteriori quoque objectivo statui. Unde Beatissima Virgo nequit dici, quòd *in actu exercito*, atque adeò *in physico Existentiæ statu* habuerit debitum originalis peccati, siquidem ab hoc fuerit depurata in signo æternitatis, in quo per merita Christi fuit evecta ad Maternitatem Divinam. Etsi proinde Maria quoad objectivum pro aliquo signo, in quo antecedenter ad ipsius pro Matre Dei præelectionem, ex vi pacti divinitùs præordinati fuit transfusa in Capitalem Adami voluntatem, possit intelligi cum originalis peccati debito, attamen ex illo rationis instanti, quo in Matrem Dei præelecta fuit, intelligi nequit cum tali debito, utpote per merita Christi secundùm præordinationis Divinæ efficaciam in æternitate jam extincto, atque adeò impedito, ne in ipsius statum physicum derivaretur.

21\. Atqui tota Virginis puritas, ejusque à generalibus maculam quamcumque respicientibus legibus exemptio pro objectivo æternitatis statu fuit ab illo signo, in quo præordinabatur in Matrem Dei, atque adeò Spiritûs Sancti in eam superventuri sponsam, ut sic enim alloquitur eam Spiritus Sanctus; *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Constat igitur, totam Deiparæ ac Spiritûs Sancti sponsæ puritatem omnis non tantùm *physicè* inexistentis, sed *Extrinsecus* etiam denominantis maculæ, atque adeò peccati etiam Capitalis exclusivam subsistere, non tantùm pro statu physico realis existentiæ ipsius, sed pro signo quoque æternitatis, in quo fuit præelecta Mater filij Dei, & Spiritûs Sancti virtute suâ in Deiparam evehentis sponsa: tametsi pro aliquo signo Christi præfinitionem, atque adeò Mariæ præelectionem antecedente possit intelligi cum debito culpæ originalis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

22\. AD Argumentum ex parte Perlini *n. 3.* oppositum Respondetur. Ex dictis constare, quòd Virgo Sanctissima non *Formaliter* contraxerit servitutem peccati, sed *Causaliter* in alieno supposito duntaxat, pro statu objectivo antecedente ipsius præelectionem in Matrem Dei. Hoc autem non repugnare sed maximè convenire ipsius summæ puritati, utpote per Redemptionem Christi acceptæ.

23\. Ad Salazarij *n. 4.* oppositum Respondetur. Exinde sequi, quòd Virgo Deipara non fuerit redempta à Christo, siquidem redemptio supponat servitutem saltem *Causaliter* in alieno supposito, pro statu objectivo contractam. At Sacræ Scripturæ loquendi modum universalem ex proprietate verborum non permittere, ut Virginis Deiparæ per Christum redemptio negetur.

24 Ad Cardin. de Lugo *n. 5.* oppositum Respondetur. In illo supponi, quòd Deus pro signo, in quo decrevit Adamum morale posterorum Caput, debuerit habere conditionatum decretum prædestinandi Christum Redemptorem, & aliquam Adæ posterorum præeligendi in ejus Matrem. Quomodò enim potuisset Deus à pacto Adami excipere, quam in Matrem esset electurus, nisi pro illo signo haberet conditionatum in Matrem Dei assumendi decretum, vel præscientiam conditionatam? At præterquam, quòd illud decretum conditionatum in nullo sacro textu fundatum sit, præscientia autem futurorum conditionatorum in decreto debeat esse fundata, velut *in primo tomo* demonstravimus, non est, cur vel decretum ejusmodi, vel præscientia conditionata dicatur fuisse de aliquâ tantùm *in confuso*, non autem *determinatè* eligendâ in Matrem. Nequit ergo hâc in parte placere præallegata Cardinalis de Lugo doctrina.

Ad Gundisalvi *n. 6.* oppositum Respondetur. In eo supponi, quòd Deus antecedenter ad prævisionem peccati statuerit Christum passibilem ac Redemptorem. Hoc autem pugnare cum sacris litteris, supra ostendimus. 25.

Ad Didaci Granados *n. 7.* oppositum Respondetur. Posse quidem intelligi, quòd Deus per scientiam, non mediam, sed simplicis intelligentiæ præsciverit, Adamum in illis ipsis, in quibus re ipsâ positus fuit, gratiæ *solùm posse*, non autem *ipsum velle* & *operari* dantibus adjutorijs positum, peccaturum. Hanc tamen præscientiam nihil conferre ad præsentis difficultatis enodationem. Probatur istud assumptum. Ex sacris enim litteris alibi demonstravimus, Christum, Adamo non peccante, non fuisse venturum. Ergo prævisio peccati in Adamo est pro aliquo signo antecedens præfinitionem Christi. Etsi proinde in Deo non sit nisi unicum *realiter* decretum, attamen hoc *virtualiter* oportet esse multiplex ac divisibile in varia rationis signa: prout *supra* probatum est. 26. 27.

Ad Adami Burghaber *n. 8.* oppositum Respondetur. In eo multa falsa supponi. 1. Quòd Deus sua decreta futura pro aliquo rationis signo præsciat: hoc enim tanquàm Chimæricum refutavimus *in 1. tomo q. 5. ar. 5. cont. 5.* 2. Quòd Deus antecedenter ad Decretum creationis hominum, ac permissionis peccati prædestinarit Christum etiam Redemptorem: hoc enim rejecimus *superiùs.* 3. Quòd permissio peccati fuerit medium, quod Deus eligeret propter Christum Redemptorem, quà Finem præintentum: hoc enim *superiùs* rejectum est. 4. Quòd Beatissima Virgo fuerit præelecta in Matrem Dei, antecedenter ad peccati permissionem, & pactum cum Adamo initum, nec adeò in hoc fuerit inclusa. Hoc enim cum sacris litteris haud concordare, patet ex deductis *in præsenti controversiâ.* 28.

COROLLARIUM.

INfertur 1. *Qualem, & quantam Virgo Deipara in primo conceptionis instanti habuerit gratiam?* Nam 1. cùm Sanctissima Virgo non habuerit gratiam connaturalem, fuit in statu viæ, cui proprium est, ut *Justorum semita quasi lux splendens procedat, usque ad perfectum diem. Proverb. 4.* Consequens proinde est, ipsam non habuisse ab initio gratiam in summo sibi divinitùs præfinito intensionis gradu consumatam. 2. Cùm Virgo sancta 1. 2.

cta esset prælecta in Matrem Dei, ac ex vi hujus prælectionis præ cæteris Sanctis etiam Angelis, Deo magis propinqua, consequenter in primo cõceptionis instanti habuit tantam gratiæ plenitudiné, quæ in suâ intensione superaret perfectionem gratiæ supremo Angelorum collatæ in primo creationis suæ instanti. Cujus ratio per Sanctum Thomam *3. p. q. 27. ar. 5.* deducta est. Quòd quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat ejus effectum. ex Divo Dionys. *cap. 4. de cœlesti hierarchiâ.* At Christus est principium gratiæ secundùm Divinitatem quidé principaliter, secundùm humanitatem verò instrumentaliter: Beatæ autem Virgini in Matrem Dei prælectæ ex dignitate hujus Maternitatis, quâ erat Christo propinquissima, fuit prædestinata sanctitas & puritas, quam in primo etiam Conceptionis instanti accepit. Tunc igitur ex vi Divinæ prælectionis debuit obtinere gratiæ plenitudinem, quâ cæteris sanctis etiam Angelis præemineret.

3. Ex quo proinde fundamento 3. videtur, posse cum Suarezio *to. 2. in 3. par. disp. 4. sect. 1.* affirmari tanquàm pium & verisimile, quòd gratia Virginis in primâ sanctificatione intensior fuerit, quam suprema gratia, in quâ consummantur Angeli & homines. Ad cujus probationem accommodari solet illud *Psal. 86. fundamenta ejus in montibus sanctis*: Hoc enim exponi potest, quasi diceretur, fundamenta Beatæ Virginis posita esse, ubi alij Sancti consummârunt. Unde in *citat. psal.* dicitur; *Quòd Deus diligat portas Sion super omnia tabernacula Iacob, quia altissimus fundarit illam, & in eâ factus sit homo.* In quem adeò sensum Divus Gregorius *1. Reg. cap. 1.* applicat illud *Isaiæ 2. 2. Et erit preparatus mons Domini*, Beata scilicèt Virgo, *in vertice montium*; ita ut sanctitas, quæ alijs Sanctis est finis, illi Vir-
4. gini fuerit initium. 4. Cùm virtutes infusæ, ac Dona Spiritûs Sancti *per se* & connaturaliter connexa sint cum gratiâ sanctificante, consequens est, omnes illas virtutes & Dona in excellenti gradu collata fuisse Sanctissimæ Virgini in primo conceptionis instanti. Unde Sanctus Ambrosius *serm. ad virg.* illum sacrum textum, *Sanctificavit tabernaculũ suum*, applicans Sanctissimæ Deiparæ, in eam, inquit, descendisse ipsum Christum cum omnibus virtutibus suis essentialibus.

5. Infertur 2. Sanctissimam Deiparam in primâ suâ sanctificatione accepisse donum perseverantiæ, cum prærogativâ speciali, ne unquàm peccaret etiam venialiter. Nam 1. de Virgine sanctâ ob oculos semper ponendus est celebris ille locus S. Augustini *de nat. & grat. cap. 36. Cùm de peccatis agimus*, inquientis, *nullam de Virgine Matre haberi volo quæstionem.* Unde Concilium Tridentinum *sess. 6. de Justif. can. 23.* docet, Ecclesiam tenere, quòd Beata Virgo ex speciali Dei privilegio omnia peccata venialia vitarit. 2.
6. Hæc tamen Beatissimæ Virginis impeccabilitas non erat ab intrinseco, sicut in Christo, & in Beatis, sed ex certitudine Divinæ providentiæ, præordinantis Virgini Deiparæ talia gratiæ auxilia, quibus omni tempore staret in actuali bonorum operum exercitio. ex Divo
7. Thomâ *q. 24. de verit. ar. 9.* Hinc 3. Calumniæ in Virginem meritò damnandus est, quisquis asserit, Virginem in fide dubitasse, dum Angelo respondit *Lucæ 1. Quomodo fiet istud?* Hanc enim quæstionem non fecit Beatissima Virgo propter dubitationem, sed propter materiæ descriptionem pleniorem, propter veritatis majorem expressionem, propter opinionum exclusionem, & propter nostram ædificationem. ex Alberto Magno. *super missus. quæst. 224.* Pari blas- 8.
phemiæ in Virginem notâ 4. digni sunt, qui eam negligentiæ, & culpæ arguunt, dum Filium perdiderat. Etenim ipsa Scriptura Sacra eam excusat, *Et non cognoverunt* inquiens *parentes ejus.* Quam equidem ignorantiam ex altiori Divinæ dispensationis fine, ad eorum singulare meritum sapienter procuravit Christus, uti ex subsequentibus patet, dum dicit: *an nesciitis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* 5. pro- 9.
inde improbari etiam debet Origenes, si, ut alij tenent, illa Simeonis verba, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, accepit de aliquâ circa Christi Divinitatem sub tempus mortis ipsius dubitatione: sed gladius ille erat ipsa mors Christi, causans in Virgine compassionis dolorem, ex perfectione fidei & Charitate profectum, dum Virgo per amorem morte fortiorem, Christi mortem suam quoque fecit. ex Divo Bernardo *in sermone, signum magnum.* 6. rejciendi 10.
sunt, qui Sanctam Virginem, dum postulabat in Canâ Galilææ miraculum fieri, aliquâ ambitionis notâ afficiunt, quam proinde Christus repulerit *Ioan. 2. Quid mihi*, inquiens, *& tibi est mulier?* Etenim illa verba non sunt reprehensionis, sed instructionis propter circumstantes; ut discerent, opus ejusmodi miraculosum non ex humano respectu, vel consanguinitate pendere, sed ex Divino obsequio, & voluntate, uti ex Patribus ostendit Suarez *cit. disp. 4. sect. 4.* 7. 11.
denique reprehendendi sunt, qui Virginem reprehensam dicunt à Christo *Lucæ 8.* asserente, *quæ est mater mea?* Hæc enim verba ad turbam directa erant instructionis, non autem reprehensionis, quibus docerentur circumstantes, propter carnaliter conjunctos non esse opus Dei interumpendum, neque sanguinis conjunctionem cum Christo sine spirituali prodesse, uti ex Patribus demonstrat Suarez *citatus.*

Infertur 3. Qualem Beatissima Virgo habu- 12.
erit gratiæ plenitudinem. Nam 1. in primâ sui Sanctificatione accepit gratiæ plenitudinem comparativam, vi cujus nimirum cujuslibet Sancti gratiam consummatam excederet, *uti supra illat. 1.* dictum est. Vi cujus tamen primæ Sanctificationis non erat sublatus à Virgine fomes secundùm essentiam, sed remansit ligatus, tum per abundantiam gratiæ, tum per providentiam Dei sensualitatem Virginis ab omni inordinato motu prohibentis. ex Divo Thomâ *3. p. q. 27. art. 3.* 2. Illa tamen gratiæ plenitu- 13.
do non ita accipienda est, quin Virgo Sanctissima per continuatos supernaturalium virtutum actus cresceret in sanctitate. Quæ enim, teste Ruperto *lib. 6. in Cantica non longè à principio*, in suâ primâ sanctificatione fuerat ut Aurora, in Filij conceptione incœpit esse ut Luna. In quâ etiam Filij conceptione omninò fuit extinctus in Virgine fomes peccati: quia enim in carne Christi refulgere debuit peccati immunitas; ex sancti Doctoris *præcitati* mente, credendum est, redundasse ex prole in Matrem. Unde dicitur *Ezechielis 43. Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem*, id est, per beatam Virginem, *& terra*, id est,

id est, caro ipsius *resplendebat à Majestate ejus*, scilicet Christi. 3. Etsi verò nonnulli existimarint, Beatissimam Virginem ab incarnatione Filij non ampliùs crevisse in Sanctitate. Quibus adstipulari videtur Divus Bernardinus Senensis *serm. 51. de Concept.* asserens; *Virginem in filij conceptione tantam accepisse gratiam, quantam accipere potest creatura viatrix.* Nihilominùs credibile non est, tam excellentes Virginis actus ex perfectissimo amore & charitate circa Christum exercitos caruisse suo præmio, & augmento gratiæ ac gloriæ, maximè, cùm, sicuti Charitas propter sui objecti infinitam appretiabilitatem, sic gratia cum Charitate connexa nullum ex naturâ suâ habeat terminum intensionis, sed in infinitum possit magis & magis crescere.

14.

15. Unde Doctor etiam Angelicus *cit. q. 27. art. 5. ad 2.* triplicem in Virgine Beatâ distinguit gratiæ perfectionem; primam, quâ reddebatur idonea, ut esset mater Christi; secundam, quam accepit ex præsentiâ filij in ejus utero incarnati; tertiam, quæ est perfectio finis, habeturque in gloria.

16. 4. Denique gratiæ plenitudo in Beatissimâ Virgine præter dona gratiæ gratum facientis continebat gratias gratis datas; etsi non omnium in vitâ adhuc mortali haberet usum. Sic enim sapientiæ usum habuit in contemplando, juxta illud *Lucæ 5. Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

17. Non tamen habebat sapientiæ usum in docendo publicè, sed privatim instruendo Apostolos quosdam, & Evangelistas. Deinde miraculorum usus ipsi non competebat, dum erat in hâc vitâ, tunc enim temporis Christi Doctrina erat confirmanda miraculis, atque adeò soli Christo & ejus Discipulis, Christi doctrinæ bajulis conveniebat miracula facere: Sicut etiam Joannes Baptista dicitur *Joan. 10.* nullum fecisse signum, ut scilicet omnes Christo intenderent. Econtra verò adhuc viatrix habuit usum prophetiæ, uti patet ex Cantico, *Magnificat anima mea Dominum.* ex S. Thom. *cit. art. 5. ad 3.*

QUÆ-



QUÆSTIO SEXTA.

DE

UNIONE HYPOSTATICA.

1. Dominus Sambertus Sorbonicus *ad q. 2. de Incarnatione disp. 6. art. 1. in initio* notat, unionem Hypostaticam posse tribus modis sumi. 1. Pro actione, quâ humanitas
2. fuit unita Personæ Verbi. 2. Pro illâ conjunctione, quâ Humanitas Christi Domini post talem actionem ma-
3. net actu indissolubiliter unita. 3. Pro relatione, quæ ex tali unitione resultat. De quâ proinde triplici unione hypostaticâ differemus per duos articulos. In primo examinaturi *unionem causalem, ac efficientem, seu actionem Verbi unitivam.* In secundo inquisituri *de formali Verbi cum Humanitate unione, ac Humanitatis ad Verbum relatione, resultante ex illâ unitivâ actione.*



ARTICULUS I.

DE

Actione unitivâ Verbi, atque hujus in Humanitatem influxu.

TRibus controversijs constabit præsens Articulus. In primâ erit quæstio. *Utrùm actio incarnationis sit tantùm unitiva Verbi, vel etiam creativa animæ, ac productiva Humanitatis Christi?* In secundâ. *Utrùm Verbum Divinum habeat specialem efficientiæ influxum in Humanitatem?* In tertiâ. *Utrùm Humanitas Christi à Personâ Verbi dependeat in genere causæ formalis?*



CONTROVERSIA I.

Utrùm Actio Incarnationis sit tantùm unitiva Verbi, vel etiam creativa Animæ, ac productiva Humanitatis Christi?

1. REcentiores aliqui suppresso nomine, relati à Nazario *in 3. p. q. 2. art. 8. cont. 1.* asserunt, Incarnationem esse quandam actionem altioris ordinis, identificantem sibi creationem Animæ Christi, & productionem Humanitatis. Fundamentum est. Nam actio productiva est Actio extractiva rei è suis causis. At illa actio extrahit rem è suis causis, quæ tribuit rei Existentiam: Christi verò Humanitas existit Existentiâ Increatâ Verbi. Ergo producitur vi illius actionis, per quam existit in Verbo. Hæc autem est unitiva humanitatis cum Verbo. Ergo actio Humanitatis Christi productiva est ejusdem cum Verbo unitiva, attestante Leone Papâ *Epist. 11. ad Flavian. Naturam nostram non sic assumptam esse, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsâ assumptione crearetur.* In quo adeò sensu S. Fulgentius *lib. de Incarn. cap. 3.* ita habet: *Una quippe fuit in utero Virginis Mariæ conceptio Divinitatis, & carnis, & unus est Christus Dei filius, in utrâque naturâ conceptus.*

Cajetanus *3. p. q. 6. art. 1.* Alvarez *ibi disp. 30. post 2. concl.* Alensis *3. par. suæ sum. q. 8. membro 2.* Scotus *in 3. dist. 1. q. 1.* Gabriel *ibi.* & Ocham *eâdem q. 1. art. 1. & dist. 2. art. 1.* Suarez *præs. disp. 8. sect. 1.* Franciscus Amicus *hîc disp. 8. sect. 1.* Martinon *disp. 5. sect. 1.* Nazarius *in cit. art. 8. controv. 1.* negant; Incarnationem esse actionem productivam Humanitatis, & simul unitivam cum Verbo. Cui sententiæ adstipulatur Divus Thomas *in 3. p. q. 4. art. 2.* docens: id, quod assumitur, debere præintelligi assumptioni, sicut, quod movetur localiter, præintelligitur motui. At si assumptione, seu actione Incarnativâ produceretur humanitas, non posset præintelligi assumptioni, cùm nequeat terminus præintelligi actioni, quâ fit. Deinde idem Sanctus Doctor *q. 6. art. 3.* affirmat, Animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis fuisse creatam, quo alia anima rationalis. At si actio Incarnationis identificaretur cum actione animæ Christi creativâ, hæc non foret ejusdem generis cum creatione aliarum animarum rationalium. 2.

CONCLUSIO.

ACtio unitiva Verbi distinguitur realiter ab actione humanitatis productivâ & animæ creativâ. 3.

Probatur. Nam istæ duæ actiones erant in substantiâ naturales: illa verò est secundùm substantiam supernaturalis. At implicat, unam eandemque actionem esse naturalem & supernaturalem.

Dices,

4. Dices. Hinc sequi, Beatissimam Virginem non esse Deiparam, eò quòd conceptio & generatio ex ipsâ procedens ad solam humanitatem terminata fuisset priùs naturâ, quàm uniretur Verbo. Unde conceptionem & generationem Virginis non fuisse terminatá ad Deum. Ergo Virginem non esse Deiparam.

5. Contra. Tum quia relatio Maternitatis in sententiâ Divi Thomæ non fundatur super concursu activo *immediatè* ac *efficienter* attingente suppositum, imò & naturam geniti; sed super concursu passivo, & dispositivo, Materiæ administrativo, ac *Efficienter* præparativo; cujusmodi dispositivam Materiæ præparationem per virtutem Altissimi in utero Virginis consequebatur unitio animæ per actionem creativam à solo Deo productæ, ac corporis per Virginis naturalem virtutem, nec non Spiritûs sancti concursum taliter dispositi, ut *Connaturaliter* exigeret animæ infusionem, ejusque unionem. Unde mater *solùm mediatè* attingit Hypostasin Filij, quatenus nimirùm dispositio in materiam administratam ab illâ saltem partialiter emanans, exigit formæ rationalis unitionem, & hâc mediante subsistentiæ ac existentiæ participationem. At verò in Christi conceptione per virtutem Divinam eatenus fuit impedita Hypostasis, atque adeò Existentiæ creatæ in Christi Humanitate resultantia, ut illam suppleret Verbi Divini Hypostasis. Sicut ergo relatio Matris propter consecutivam ac mediatam Hypostasis ex ipsius naturali concursu emanationem *Denominativè* terminatur ad Filij suppositum. Sic quia naturalis subsistentia in materiâ per Virginem subministratâ, & dispositâ, ac per virtutem Altissimi unitâ cum Christi animâ, fuit suppleta per Divini Verbi Hypostasin; sequitur, Virginem rectè denominari Deiparam.

6. Tum quia si ex aliorum Doctorum sententiâ poneremus, quòd mater *Activè* concurrat ad filij conceptionem, exinde sequeretur, vel maximè debere realem admitti distinctionem unitivæ cum Verbo actionis ab actione animæ
7. creativâ, & Humanitatis productivâ. Probatur istud Assumptum. Nam concursus maternus fundans relationem Maternitatis debet esse naturalis. At eo ipso, quòd actio Humanitatis productiva realiter identificaretur cum actione Verbi unitivâ, tunc concursus Deiparæ in humanitatis productionem *Activè* influens, non posset esse naturalis; nec adeò Virgo Deipara ad illam concurreret, ut causa principalis, sed ut causa instrumentaria duntaxat. Ejusmodi verò instrumentarius influxus non fundaret relationem Maternitatis. Deindè actio animæ productiva erat creativa. Atqui actio creativa importat omnimodam Essendi independentiam. Unde nequit esse nisi in Deo, velut *in 1. tomo q. art. 1. conl. 3.* probatum est. Etsi proinde actio Humanitatis productiva & cum Verbo unitiva, quâ immanens Deo, sit realiter una & indivisibilis. Nihilominùs quia actio Humanitatis cum Verbo unitiva nõ *virtualiter* duntaxat, sed etiam *formaliter* transiens, erat recepta in humanitate, nequit habere rationem actionis creativæ. Oportet igitur, animæ Christi creationem *virtualiter* duntaxat ex Deo transeuntem, esse *realiter* distinctam ab actione Humanitatis productivâ, & cum Verbo unitivâ; utpote *formaliter* transeunte extra Deum;

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Fundamentum *n. 1.* oppositum Respondetur. Quòd actio causæ secundæ sit *formaliter* causalitas, non per se *immediatè*, sed *consecutivè* & *concomitanter* tribuens existentiam. Probatur. Nam Esse est effectus proprius Dei. Unde *per se immediatè* cujuslibet effectûs creati existentia est ex vi dictionis, ac decreti Divini, ceu causalitatis Deo *formaliter* immanentis; adeo ut nulla causa secunda ex vi causalitatis suæ, *per se formaliter* attingat existentiam, sed formæ duntaxat vel ex materia eductionem, vel cum materiâ unionem. Quia verò unione mediante, forma ex virtute actionis Deo immanentis habens subsistentiam ac existentiam, communicat istam subjecto, & composito; idcirco actio causæ secundæ *per se formaliter* attingens formæ cum materiâ unionem, *Consecutivè* attingit subsistentiam ac existentiam. Etsi proinde Humanitas Christi existat per Increatam Verbi Existentiam, non oportet, hanc communicari *per se formaliter* ex vi actionis humanam Christi naturam producentis, sed quasi *Consecutivè* & *Concomitanter*, ex vi actionis cum Verbo unitivæ, quâ supplentis resultantiam subsistentiæ ac Existentiæ creatæ. De quâ proinde concomitantiæ & consequentiæ connexione, Patrum *n. 1.* adductorum sententiæ exponendæ sunt. 8. 9.

CONTROVERSIA II.

Utrùm Verbum Divinum habeat specialem efficientiæ influxum in Humanam Christi Naturam?

HEinricus relatus à Scoto *in 3. dist. 1 q. 1. n. 18.* ponit specialem Verbi influxum efficientiæ in humanam Christi naturam. Fundamentum à *citato* subtili Doctore deductum est. Quia incarnari est specialiter illabi. At illabi pertinet ad causam efficientem. Ergo Verbum incarnando in genere causæ efficientis exercet operationem specialem, ac propriam, præter illam, quæ est communis toti Trinitati. 1.

Huic sententiæ quidam recentior ab Ysamberto Sorbonico *ad q. 2. de Incarn. disp. 7. art. 1. n. 1.* citatus adstipulatur asserendo; Verbum intimè præsens Humanitati per suam personalitatem, præbere Humanitati aliquem influxum peculiarem, ad eam sine supposito conservandam, ita ut ratione hujus conservationis dicatur ejus suppositum, sicque ex eo, & naturâ humanâ resultet unus Christus. 2.

Magister *in 3. dist. 1. § sed fortè aliqui dicunt.* Scotus *citatus* & Ysambertus *prædllegatus art. 3.* ex SS. Patribus, nominatim Ambrosio, & Augustino, nec non Concilijs Toletano *1. & 2.* fusè probant, omne id, quod in Mysterio Incarnationis habet rationem effectûs, operationisque; esse inseparabiliter à totâ Trinitate, conformiter Theologico axiomati, quòd opera Trinitatis ad extra sint indivisa. 3.

CONCLUSIO.

EX fidei orthodoxæ principijs; non licet Verbo incarnato specialem efficientiæ 4.

ſcientiæ influxum erga humanam Chriſti naturam concedere.

Probatur. Nam vis Dei ad extra effectrix importat ipſummet Divinum ſubſiſtens *Eſſe*, in ſe intelligibiliter expreſſum, atque omnis ad extra producibilis entitatis repræſentativũ, Divinæque adeò voluntatis ſub perfectiſſimâ & abſolutiſſimâ efficaciâ ſpecificativum. Unde Divina ad extra cauſalitas conſiſtit in voluntatis Divinæ decreto, effectûs alicujus præfinitivo, nec non Intellectûs Divini dictione, actualis effectui alicui præfinitæ exiſtentiæ repræſentativâ. At verò *Eſſe Dei ſubſiſtens* ſub omnimodâ entitatis ad extra factibilis repræſentatione, nec non voluntatis Divinæ decretum, Deique intellectûs dictio ita eſt communis toti Trinitati, ut indiviſibiliter inexiſtat omnibus ac ſingulis Perſonis Divinis. Nequit ergo Filius in Myſterio Trinitatis exercere ſpecialem efficientiæ influxum, quin indiviſibiliter ſit etiam à Patre ac Spiritu ſancto. Unde Chriſtus Dominus *Ioan. 5.* aſſeruit; *Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & ſimiliter filius facit.*

5. Dices. Ex mente Heinrici à Scoto *ubi ſupra* adducti, quòd ſolius Verbi Divini proprium ſit, aſſumere Hypoſtaticè naturam humanam. Atqui aſſumptionem ejuſmodi importare influxum efficientē. Oporteret igitur, Verbum ſpecialem præ alijs perſonis Divinis habere influxum in humanam Chriſti naturam.

6. Contra. Nam *Tò aſſumptio* duo importat in ſuâ ſignificatione; Alterum eſt, eſſe principium actionis humanam naturam cum Verbo unientis: Alterum eſt, eſſe terminum talis Hypoſtaticæ unionis. Etſi proinde iſtud poſterius ſit Verbi Divini proprium, at prius eſt commune toti Trinitati; Divo Auguſtino *lib. 2. de Trinit. cap. 5.* taliter differente, *Sic ergo intelligat illam incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in quâ filius intelligitur miſſus, unâ eâdemque operatione Patris & Filij inſeparabiliter eſſe factam, non utique inde ſeparato Spiritu ſancto.*

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

7. AD Fundamentum ex parte Heinrici oppoſitum Reſpondetur ex Scoto *citato q. 1. n. 11.* Incarnationem Verbi Divini importare illapſum non *in genere* duntaxat *cauſæ efficientis*, ſive producentis, ſive conſervantis, ſed etiam *in ratione Terminationis*, terminantis dependentiam naturæ humanæ, *Eſſentialiter* dependentis ab Hypoſtaſi, quà termino ſuo ſubſtantiali. Etſi proinde hæc poſterior illapſûs Verbi in humanam Chriſti naturam illabentis ratio non ſit communis Patri ac Spiritui ſancto, ſecùs tamen eſſe de priori illo illapſu, ita ut tota Trinitas *in genere cauſæ efficientis*, tam producentis, quàm conſervantis, per Incarnationis Divinæ actionem dici debeat, fuiſſe illapſa in Chriſti humanitatem.

8. Ad Doctrinam ex parte recentioris cujuſdam *n. 2.* oppoſitam Reſpondetur. Influxum humanæ naturæ ſine propriâ creatâ ſubſiſtentiâ in Chriſto conſervativum, eſſe communem omnibus tribus perſonis Divinis. Neque Verbum Divinum ratione illius *influxûs* dici ſuppoſitum Humanitatis Chriſti, ſed ratione *Terminationis Hypoſtaticè terminantis* dependentiam naturæ humanæ ab hypoſtaſi, tanquàm termino ſubſtantiali, ſupplente propriam ſubſiſtentiam.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA III.

Utrùm Humanitas Chriſti à perſonâ Verbi pendeat in genere cauſæ formalis?

HEinricus à Scoto *ubi ſupra* adductus docuit, Verbum terminare naturam humanam *in genere cauſæ* etiam *formalis*. 1.
Quod ſubtilis Doctor *n. 19.* ex hoc quoque capite refutat, quòd Verbum alioquin eſſet pars potentialis reſpectu perfectionis Totius, ſeu perſonæ ex Verbo & naturâ humanâ compoſitæ.

Cardinalis de Lugo *diſp. 11. de Myſterio Incarn. ſect. 3.* docet; naturam humanam Chriſti ut ſic habere reſpectu ſubſiſtentiæ Verbi dependentiã *à poſteriori*. Ut verò ſubſiſtat *poſitivè*, habere reſpectu ejuſdem Verbi dependentiam *à priori*, minùs propriam: Ut denique ſubſiſtat *Negativè*, & quaſi *in actu ſecundo*, habere reſpectu illius Hypoſtaſis dependentiam *omninò à priori*. Explicatur & probatur. Nam 1. dependentia à poſteriori eſt, quatenus rei alicujus Eſſe habet intrinſecam neceſſitatem, & alligationem cum aliquo ſui effectu, velut eſſentia cum paſſione propriâ, & natura cum ſubſiſtentiâ naturaliter emanante ex illâ. At verò ipſa naturæ humanæ Entitas in Chriſto habet connexionem neceſſariam cum ſubſiſtentiâ, ex ſe connaturaliter dimanante, niſi fuiſſet ſuppleta per Divinam Hypoſtaſin. Hæc igitur ex hypotheſi, quòd propria humanitatis ſubſiſtentia in Chriſto Divinitùs eſſet impedienda, omninò neceſſaria fuit; ut humana natura exiſteret. Ergo humanitas in Chriſto habet reſpectu Verbi dependentiam quaſi à poſteriori. 2.

3. 2. Quòd humanitas ſit *poſitivè* ſubſiſtens, habet *formaliter* per unionem cum ſubſiſtentiâ Verbi. Hæc igitur eſt ratio *formaliter* conſtituens & quaſi in humanitate cauſans effectum ſubſiſtentis.

4. 3. Humanitas dicitur *Negativè*, & *quaſi actu ſecundo* ſubſiſtere, quatenus per ejus cum Hypoſtaſi Verbi unionem impeditur unio, & communicatio cum omni aliâ naturâ & perſonâ. At hic effectus *à priori* provenit ex Divinâ Verbi Hypoſtaſi, quà Hypoſtaticè ſe communicante naturæ humanæ Chriſti. Ergo in ordine ad hunc effectum Humanitas Chriſti habet ab Hypoſtaſi verbi dependentiam *à priori.*

5. Nicolaus Yſambertus *cit. diſp. 8. art. 5.* tenet, humanitatem Chriſti Domini non dependere à perſonalitate Verbi Divini *in Genere cauſæ formalis*, ſed tantùm, tanquàm ab Ultimo ſuo complemento & termino ſubſtantiali, ad eum modum, quo noſtra natura habet dependentiam à propriâ ſuâ ſubſiſtentiâ, ſublatis tamen imperfectionibus.

Fundamentum eſt. Nam licèt humanitas Chriſti Domini *Formaliter* ſubſiſtat ſubſiſtentiâ Verbi Divini, tanquã *Cauſâ quaſi formali*, ineffabili enim modo terminatur & ſuſtentatur à Verbo, per cujus hypoſtaticam unionem conſtituitur in

tur in ratione completæ substantiæ. Nihilominùs sicuti subsistentia creata non se habet ad naturam instar formæ *physica*, sed *Metaphysicæ* duntaxat, nec adeò respectu naturæ exercet strictam causalitatem formalem, sed habet se ad illam instar termini Ultimò complentis substantiam, sic subsistentia Verbi increata nequit respectu Humanitatis Christi se habere ut causa formalis *propriè* dicta.

Conclusio.

6. HUmanitas Christi sub ratione substantiæ incompletæ à posteriori, sub ratione autem subsistentis ac existentis à priori dependet ab Hypostasi Verbi, non quà causa formali, sed quà formâ per modum actualitatis purissimæ actuante.

Probatur. Nam triplex naturæ substantialis est status assignabilis. Primus sub ratione substantiæ incompletæ, prout est natura importans potentialitatem mediante Hypostasi actuabilem, & contrahibilem ad statum primæ & completæ substantiæ. Ut sic autem humana Christi natura habet potentialitatem à propriâ suâ subsistentiâ eatenus actuabilem, ut ad ejusmodi tamen subsistentiam sit ab intrinseco *Connaturaliter* determinata. Hæc ipsa verò intrinseca humanitatis determinatæ actuabilitas, connaturalem subsistentiæ sibi propriæ coexigentiam importans, dicit respectu subsistentiæ quandam dependentiam, non à *priori* sed à *posteriori*, id est, à formalitate *originatâ*, seu emanatâ ex naturâ. At verò Divina Verbi subsistentia in humanitate Christi est supplens istius naturæ propriam subsistentiam. Unde Hypostasis Verbi est sustentans naturæ humanæ intrinsecam à subsistentiâ suâ dependentiam. Ergo humanitas in Christo habet dependentiam ab Hypostasi Verbi, non ut à priori, sed quasi posteriori, id est à formâ non originante, seu causante illam naturam, sed ut supplente illam subsistentiam *Connaturaliter* originandam ex illâ humanitate.

7. Secundus naturæ substantialis status est, quatenus per subsistentiam constituitur in ratione primæ & completæ substantiæ. Ut sic autem importat subsistentiam quà formam, non quidem physicam, sed metaphysicâ *Formaliter* constitutivam in ratione suppositi ac primæ substantiæ. Unde substantia in tali statu dependet à subsistentiâ ut à priori. At verò Humanitas Christi in ratione suppositi seu primæ completæ substantiæ *formaliter* constituitur per Divini Verbi Hypostasin. Ab hâc igitur quà formâ, non quidē informante, sed per modū actualitatis *purissimè* subsistentis actuante, atque adeò à priori dependet Humanitas Christi in statu Primæ & completæ substantiæ.

8. Tertius naturæ substantialis status est Existentiæ, se habentis ad creatam Primam etiam substantiam, instar accidentis prædicabilis. Humanitas autem Christi ad instar reliquarum naturarum creatarum ex se importat potentialitatem mediante Hypostasi actuabilem per existentiam, ex substantiâ quà completâ *naturaliter* derivabilem. At verò ejusmodi creatæ connaturalis existentiæ emanatio, & actuatio impeditur hoc ipso in humanâ Christi naturâ, quòd ista subsistat per Increatam Verbi Hypostasin. Unde hæc in suâ etiam ad Patrem correlatione existentiam actualissimam *Transcendentaliter* importans, mediante sui unione cum Humanâ Christi naturâ, comunicat isti *Formaliter* existentiam. Ergo humana Christi natura quà existens dependet ab Increatâ Verbi existentiâ, non quidem quà causâ formali, seu quà purissimâ actualitate Hypostaticè unitâ, non autem receptâ in Humanitate Christi.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Doctrinam *n. 1.* ex parte Heinrici oppositam Respondetur. Eum efficaciter refutari ex Scoti argumento, quòd, si Verbi Hypostasis se haberet ut causa formalis, importaret potentialitatem respectu perfectionis Totius, seu completæ substantiæ, ex personâ Verbi & Humanitate compositæ. 9.

Ad primum Cardinalis de Lugo *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo supponi, quòd Humanitas Christi pro priori naturæ, quàm intelligatur unita Verbi Hypostasi, habeat existentiam secum identificatam, cujusmodi adeò humanitatis Christi existentia sit dependens à Verbi Hypostasi, quasi à posteriori. At Humanitatem Christi actualitatem existendi habere *Formaliter* per unionem cum Verbo, *infra* demonstrabitur. Cùm proinde Humanitas Christi, tanquam Ens ad existendum potentiale, sub statu non *logicali*, sed *reali*, utpote physicam sui productionem terminans respectu Hypostaticæ cum Verbo unionis habeat prioritatē naturæ, consequenter actualitas existendi quà Humanitati Christi comunicata, est secundùm naturæ ordinem posterior illâ Humanitate. Hæc igitur non quà *Formaliter* existens, sed prout in physico productionis statu est potentialis ad existendum, dependet ab Hypostasi Verbi à posteriori, id est ut à formâ supplente connaturalem Humanitatis existentiam, ex ipsâ *connaturaliter* originandam, nisi per Hypostaticam Verbi unionem suppleretur. 10. 11.

Ad secundum Cardin. de Lugo *n. 3.* propositum argumentum Respondetur. Eo rectè probari, quòd Humanitas Christi quà subsistens dependeat ab Hypostasi Verbi, ut à priori, formâ nimirum quasi causativâ, vel potiùs *Formaliter* constitutivâ in ratione subsistentis.

Ad tertium ejusdem de Lugo *n. 4.* propositum argumentum Respondetur. Esse efficax ad probandum, quòd effectus ille quasi negativus, seu impeditio Hypostaticæ per creatam subsistentiam terminationis fit *Formaliter* per Hypostasin Divinam Verbi, quà uniti Humanæ Christi naturæ. 12.

Ad Ysamberti *n. 5.* propositum fundamentum Respondetur. In eo adhuc desiderari, quòd in ordine ad causalitatem formalem sit adhuc longè dispar ratio inter creatam subsistentiam, & Divinam Verbi Hypostasin. Hæc enim est humanitatis substantialiter terminativa, seu in ratione primæ & completæ substantiæ constitutiva absque ullâ potentialitate, seu receptibilitate, sed per modum actualitatis in se purissimè subsistentis. Secùs verò est de subsistentiâ creatâ, quæ licèt non sit forma physica, sed metaphysica duntaxat, est tamen actualitas recepti- 13.

receptibilis in naturâ. Unde potior est ratio removendi Divinâ Verbi Hypostasi causalitatem formalem, quàm à subsistentiâ creatâ.



ARTICULUS II.

DE

Unione formali Verbi cum Humanitate.

1. CUm Incarnatio sit actio, vi cujus Mysterium unionis Verbi cum Humanitate verè dicitur factum, exinde oritur difficultas, *An terminus formalis & ut Quo hujus actionis sit Entitas aliqua in humanitate recepta, per modum formæ sive accidentalis sive substantialis Formaliter conjungentis naturam humanam cum Divinâ Verbi Hypostasi?*

2. Circa quod Gabriel *in 1. dist. 30. q. 4. & in 3. dist. 1. q. 1. & 2. art. 2.* existimavit, unionem Verbi cum Humanitate, esse qualitatem aliquam supernaturalem.

3. Scotus in 3. *dist. 1. q. 1. n. 3.* Lychetus *ibi.* Rada *in 3. suâ part. cont. 3. a. 4.* & alij arbitrantur, esse relationem disquiparantiæ in uno extremo scilicet humanitate, cui in altero extremo, Verbo nimirum Divino nulla correspondeat saltem realis relatio. Quam porrò relationem esse Humanitatis à Verbo, tanquàm supposito humanam naturam sustentante dependentiam, superiorem ordine causati ad causam.

4. Suarez *to. 1. in 3. part. disp. 8. sect. 3.* Vasquez *disp. 18. cap. 3.* Ysambertus Sorbonicus *de Myst. Incarna. ad q. 2. disp. 6. art. 7.* Cardi. de Lugo *disp. 11. sect. 1.* Mæratius *disp. 13. sect. 2.* Franciscus Amicus *disp. 8. sect. 2.* Martinus de Esparzâ *quæst. 20. de Incar.* putant, illam unionem esse entitatem substantialem realiter distinctam ab extremis unitis. Citantur etiam pro hâc sententiâ Albertus Magnus *in 3. dist. 2. art. 3.* Alensis *3. p. sum. q. 7. mem. 2. art. 1*, quamvis neuter istorum Doctorum *locis citatis* afferat aliquid in favorem illius sententiæ.

5. Divus Thomas *in 3. dist. 2. q. 2. art. 1. & 2. ad 3. quæst.* sanctus Bonaventura *eâd. dist. art. 3. q. 2.* Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 28. q. 2. art. 1. in solut. ad 17.* Bachonius *in 3. dist. 1. q. 1. art. 1.* Cajetanus *3. p. q. 2. art. 7.* Medina *ibidem.* Alvarez *eâdem q. art. 7. disp. 13. concl. 1.* Nazarius *ibi, art. 8. cont. 3.* Gregorius de Valentiâ *disp. 1. q. 2. punct. 1.* Ioannes Martinon *disp. 5. de Incarn. sect. 7.* Philippus à sanctiss. Trinit. *prag. disp. 3. dub. 4.* Ioannes à sancto Thomâ *disp. 4. art. 3.* Petrus Labat *disp. 2. dub. 2. S. 1.* negant, unionem Hypostaticam *Formaliter* spectatam distingui ab extremis unitis, quamvis *Consecutivè* importet aliquam relationem.

CONTROVERSIA I.

Utrùm Hypostatica Verbi unio importet qualitatem supernaturalem, vel relationem Humanitatis ad Verbum?

EX parte Gabrielis *in princip. hujus art. n. 2.* relati sequens adduci potest fundamentum. Etenim unio Verbi cum Humanitate est terminus formalis, productus per actionem Incarnationis. Ergo est aliquid creatum vel substantiale, vel accidentale. At si esset aliquid substantiale, Verbum debuisset illud assumere. Verbum autem Divinum nullum assumpsit substantiale, præter Humanitatem. Oportet igitur, illam unionem esse quid accidentale, qualitatem scilicet supernaturalem. 1.

Ex parte Scoti *in princip. præs. art. n. 3.* adducti sequens affertur argumentum. Nam unio non intelligitur ad se, sed ad aliud. Unde quocumque absoluto intellecto, in altero extremo non intelligitur perfecta ratio unionis. Oportet igitur, hanc dicere relationem. 2.

Ex opposito afferri potest fundamentum à Divo Bonaventurâ *cit. q. 3.* deductum. Etenim unio Verbi cum Humanitate non facit hominem solùm conformem Deo & ad Deum, sed facit hominem esse Deum. Nullus verò habitus creatus potest hoc efficere: nec per collationem alicujus boni creati fit, ut homo sit Deus. At per hoc mysterium fit, quòd ipsa Persona Verbi se ipsam faciat humanæ naturæ Hypostasin, & suppositum. 3.

CONCLUSIO.

UNio Verbi cum Humanitate non est *formaliter* qualitas, vel relatio: sed Personæ Verbi per se ipsam communicatio personalis ac substantialis. 4.

Probatur. Nam per unionem Verbi cum Humanitate constituitur humana Christi natura *Formaliter* ac *intrinsecè* in ratione suppositi, vel primæ substantiæ. At omnis formalitas *intrinsecè* concurrens ad constitutionem substantiæ, est substantialis. Est enim substantia prima radix omnis accidentis sibi inexistentis, nec adeò de ratione constitutivâ substantiæ potest esse accidens, cùm hoc alioquin prius esset substantiâ. Ergo unio Verbi cum Humanitate nequit esse qualitas, vel relatio, sed oportet, esse ens substantiale.

Dices ex Ysamberto *citato disp. 6. art. 7. circa princip.* Scotum asserendo, quòd unio Verbi cum Humanitate sit *Formaliter* relatio, non intendisse, quòd esset relatio prædicamentalis & accidentalis, sed substantialis modus, non tantùm respiciens id, in quo est, sed etiam aliquid aliud per modum termini, scilicet Personalitatem Verbi Divini. Unde dici aliquid respectivum, non quidem categoricâ relatione, sed transcendentali duntaxat. 5.

Contra. Nam unio Verbi cum Humanitate non tantùm facit humanam naturam respicere, Personam Verbi; sed facit, ut homo sit 6.

intrinsecè Deus. Hoc autem exinde fit, quòd Persona Verbi faciat se ipsam humanæ naturæ Hypostasin. Unde oportet, quòd unio Verbi cum Humanitate *formaliter* importet intrinsecam personæ Verbi communicationem. At si unio illa esset relatio etiam transcendentalis, *intrinsecè* subjectata in Humanitate, & ad Hypostasin Verbi se haberet per modum relationis duntaxat tanquam ad terminum, sequeretur, vi talis unionis non fieri Formalem ac intrinsecam Hypostasis Verbi communicationem.

7. Probatur illud assumptum. Nam per communicationem causalitatis efficientis emanat ex Deo in humanitatem Christi entitas *transcendentaliter* respiciens Deum, seu totam Trinitatem Divinam. At vi hujus relationis transcendentalis dici non potest fieri formalem ac intrinsecam Hypostasis alicujus Divinæ communicationem. Nequit ergo communicatio Hypostatica Verbi importare solùm transcendentalem in humanitate subjectam relationem, se habentem ad Verbi Divini Hypostasin tanquam ad terminum.

Replicabis. Aliam esse relationem transcen-
8. dentalem effectûs ad principium efficiens: aliam verò esse ad principium formale. Hanc proinde, non illam importare transcendentalem respectum ad principium, quod *intrinsecè* sui communicativum. Quare Hypostaticam Verbi unionem dicere substantialem & transcendentalem relationem, quâ mediante, fiat Humanitati communicatio Hypostasis Verbi intrinseca & formalis.

Contra. Nam Hypostasis Verbi communi-
9. catio nequit intelligi intrinseca, nisi *formaliter* se ipsam communicando, per ipsissimam suam formalitatem ac entitatem actuet Humanitatem Christi, hanc *intrinsecè* constituendo in ratione suppositi, ac primæ substantiæ. At si unio Verbi cum Humanitate dicat modum substantialem, ad quem Persona Verbi se habeat solùm *Terminativè*, non potest intelligi, quòd Verbi Hypostasis *per se* ipsam, sed mediante illâ relatione transcendentali sit actuans Christi Humanitatem. Nequit ergo illa Personæ Verbi communicatio intelligi intrinseca, si fiat mediante modo substantiali.

10. Instabis. Verbi Divini Hypostasin per se ipsam *formaliter* actuare Humanitatem Christi quà principium formale *Quòd*. Hoc tamen non posse facere nisi mediante unione ceu medio *Quò*.

11. Contra. Nam Hypostasis Verbi etiam quà Principium formale *Quod* nequit *formaliter* actuare Humanitatem Christi, nisi hanc formalem actuationem præstet *intrinsecè per se ipsam*. At si Humanitas Verbo Divino uniatur mediante relatione duntaxat transcendentali, ad quam Hypostasis Verbi se habeat solùm *Terminativè*, tunc actuatio est *intrinsecè* & *Formaliter* per relationem illam transcendentalem, atque *Terminativè* duntaxat per illam Verbi Divini Hypostasin. Nequit ergo tunc Hypostasis Verbi, quà formale, adeòque *intrinsecè* actuans principium etiam *Quod*, se habere ad Humanitatem Christi. Hinc autem intelligi non posset Persona Verbi *intrinsecè* constitutiva Humanitatis in ratione suppositi ac primæ substantiæ. At istud pugnat cum fidei orthodoxæ principiis. Negandum igitur, quòd unio Verbi fiat mediante relatione etiam transcendentali, ac substantiali.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad fundamentum ex parte Gabrielis n. 1. oppositum Respondetur. Unionem Verbi cum Humanitate, si *formaliter* & *abstractè* consideretur, esse ipsam Hypostasis Verbi unitatem Personalem. Quam ut sic non esse productam vi Incarnationis, sed Verbo inesse vi generationis æternæ. At unionem ejusmodi *Concretè* sumptam non distingui ab extremis unitis. Unde cùm negemus unionem formalem medi am & distinctam à Verbo & Humanitate, omninò evanescere illud Argumentum. 12.

Ad Fundamentum ex parte Scoti n. 2. oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd unio non intelligatur sine relatione. Hanc tamen relationem esse rationis, se tenentem ex parte conceptûs objectivi *Quo*; esseque secundam intentionem objectivam, sub quâ, ceu medio *Quo* intelligitur unio Verbi cum Humanitate realiter indistincta ab unitate personali Verbi, per se ipsam *formaliter* se communicante Humanæ Christi naturæ. Etsi verò ista formalis communicatio non fiat, nisi mediante actione unitivâ, habeate intrinsecè in se *transcendentaliter* imbibitum respectum, ac fundante prædicamentalem in Humanitate subjectatam relationem ad Verbum, ista tamen prædicamentalis solùm *consecutivè*, illa verò actionis unitivæ transcendentalis ad Verbum relatio *causaliter* & *antecedenter* se habet ad formalem Verbi cum Humanitate unionem. 13.

CONTROVERSIA II.

Utrùm unio Hypostatica Verbi cum Humanitate sit modus substantialis, realiter distinctus ab extremis unitis?

PRo parte affirmativâ Cardin. de Lugo *in disp. 11 sect. 1. n. 2.* sic argumentatur. 1.
Repugnat, dari denominationem realem novam absque aliquâ formâ reali novâ, à quâ proveniat: denominationes enim formales sunt propositiones. Ejusmodi verò ab eo, quòd res sit, vel non sit, dicuntur veræ, vel falsæ. Unde si denominationes objectivæ, seu objecta omnia se habent eodem modo à parte rei, nò poterunt aliæ novæ propositiones formales de ipsis fieri. Atqui denominatio Humanitatis Verbo unitæ est realis & nova. Ergo oportet, aliquid novum poni à parte rei, ratione cujus sit talis denominatio. Hoc autem novum non sunt sola extrema, potuisset enim esse Verbum, & hæc eadem Humanitas in rerum naturâ, absque eo, quòd Humanitas esset unita Verbo. Ergo debet dari aliquid aliud præter extrema, ratione cujus verificetur hæc prædicatio, & denominatio nova formalis.

Ex parte affirmativâ stat Authoritas & ratio sancti Thomæ *in 3. dist. q. 2. art. 2. l.* taliter differentis: *Sciendum est, quòd in humana natura unione ad Divinam, nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur, quàm Divina persona. Sicut enim inter materiam* 2.

& formam nihil cadit medium in Esse, quod per prius sit in materiâ, quàm forma substantialis; aliàs Esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile: ita etiam inter naturam & suppositum non potest aliquid dicto modo cadere medium.

CONCLUSIO.

3. UNio Verbi Hypostatica *formaliter* sumpta non distinguitur *realiter* ab extremis unitis; licèt *consecutivè* importet relationem prædicamentalem in humanitate receptam, ad quam Hypostasis Verbi se habet *terminativè*.

Probatur. Si enim unio Hypostatica *realiter* distingueretur à Verbo & Humanitate, sequeretur; esse quandam actualitatem personæ Verbi determinativam ad formalem subsistendi effectum, Humanæ Christi naturæ communicandum. Hinc autem sequeretur, personam Verbi esse *extrinsecè* determinabilem respe-
4. ctu illius effectûs formalis. Sequela Majoris patet. Nam ex mente adversariorum illa unio esset modus, seu entitas modalis, de cujus ratione est, esse determinationem actualem, seu actualitatem *formaliter* determinativam. Sequela Minoris probatur. Nam unio Hypostatica esset determinatio, per quam ipsa Verbi Hypostasis, esset *formaliter* actuans HumanamChristi naturam. Ad hanc verò actuationem Verbi Divini subsistentia eatenus esset in potentiâ, ut posset non actuare illam ipsam Christi naturam. Hæc autem actuabilitatis potentia *formaliter*, atque *intrinsecè* determinaretur per illam modalem Hypostaticam unionem. Unde in personâ Verbi admitteretur potentialitas, per creatam Hypostaticam unionem determinabilis ad hoc, ut esset *formaliter* actuans Humanam Christi naturam. Hoc autem repugnat Hypostasi Verbi, quà purissimo actui.

5. Dices ex Cardinali de Lugo *disp. 12. de Incarn. sect. 7.* Hoc argumento solùm evinci, quòd Hypostasis Verbi per illam modalem hypostaticam unionem esset *terminativè*, non autem *subjectivè* terminabilis. Hoc autem non pugnare cum ratione actûs puri.

6. Contra. Nam illa unio Hypostatica esset per modum causalitatis formalis. At de ratione causalitatis formalis est, esse formalitatem principij formalis determinativam, ad se *intrinsecè* communicandum. Nequit autem principium formale in ordine ad intrinsecam sui communicationem determinari, nisi formalis principij formalitas se ipsam *intrinsecè*
7. communicans determinetur & actuetur. Probatur istud assumptum. Nam principium efficiens est hoc ipso extrinsecum, quod non suæ actualitatis, sed Entitatis ex se emanantis & à se distinctæ sit passo communicativum. Unde de ratione principij intrinseci ac formalis est, suæ ipsissimæ formalitatis esse *Formaliter* communicativum. At sicuti causalitatis efficiens quà transiens in passum importat actualitatem, vi cujus ipsissima ex principio efficiente emanans Entitas determinatur ad passum, in quo recipitur: Sic causalitas formalis debet ipsissimæ illius Entitatis, quæ principio materiali, vel quasi materiali communicatur, esse determinativa. Cùm igitur principium formale non alterius à se distinctæ, sed suæ ipsissimæ Entitatis sit *intrinsecè* communicativum, debet formalis causalitas ipsissimam principij formalis Entitatem *intrinsecè* determinare ad sui intrinsecam communicationem. At non est intelligibile, Hypostasin Verbi quoad ipsissimã sui formalitatem *intrinsecè* determinari per Entitatem creatam modalem, quin respectu hujus habeat intrinsecam potentialitatem. Hinc autem fieret consequens, quòd Hypostasis Verbi non purè *terminativè*, sed *subjectivè* se haberet ad illam unionis Hypostaticæ modalem Entitatem. Evidens igitur est, hanc pugnare cum Hypostasi Verbi, quà purissimo actu. 8.

Replicabis. Causalitatem formalem *subjectivè* recipi in principio materiali, seq; habere ad principium formale, solùm *adhæsivè* vel *intrinsecè terminativè*. Non igitur cum ratione Actûs puri pugnare, illam Unionis hypostaticæ modalem Entitatem, se habentem ad Verbi hypostasin non *inhæsivè*, vel *informativè*; sed *adhæsivè*, vel *intrinsecè terminativè*. 9.

Contra. Nam quæcunque sit ista adhæsiva, ac Verbo intrinseca illius modalis Entitatis terminatio, sequitur, per eam *intrinsecè* determinari Hypostasin Verbi, ad suæ ipsissimæ formalitatis communicationem Humanitati intrinsecam. At ista intrinseca per Entitatem creatam determinatio manifestè pugnat cum ratione Actûs puri. 10.

Instabis. Nos admittere actionem unitivam Verbi cum Humanitate, receptam in istâ tanquam subjecto: *intrinsecè* verò, & *transcendentaliter* relatam ad Hypostasin Verbi, quà terminum sui ipsius *formaliter* communicativum Humanæ naturæ. Cur ergo repugnet unio creata hypostatica, recepta in Humanitate, tanquam subjecto, ac terminata ad Hypostasin Verbi, ceu terminum sui substantialiter communicativum Humanæ naturæ? 11.

Contra. Nam de ratione causalitatis efficientis non est, esse *formaliter* determinativam formæ, seu actûs principium materiale actuantis; sed quà immanentem, esse actualitatem principij efficientis; & quà transeuntem, esse actualitatem passi, cum intrinseco ordine ac respectu ad formam, quà sui *formaliter* communicativam. Econtra verò de ratione causalitatis formalis est, esse actualitatem ipsissimæ 12.
Principio formali *intrinsecæ* formalitatis determinativam, ad sui formalẽ communicationem. Unde non est intelligibilis causalitas formalis, respectu actûs excludentis omnimodam potentialitatẽ *intrinsecè* determinabilem. At licèt Hypostasis Verbi sub ratione terminationis hypostaticæ possit *extrinsecè* per causalitatem efficientem determinari ad sui formalem Humanitati communicationem: attamen ipsius purissimæ actualitati simpliciter repugnat, esse quovis modo *intrinsecè* determinabilem. Etsi proinde non repugnet causalitas efficiens creata, & in Humanitate recepta, hujus *intrinsecè* ac *subjectivè*, Hypostasis autem Verbi *extrinsecè* ac *terminativè* determinativa, simpliciter tamen repugnat unio hypostatica creata, in genere causalitatis quasi formalis, atque adeò *intrinsecè* determinativa Divinæ Verbi Hypostasis.

Respon-

Responsio ad opposita fundamenta.

13. AD Cardin. de Lugo *n.* 1. oppositum argumentum Respondetur. Inprimis quærendo ex isto Authore, cur essentia secundùm ipsum realiter indistincta ab existentiâ *secundùm objectivum physicæ productionis*, non autem *possibilitatis conceptum* denominetur existens? Nam si denominationes objectivæ, seu objecta omnia eodem modo se habeant ex parte rei, non possunt novæ propositiones formales de ipsis fieri. At eo ipso, quòd existentia non distinguatur ab Essentiâ, in hujus quà *physicè* productæ, & quà possibilis, conceptu objectivo non respondet distincta Entitas intrinseca; sed physicæ duntaxat productionis, Enti quà existenti extrinseca formalitas. An igitur ex istâ *formaliter* variatur denominatio Essentiæ quà possibilis, & quà existentis? At hoc admisso, licebit æquè dicere nobis, quòd, licèt Hypostasis Verbi, & hæc numero natura humana præscindendo ab actione earundem unitivâ, non sint realiter constitutivæ Christi, attamen quà terminantes illam unitivam actionem, sint se ipsis *formaliter* unitæ.

14. Urgebis. Non esse intelligibile; quomodò varientur denominationes intrinsecæ, nisi ex parte objecti intelligatur nova aliqua intrinseca formalitas. At illam actionem unitivam non esse intrinsecam conceptui objectivo, secundùm quem fit denominatio Verbi cum humanitate *formaliter* ac *intrinsecè* uniti.

15. Respondetur. Quòd intellectus noster, dum concipit Humanitatem unitivæ cum Verbo actioni substantem, ex parte objecti attingat formalitatem intrinsecam, quam *secundùm præcisionem objectivam* non repræsentat conceptus objectivus Humanitatis & Hypostasis Verbi,

16. *secundum se præcisè* & sine connotatione talis unitivæ actionis expressivus. Explicatur. Nam in denominationibus per nostrum intellectum non *intuitivè*, sed *abstractivè* ac *præcisivè* intelligentem formatis, oportet, distinguere duplicem conceptum objectivum; alterum ut *Quod*, estque ipsa res concepta; alterum ut *Quòd*, estque intelligibilitas, ac inde resultans secunda objectiva intentio, sub quâ res concepta, non ut est in se indivisibiliter, sed secundùm præcisionem objectivam sistitur intra nostrum intellectum. Ejusmodi verò intelligibilitatis diversitas oritur ex varietate specierum intelligibilium à diversis formis abstractarum. Ex cujusmodi adeò intelligibilitatis varietate stant formalitatum præcisiones objectivæ, ut plurimùm excitatæ ex unius simplicis formæ ad plures effectus, seu actiones, & operationes; licèt *extrinsecè* & *connotativè* solùm ad illam se habentes comparatione, saltem *exercitè*, si non *signatè*

17. expressâ. Hinc enim Beati Divinam Essentiam in se ipsâ intuentes, non formant diversos conceptus Justitiæ, Potentiæ, Hypostasis, & Naturæ; sed unum plenum *Esse* omnigenæ perfectionis simplicis puram actualitatem in se continens, intelligunt. Econtra verò Intellectus noster ex formis creatis formando Divinarum perfectionum intelligibilitates non nisi secundùm objectivam præcisionem, potest de illis formare denominationes eo ipso veras, quòd formalitatem Deo realiter inexistentem; non ut est in se plenum Esse, *intuitivè* sed *abstractivè*, ac *præcisivè* attingat. Pari proinde ratione Beati in Verbo intuentes hujus hypostaticam cum humanitate unionem, non alium de hâc quà possibili, & alium de eadem quà actualiter existente formant conceptum; 18.
sed hypostasis illius actualitatem sui ipsius *formaliter* communicativam, nec non actionis unitivæ ex Divino Esse derivabilitatē intelligibiliter in Deo expressâ intuentes, judicant unionem Verbi Hypostaticam eatenus possibilem, ut in Verbo cognoscentes, actionem illam unitivam pro tempore Divinitùs præfinito receptam in Humanitate, istam intelligant Verbo *realiter physicè* unitam, *causaliter* quidem ex illâ unitivâ actione, *formaliter* autem per ipsam Verbi Hypostaseos, quà per purissimam sui actualitatem sui ipsius *Formaliter* communicativæ unitatem. Econtra Intellectus noster *secundum præcisiones objectivas* intelligendo, aliam de unione 19.
Verbi hypostaticâ format intelligibilitatem ex connotatione divinæ simplicis intelligentiæ, ut sic eam possibilem judicando; aliam ex connotatione decreti Divini præfinitivo, ut sic eam in æternitate *causaliter* præsentem asserendo; aliam ex connotatione actionis unitivæ in Humanitate receptæ, ut sic eam ex vi talis actionis *causaliter*, & ex actualitate hypostasis Divinæ; *formaliter* inexistentem humanitati affirmando. Constat proindè, ex parte conceptûs objectivi Divinæ Verbi Hypostasis repræsentativi aliam respondere formalitatem, dum Hypostasis Verbi, & humana Christi natura sine connotatione actionis unitivæ in humanitate receptæ intelliguntur; aliam verò objecto intrinsecam, ab Hypostasi licet Verbi & Humanitate indistinctam formalitatem repræsentari, dum sub illâ connotatione intelliguntur.

COROLLARIUM I.

An quis, & qualis sit terminus actionis Verbi cum Humanitate unitivæ.

INfertur 1. *Quis sit terminus à Quo talis actionis.* 1.
Nam ut omittamus varias de hoc Doctorum à Nazario *præf. q. 2. art. 8. cont. 6.* recensitas sententias; videtur cum Card. de Lugo *disp. 11. sect. 2. n. 24.* distinguendum. Nam sicut terminus *ad Quem* assumptionis in Mysterio Incarnationis usurpatur vel pro termino, qui assumitur, estque Humanitas; vel pro illo, ad quod assumitur, estque Verbum: sic terminus *à Quo* assumptionis dupliciter accipitur; scilicet pro illo, *à Quo* receditur per assumptionem, vel pro illo, *ex Quo* fit assumptio. Si proinde de termino *à Quo* sit sermo *in sensu posteriori*; terminum *à Quo* assumptionis esse Humanitatem; insinuat sanctus Thomas *præf. q. 2. art. 8.* Cujus ratio est, Quia assumptio est quasi ab alio ad se sumptio, ex sancto Doctore *citato*. At verò ab humanitate pro priori naturæ productâ per generationem, fiebat sumptio, quâ Verbum ad se assumebat humanitatem, *Hypostaticè* eam sibi uniendo.

Quòd si verò *in sensu priori* terminus *à Quo* assumptionis sumitur pro illo, *à Quo* receditur per Assumptionem; Nazarius *cit. cont. 6. concl. 7.* rectè asserit: terminum assumptionis *à Quo*, cui respondet ejusdem assumptionis terminus For- 2.

malis

malis *ad quem*, esse negationem, seu carentiam personalitatis filii Dei in humanâ naturâ. Quae porro negatio dici possit privatio annexa potentiae obedientiali ab actu separatae, quam habeat humanitas quaelibet ad Divinam personalitatem. Ratio est. Nam termini mutationis (cujusmodi non quidem strictè, sed latè loquendo est humanitatis, non pro aliquo durationis, sed naturae priori, *antecedenter* productae assumptio ad Verbum) debent esse contrarij ad modum privationis & habitûs, seu formae. At Divina Verbi subsistentia est illius assumptionis terminus formalis *ad quem*, humanitati communicatus per assumptionem ejusmodi. Ergo istius terminus *à Quo* est privatio Divinae subsistentiae.

3. Infertur 2. *Quis sit terminus formalis ad Quem illius actionis.* Nam actio Humanitatis cum Verbo unitivae dupliciter considerari potest, 1. quatenus est unitio, per quam Divina persona constituitur in ratione Humani suppositi. Ut sic autem intelligitur Humana natura esse forma, seu formalis terminus illius unitionis. Probatur
4. istud assumptum. Nam terminus formalis *ad quem* actionis est *Ens*, vi talis actionis in quarto perseitatis modo *formaliter* productum, vel communicatum. Atqui actio, per quam Persona Divina constituitur in ratione Humani suppositi, secundùm talem denominationem *Formaliter* specificatur ex habitudine ad naturam humanam, quà personae divinae constitutivam in ratione Humani suppositi. Ergo secundùm talem denominationem actionis illius terminus formalis *ad quem* est natura Humana, *uti cum alijs* docet Vasquez *praes. disp. 19. cap. 3.* 2. Tamen ac
5. principaliùs actio illa unitiva sumitur, quatenus est assumptio, per quam humanitas elevatur ad Esse personale Verbi. Ut sic autem, ac simpliciter loquendo, actionis illius terminus formalis *ad quem* est secundùm Nazarium *citat. art. 8. com. 2.* & alios Doctores Divina Verbi Hypostasis: siquidem actio Humanitatis ad personalem cum Verbo unionem elevativa *in quarto perseitatis modo formaliter* specificetur ex Increatâ Verbi dignitate, utpote vi talis actionis *formaliter* communicatâ naturae Humanae.

6. Infertur 3. Terminum productum, eumque Totalem & Adaequatum illius actionis esse Christum, seu hominem Deum, sive unionem Verbi cum Humanitate *Concretè* sumptam. Explicatur. Nam 1. ista unio *abstractè* sumpta est ipsa Verbi unitas personalis. Haec autem ut sic non est producta, sed communicata humanitati per actionem Verbi Incarnativam, estque adeò actionis illius terminus formalis communi-
7. catus. 2. Unio illa *Concretè* sumpta non distinguitur ab extremis unitis. Ut sic autem illa unio per actionem Verbi Incarnativam eatenus est producta, quatenus per istam actionem in humanitate receptam fit, quòd Divina Verbi Hypostasis, ejusque personalis unitas ex ratione purissimae suae actualitatis per se ipsam *Formaliter* se communicet humanitati, ad hanc *in Esse personali* constituendam. Unde illud Concretum, quod est Homo Deus, seu Christus, dicitur vi actionis illius productum, licèt neutrum extremum unitum, nec aliqua media unio sint producta, sed Totum duntaxat ex Personâ Verbi & Humanitate compositum dicitur eo ipso productum, quòd vi actionis illius Persona Verbi suam unitatem personalem *formaliter* communicando Humanitati, constituat hominem Deum, seu Christum.

COROLLARIUM II.

Qualis in Christo sit compositio, & an persona Christi dici possit composita?

INfertur 1. Unionem Verbi cum Humanitate 8.
esse veram compositionem, ratione cujus Personam Christi verè dici compositam. ex S. Thomâ *praes. q. 2. art. 4.* & Synodo V. generali *collat. 8. can. 4.* definiente in haec verba. *Si quis non confitetur, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali, & intellectuali, secundùm compositionem; sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut Patres docuerunt, & ideò unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sanctâ Trinitate; talis anathema sit.*

Neque quoad rem ipsam dissentit Scotus *in* 9.
3. dist. 6. n. 2. docens: quòd opinio asserens, Personam Christi esse compositam, non procedat de Compositione *propriè* dictâ ex actu, scilicèt & potentiâ, vel ex duobus potentialibus. Nam Doctor etiam etiam Angelicus *cit. art. 4. ad. 2.* ait, compositionem Personae Christi ex duabus naturis, Divinâ nimirum & Humanâ, non esse ratione partium, sed ratione numeri. Unde cum Doctore Angelico in modo duntaxat loquendi discrepamus à Doctore subtili; dum illam compositionem dicimus, esse propriam. Cujus nostri asserti ratio est. Quia compositio 10.
propriè sumpta nihil aliud est, quàm plurium realiter distinctorum Unio. At in Christo natura humana *substantialiter* unitur hypostasi Verbi, & hâc mediante naturae Divinae, à quibus illa *realiter* est distincta. Ergo ratione hujus unionis, ceu verae compositionis persona Christi *propriè* dicitur composita: Sancto Joanne Damasceno *lib. 3. orth. fid. cap. 3. 4. & 5.* attestante his praecipuè verbis. *In Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasin ex utrâque compositam.*

Infertur 2. Ratione hujus compositionis ve- 11.
rè dici, quòd Persona Verbi ut sustentans naturam humanam, sit persona humana: licèt *absolutè*, & sine addito *Tò sustentans naturam humanam*, non liceat affirmare, quòd Verbum Divinum sit compositum, aut persona Humana. ex Ysamberto *ad cit. q. 2. disp. 5. art. 3.* Ratio prioris est. Quia Verbum est hoc ipso persona Humana, quòd circa Humanitatem exerceat munus subsistentiae. At per Hypostaticam Verbi cum humanitate unionem exercet Verbum munus subsistentiae, constituendo humanam naturam *formaliter* in ratione personae. Ratio posterioris est. Quia persona Verbi *absolutè & sine addito* u- 12.
nionem cum Humanitate, vel hujus sustentationem significante, consideratur, ut in se purè subsistens. Ut sic autem nec est composita, nec persona humana.

Infertur 3. Divinae & Humanae naturae in 3.
unâ personalitate Verbi unionem etiam mediatam esse veram compositionem ex Ysamberto *cit. disp. 5. art. 5.* Ratio est. Quia ubi duo realiter distincta uniuntur in aliquo ad constituendum unum

unum, ibi vere intervenit compositio. At ex duabus Divinâ & humanâ naturis in personâ Verbi realiter unitis resultat unus Christus. Unde Agatho Papa, & cum eo sexta Synodus Generalis *act. 4.* ait, quòd *Christus Dominus ex duabus naturis inconfusè, inseparabiliter, & incommutabiliter sit compositus.*

COROLLARIUM III.

De fundamento Unionis, quæ est relatio inter Humanitatem & Personam Verbi.

14. INfertur 1. Qualiter verificetur sententia Nazarij *præs. q. 2. art. 8. cont. 5. concl. 4.* docentis; quòd fundamentum illius relationis, ut ratio fundandi, sit assumptio, sive unitio passiva Humanitatis cum Verbo. Nam illud procedit de primâ illius relationis resultantiâ. ex Joanne à Sancto Thomâ *hic disp. 4. art. 3. n. 37.* Cujus ratio per Nazarium deducta est. Quia omnis realis relatio de novo adveniens causatur ex aliquâ reali mutatione unius extremi. At relatio unionis inter humanam naturam, & Divinam Verbi naturam est relatio realis tertij modi apud Aristotelem *5. Metaph. tex. 15.* Ergo nascitur & causatur ex aliquâ mutatione reali unius ex dictis extremis. At non ex mutatione Verbi, aut ejus naturæ Divinæ. Ergo ex mutatione Humanæ naturæ, hoc ipso mutatæ, quòd uniatur Personæ Verbi, ita ut ejus personaliter subsistat. Ergo unitio passiva est fundamentum; seu ratio fundandi præfatam relationem.

15. Infertur 2. Qualiter verificetur sententia Cajetani *præs. art. 4. in solut. quinti dubij, & infra art. 7.* asserentis, relationem Hypostaticæ unionis fundari super hoc Ente substantiali absoluto: quod est, Deum esse Hominem, sive super unitate personali Divinæ, & humanæ Naturæ. Nam illud accipi debet de illâ relatione, non quoad primam præcisè resultantiam, sed quoad sui permanentiam. ex Joanne à Sancto Thomâ *cit. art. 3. nu. 37.*

Ratio est. Quia relationes ex actione & passione resultantes manent fundatæ in ipso termino actionis & passionis *in facto Esse.* At terminus Incarnationis *in facto Esse* est Ens illud absolutum, quòd Deus sit homo, sive quòd humanitas dependeat ab Esse personali Verbi, & communicet cum illo in eodem *Esse subsistente.* Ergo in hoc *Esse personali* quâ incarnato, & communicato naturæ Humanæ, sive in Humanitate quâ subsistente per hypostasin Verbi, sive in Formali personali Verbi unione quâ permanenter convenîente Humanitati, fundatur illa Hypostaticæ unionis relatio.

COROLLARIUM IV.

Qualiter unio Verbi cum Humanitate dici possit Substantialis, Naturalis, Essentialis, & Maxima omnium unionum?

16. INfertur 1. Hanc unionem simpliciter dici debere substantialem. ex Sancto Thomâ *præs. q. 2. art. 6.*

Ratio est. Tum quia isto loquendi modo evitatur hæresis Nestorij distinguentis in Christo duas Personas, easque asserentis *solùm accidentaliter* unitas, vel *secundùm inhabitationem*, quasi Verbum Dei habitaret in Christo homine, sicut in templo; *vel secundùm unitatem affectûs duntaxat*, quatenus voluntas Christi Hominis semper sit conformis voluntati Verbi Dei, vel *secundùm operationem*, quasi homo Christus esset solummodo instrumentum Verbi Dei; vel *secundùm Dignitatem honoris*, quatenus honor filio Dei exhibitus, propter accidentalem cum illo conjunctionem exhibeatur etiam Christo Homini.

Tum quia asserendo, Verbi cum Humanitate unionem esse substantialem, excluditur sententia Durandi *in 3. dist. 6. q. 4.* affirmantis, unionem Verbi cum Humanitate esse realem, sed accidentalem. At illi sententiæ opponitur per S. Doctorem *in ar. 6. in arg. sed contra,* quòd inde sequeretur, non posse humanitatem in Christo *in Quid* prædicari, sed *in Quale*, nec adeò debere dici Christum Hominem, sed Humanatum, sicut ex eo, quòd vestis *accidentaliter* tantum adhæreat homini, non dicitur homo esse vestis, sed vestitus. Hoc autem repugnat cum definitione Alexandri III. *in Cap. Cùm Christus. de Hæreticis* damnantis eos, qui dicunt, Christum ut hominem non esse *Quid.* Unde Concilium etiam Lateranense sub Martino I. *consult. 5. can. 6.* decernit in hæc verba, *Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur, propriè & secundùm veritatem naturarum, substantialem unionem indivisè, & inconfusè in eo cognitam, condemnatus sit.* 17.

Infertur 2. Unionem Verbi cum Humanitate posse in sano etiam sensu dici naturalem, ac essentialem. ex usu Patrum à Vasquez *præs. disp. 17.* fusiùs adductorum. Ratio est. Quia hunc loquendi modum usurparunt SS. Patres, non ad excludendam illius unionis supernaturalitatem, neq; ad adstruendam essentiæ, vel naturæ in Christo unitatem, sed ad excludendam impropriam, à Nestorio assertam conjunctionem, per inhabitationem, affectum, operationem, Dignitatem, & Authoritatem. 18.

Infertur 3. Unionem Divinæ & humanæ naturæ esse omnium maximam ex parte Personæ Divinæ, in quâ uniuntur, non autem ex parte naturarum. S. Tho. *præs. q. 2. ar. 9.* Ratio est. Tum quia natura Divina & Humana in Personâ Verbi habent unitatem personalem Increatam in se *complete* ac *perfectè* subsistentem. Hæc autem unitas est omnium maxima. Tum quia Natura Divina & Humana inter se præcisè, non tantùm non habent aliquam unitatem, sed ex essentiæ & naturæ Divinæ intrinsecâ ratione summè repugnat, eas inter se uniri, ad unam quandam naturam constituendam. Hæc igitur repugnantia facit, ut summa *quoad naturæ rationem* sit unitatis distantia inter Divinam & Humanam in Verbo unitas naturas. 19.





QVÆSTIO SEPTIMA.

DE TERMINIS INCARNATIONIS SEU HYPOSTATICÆ UNIONIS.

TRibus constabit articulis præsens quæstio. In primo discutiemus, *An unio Hypostatica sit facta in naturâ, vel personâ, ac hypostasi?* In secundo *agemus de termino Incarnationis assumente alienam naturam.* In tertio *de termino assumpto in Incarnatione.*



ARTICULUS I.

Utrùm Unio Hypostatica sit facta in naturâ, vel personâ, ac Hypostasi?

1. REfert Sanctus Irenæus *lib. 1. adversùs hæreses. cap. 24. & 25.* temporibus Apostolorum jam extitisse hæreticos, nominatim Ebionem & Cherintum, dividentes Christum in duas personas. Quos Magistro Theodoro Mopsuesteno, secutus Nestorius tempore Theodosij Junioris Patriarcha Constantinopolitanus, latiùs disseminavit illam hæresim, asserendo, 1. Aliam in Christo esse personam Filij Dei; aliam Filij Virginis. 2. Virginem genuisse purum hominem, quem progressu temporis fuisse unitum Filio Dei, non Hypostaticâ, sed accidentali unione per inhabitationem, affectum, operationem & communicationem suæ excellentiæ. veluti constat ex Concilio Ephesino tempore Theodosij Junioris & Constantinopolitano 2. *collat. 4.*

2. Hanc hæresim dùm Eutyches Presbyter, & Archimandrita Constantinopolitanus circa annum 450. acrius oppugnaret, incidit in aliam hæresim, asserendo, in Christo fuisse ante unionem duas naturas, sed vi unionis esse unicam, veluti patet ex Concilio Constantinopolitano

3. sub Flaviano *actione 7.* Etsi verò Vasquez *præs. disp. 14. cap. 1. nu. 5.* existimet, Euthychetem sensisse, quod Humanitas prioritate duntaxat naturæ exciterit priùs, quàm uniretur Divinæ naturæ. Attamen Ysambertus Sorbonicus *ad q. 2. de Incar. disp. 1. ar. 1.* probat ex Leone Papâ, Euthychetem docuisse, quod Humanitas prius tempore extiterit, quàm per unionem cum Verbo acceperit unitatem cum naturâ Divinâ.

Istis hæresibus accenseri potest error quorundam apud Sanctum Thomam *præs. q. 2. ar. 3.* asserentium, in Christo esse quidem unam personam, sed duas Hypostases, adeò ut unio Verbi cum Humanitate facta sit in personâ, non in Hypostasi. Quem proinde duplicem errorem duabus sequentibus controversijs, adjuncto tandem corollario, discutiemus. 4.

CONTROVERSIA I.

Utrùm unio Verbi facta sit in Naturâ?

EX parte Euthychetis adduci possunt sequentia argumenta. Primum *ex Philip. 2. Cap.* Ubi Christus dicitur factus in similitudinem hominum, & habitu inventus ut homo. At si Divina & humana natura manerent in Christo distinctæ, non similitudine tantùm & habitu, sed naturâ esset homo. Secundum ex *Corinth. 15.* Ubi Christus dicitur, secundus homo de cœlo cœlestis. Tertium ex Sancto Cyrillo, qui Concilio Chalcedonensi *act. 1.* referente, scripsit in hæc verba. *Non oportet intelligere duas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Quartum ex Gregorio Nazianzeno *Epist. ad Celidonium* affirmante; *Carnem Christi Domini fuisse deificatam.* 1. 2. 3. 4.

Ex opposito fides Orthodoxa in Concilio Chalcedonensi *actione 1. 2. & 5. Epistolâ Leonis Papæ in cit. Chalcedonensi concilio act. 2 laudatâ.* Item Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *Cap. firmiter de Sanct. Trinit. & fide Catholicâ.* asserta docet, per Incarnationem seu unionem Verbi cum humanâ Naturâ remanere in Christo duas, Divinam & Humanam naturas integras, inconfusas, & impermixtas. 5.

CONCLUSIO I.

6. IMpossibile est, unionem Verbi factam esse in naturâ, ex Sancto Thomâ *præs. q. 2. ar. 1.*

Probatur. Nam ex pluribus fit unum vel per compositionem, vel per conjunctionem transmutativam. At si ex Divinitate & Humanitate per unionem, seu compositionem resultaret una natura, deberet humanitas se habere per modum potentiæ, Divinitas verò per modum actûs. Unde Humanitas non tantùm in ratione suppositi, sed etiam naturæ esset perfectibilis per Divinitatem, nec adeò secundùm se esset natura totalis, utpote ab intrinseco perfectibilis ad naturam totalem constituendam; At dicere, Humanitatem ex se non esse naturam totalem, est error in Philosophiâ. Repugnat igitur, Humanitatem uniri Divinitati ad
7. unam tertiam Naturam constituendam. Deinde ex Humanitate & Divinitate non posset per transmutativam conjunctionem fieri unum, nisi Divinitas admitteret mutationem aliquam. At nulla est apud Deum transmutatio, seu vicissitudinis obumbratio *Jacobi* 1.

8. Dices. Sanctum Augustinum *Epist. 3. ad Volusianum* appellare personam Christi Domini mixturam Dei & hominis. Unde dicere ibidem; Verbum Dei esse permixtum animæ habenti corpus. Cui conformiter Sanctum Bernardum *serm. 2. in die nativit. Domini.* Mysterium Incarnationis vocare mixturam. Et Tertullianum *lib. de carne Christi, cap. 15.* dicere, Christum esse hominem Deo mixtum.

9. Contra. Nam ex contextu patet, Patres vocare Mysterium Incarnationis mixturam in eo duntaxat sensu, ut indicarent, duas naturas in eadem Personâ Verbi unitas. At vi talis unitionis non fit mixtio naturarum transmutativa, seu unitiva. Hæc proinde duarum naturarum in una personâ unitiva, non illa transmutativa mixtura debet admitti in Mysterio Incarnatio-
10. nis. Cujus per sacram authoritatem ratio est, quòd Christum oporteat fateri, esse verum Deum ac Filium Dei, Patri omninò consubstantialem, sive in ratione substantiæ ac Essentiæ eundem cum Patre: Iuxta illud *Joannis 3. Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo Filius, qui est in Cælo. Et Joannis 10. Ego & Pater unum sumus.* At per mixtionem Humanitatis & Divinitatis non præcisè unitivam, sed transmutativam, Christus non esset Deus, seu Filius Dei consubstantialis. Ergo per sacram Authoritatem non subsistit in Christo Naturarum transmutativa, sed secundùm unitatem personalem unitiva mixtura.

11. Replicabis. Incarnationis Mysterium *Joan. 1.* explicari istis verbis: *Verbum Caro factum est.* At per similem loquendi modum, *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam Joan. 2.* indicari veram aquæ in vinum conversionem.

12. Contra. Nam τὸ *Fieri* est æquivocum, ac de se indifferens ad conversionem substantialem, vel aliam actionem unitivam significandum. Unde ex naturâ prædicati & subjecti, vel ex contextu judicari debet ejus significatio. Atqui ipso, quòd Verbum Divinum sit *Essentialiter* immutabile, nequit caro factum fuisse per conversionem, sed per assumptionem Humanitatis in Deum, juxta illud Symboli Sancti Athanasij *Qui scilicet Christus, licèt Deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus: unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione Humanitatis in Deum. Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Instabis. Saltem non repugnare, quòd Humanitas esset per transubstantiationem conversa in Divinitatem. Ergo ex propositione, quâ Verbum dicitur caro factum secundùm rem naturam posset ita exponi, ut caro esset conversa in Verbum. 13.

Contra. Tum quia Transubstantiatio importat saltem destitionem, seu denotationem termini *à Quo.* Atqui carnem esse realiter in Christo, patet tum *ex Joan. 1.* ubi Verbum Caro factum dicitur habitasse in nobis, id est, in carne ejusdem speciei cum nostrâ, tum ex eo, quòd ipsemet Christus se dicat filium hominis. At non ipse Christus, sed terminus *a Quo* illius transubstantivæ, & Christi productivæ conversionis esset filius hominis, si Natura humana per Incarnationem esset conversa in Divinitatem. Hinc autem rursus sequeretur, prolem Virginis non à primò statim conceptionis instanti vocandam fuisse Filium Altissimi Dei, quod tamen repugnat Annuntiationi Angelicæ. *Lucæ* 1. descriptæ. 14.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD *primum* ex parte Euthychetis oppositum Argumentum Respondetur. Ex sacro textu patere, quòd Christus, cùm in formâ Dei esset, sit factus in hominum similitudinem, accipiendo formam servi. Hæc autem forma servi, sub quâ Christus habitu inventus est homo, non poterat esse alia, quàm natura humana. Ergo natura humana secundùm allegatum Apostoli testimonium est assumpta ad formam Dei, secundùm Hypostaticam cum Divinitate Verbi unionem. 15.

Ad *secundum* Respondetur. Christum ex vi Generationis Divinæ de cælo esse, à Patre nimirum, cujus thronus est cælum, in æternitate genitum: at ex qualitate gloriosi corporis esse hominem cælestem, licèt *quoad substantiam* ratione materiæ sit terrestris, habendo nimirum corpus Elementis mixtum, ex terrâ originatum; & ex purissimis Virginis sanguinibus conceptum. Non igitur Christum hominem specie, sed qualitate corporibus gloriosis conveniente, differre ab homine terrestri. Imò & hunc in resurrectione fore reformandum, & configurandum corpori Claritatis Christi, foreque hunc etiam cælestem. De illâ proinde Corporis Christi post Resurrectionem gloriosi qualitate Apostolum, vocando Christum hominem cælestem, *loco citato* fuisse locutum, patet ex sacro contextu. 16.

Ad *tertium* Respondetur. Illam Sancti Cyrilli Authoritatem in quintâ synodo Generali *can. 8.* exponi sequentibus verbis. *Si quis unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex Divinâ naturâ & humanâ unione secundùm subsistentiam factâ, sed talibus vocibus naturam unam, sive substantiam Divinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis anathema sit.* 17.

O 2 Constat

Constat igitur, Cyrillum accipi debere non de naturæ unitate, per quam ex duabus Divinâ & Humanâ naturis, in Christo sit una natura facta, sed de Hypostasis unitate, per quam duæ naturæ, Divinitas & Humanitas subsistant in unâ personâ Verbi, velut idem Cyrillus *in lib. ad Evod:um in defens. fidei* se ipsum explicat sequentibus verbis. *Nos unionem secundùm substantiam esse dicimus factam, nihil aliud (dicendo secundùm substantiam) significare volentes, quàm hoc solùm, quòd Verbi natura, quæ est ipsum Verbum, humanæ naturæ unita sit citra ullam conversionem & confusionem.*

18. Ad *quartum* Respondetur. Carnem Christi fuisse deificatam per sui Hypostaticam cum Verbo unionem, non per conversionem, seu mixtionem transmutativam.



CONTROVERSIA II.

Utrùm Unio Verbi facta sit in Personâ?

1. EX parte Nestorij adduci possunt sequentia argumenta 1. Quia Christus suam Humanitatem vocat templum Dei. *Joan. 2. Solvite templum hoc.* Ergo Divinitas est in Christo secundùm inhabitationem, non verò secundùm unitatem Hypostasis.
2. 2. Christus *ad Heb. 7.* dicitur, esse sine matre, & sine genealogiâ. At Christus Homo habet Matrem, habetque genealogiam. Oportet igitur, aliam ab homine distinctam esse in Christo personam, quæ sit sine matre & sine genealogiâ.
3. 3. Quia Christus in Sacris Scripturis subinde dicitur servus, vermis, opprobrium hominum, derelictus à Deo. Hæc autem non conveniunt personæ, quæ est Deus.

4. Ex opposito Unitatem Personæ in duabus Christi naturis docet fides orthodoxa; 1. in Concilio Ephesin. 1. & in anathemarismis Sancti Cyrilli in V. Synodo generali Constantinopolit. *collat. 8.* receptis, quibus condemnantur asserentes, naturas in Christo tantùm fuisse unitas secundùm dignitatem, vel Authoritatem. 2.
5. in Concilio Chalcedonensi *act. 5.* & in Lateranensi *consult. 5. can. 6. & in anathematismo 2.* Cyrilli: quibus locis unio Verbi cum Humanitate dicitur esse substantialis, & substantialiter facta.

CONCLUSIO.

6. UNio Verbi cum Humanitate est in personâ, adeò, ut per ipsammet Verbi Divini, non autem per propriam subsistentiam Humanitas constituatur subsistens.

Probatur. Nam filius hominis, qui est Christus, verè dicitur Filius Dei: cùm enim Christus *Math. 16.* interrogasset Discipulos, *Quem dicunt homines, esse Filium hominis*; Respondit Petrus, non ex carnis & sanguinis, sed æterni Patris revelatione, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Atqui ad veritatem prædicationis requiritur identitas prædicati & subjecti. In Christo autem quà filio hominis, & quà Filio Dei non est identitas naturæ. Oportet igitur, in ipso esse unitatem suppositi, vi cujus persona Verbi *physicè*, ac *realiter* unita sit humanæ naturæ, juxta illud S. Cyrilli in Concilio Ephes. *to. 5. can. 1. anathe. 3. Si quis post naturarum unionem dixerit eâ tantum copulâ connecti, quæ est secundùm Dignitatem, vel Authoritatem, non autem eâ communicatione, quæ fit secundùm physicam unionem anathema sit.*

Dices. Christum Filium Hominis posse dici Filium Dei ad instar hominis Iusti, qui, cùm Spiritu Dei agatur, est Filius Dei. *Rom. 8.* Unde *participative* dicuntur sancti etiam Dij *Psal. 81. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* 7.

Contra. Tum quia per illam ab æterno Patre revelatam, & a Petro prolatam confessionem, *Tu es Christus Dei vivi Filius*; manifestè constat, Christum esse Filium Dei non ad instar Prophetarum Sanctorum, Eliæ, vel Joannis Baptistæ ex utero licèt Matris sanctificati, adeòque inter filios Dei vivi adoptivos censiti. Oportet ergo, vi illius Divinæ confessionis Christum fateri Filium Dei naturalem, & consubstantialem. 8.

Tum quia Christus est ipsum Verbum caro factum, quod Verbum est Deus, per quem omnia facta sunt. *Joan. 1.* Atqui Verbum quà Caro factum importat unionem Verbi, seu Filij Dei cum Naturâ Humanâ: Cujusmodi unio cum Deo, soli Christo propria, nec alijs hominibus quantumvis Sanctis & Justis sit communis. Unde a Sancto Augustino *Epist. ad Volusianum*, alijsque Patribus vocatur singularis. At inhabitationis cum Deo unio convenit etiam alijs Justis *juxta illud 1. ad Corinth. 3. Nescitis, quoniam Dei templum est.* Idem est de unione voluntatum *1. Corinth. 6. Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* Idem patet de unitate operationis, siquidem idem sit Deus, qui operatur omnia in omnibus *1. Corinth. 12.* Idem denique constat de unione quoad participationem Divinæ Excellentiæ *juxta prællegatum Psal. 81. versiculum. Ego dixi, Dij estis.* Quare unio Verbi cum carne, seu naturâ humanâ nequit aliqua esse ex accidentarijs per Nestorium adstructis, sed debet esse substantialis. Tum denique quia ista unio ita est propria Verbi, ut non conveniat alijs personis Divinis. At omnes illi accidentales Nestoriani unionis modi sunt communes omnibus personis Divinis, siquidem Christus *Joan. 14.* testetur, se & Patrem venturum in hominem Justum, & facturum mansionem apud ipsum. Oportet ergo, unionem Verbi cum humanitate Christi eatenus esse substantialem, vi cujus solùm Verbum dicatur incarnatum, atque adeò debet esse Hypostatica, secundùm personalem hypostasis Verbi in Christo unitatem. 9. 10.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *primum* ex parte Nestorij oppositum fundamentum Respondetur. Christum esse templum, *in quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat corporaliter. ad Colossens. 2.* At in Justis & Sanctis ceu templo inhabitat Deus, non secundùm plenitudinem Divinitatis, sed secundùm gratiæ participationem. Debet ergo illa inhabitatio, per quam plenitudo Divinitatis in Christo inhabitat corporaliter, id est, realiter & sub- 11.

& substantialiter, non tantùm esse secundùm unionem gratiæ, sed secundùm unionem ipsius Dei Hypostaticam, vi cujus Christus non tantùm *participativè*, sed *simpliciter* sit Deus, & Filius Dei consubstantialis.

12. Ad *secundum* Respondetur 1. Illum sacrum textum procedere de Melchisedech Sacerdote, prout patet ex contextu. 2. Si tamen accipendus sit de Christo, exinde probari Divinam ipsius generationem, vi cujus sit sine Matre, & sine genealogiâ. At secundùm hanc Divinam generationem Christus eatenus est Filius Dei vivi, ut eadem persona sit Filius hominis, adeòque Filius Matris: dum enim Petrus dixit. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, clarè asseruit, eandem personam *per ly Tu* insinuatam, quæ est filius hominis, esse etiam Filium Dei. Ergo in Christo est una persona Divina habens sibi unitam naturam humanam, ratione cujus denominetur, ac sit filius Hominis.

13. Ad *tertium* Respondetur. Illa prædicata convenire Christo quà homini, atque adeò exinde probari distinctionem naturarum, non verò personarum in Christo; quem etiam in cruce fuisse derelictum à Deo, non quoad destructionem hypostaticæ unionis, sed quoad consolationis in inferiorem animæ partem derivandæ negationem.

COROLLARIUM.

1. INfertur. Incarnationis Verbi unionem esse etiam in hypostasi Verbi. S. Thomâ *præs. q. 2. ar. 3.* contra nonnullos ab eodem Sancto Doctore relatos, qui unam solam personam, sed aliam Dei, & aliam hominis hypostasin ponebant in Christo. Ratio illationis est. Tùm quia hypostasis non differt à personâ, nisi quòd hæc naturæ rationalis *determinatè*, illa verò cujuscunque naturæ *indifferenter* sit subsistentia. Unde hypostasis Verbi respectu naturæ etiam humanæ est hoc ipso persona, nec adeò magis est in Christo una persona, quàm una hypostasis,

2. Tum quia hypostasis idem est ac subsistentia. At si quis conetur in Christo introducere sive duas personas, sive duas subsistentias, anathematizatur à synodo generali *V. can. 5.*

3. Tum quia hypostasi attribuuntur operationes, & proprietates naturæ in concreto. Unde si Christi quà hominis alia esset hypostasis distincta ab Hypostasi Verbi; sequeretur, non de Verbo, sed alio supposito verificari, quòd Christus sit natus de Virgine, passus, & sepultus. At istud in synodo Ephes. 1. *can.* 2. damnatur sequentibus verbis. *Si quis personis duabus, vel subsistentijs eas, quæ sunt in Evangelicis, & Apostolicis scripturis, partitur voces, aut de Christo à sanctis dictas, aut ab ipso de se: & quasdam quidem velut homini, præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat: quasdam verò velut decibiles, soli ex Deo Patre Verbo; anathema sit.*

4. Tum quia, licèt Sanctus Augustinus, *in Enchir. post principium* dicat, Divinam substantiam & naturam humanam, utramque esse unum Dei Filium, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Nihilominùs istud non est accipiendum de differentiâ Hypostasis, sed naturarum: Divo Gregorio Nazianzeno *in Epist. ad Dydimum* attestante in hæc verba: *Aliud & aliud sunt ea, ex quibus Salvator est, non autem alius & alius.*

5. Tum quia, licèt Christus quà homo sit sub specie humanâ, hoc tamen ipsi convenit ratione naturæ humanæ, non autem secundùm hypostasin hujus propriam, ut adeò hypostaseos Verbi unitas in Christo non impediat, quominùs Christus homo sit in specie Humanâ, siquidem res singularis non ratione individuationis ac Hypostasis, sed ratione naturæ sit ponibilis in aliquâ specie. Tum denique licèt Natura Humana quà condistincta à Verbo sit substantia singularis, ut sic tamen non est completa in ratione primæ substantiæ. At hypostasis non importat *præcisè* naturam singularem, sed quà *completè* individuam, seu ultimatè completam, & constitutam in ratione primæ substantiæ. Hoc autem non convenit Humanitati Christi, nisi per subsistentiam Verbi sibi personaliter unitam. Per hanc igitur constituitur *formaliter* in ratione suppositi & Hypostasis. Unde Joannes Damasc. *in lib. 3. Ortho. fid. cap. 3. ait. In Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem Hypostasin.* 6.



ARTICULUS II.

DE

Personâ Hypostaticè assumente alienam Naturam.

CUm ex fide Divinâ edocti jam simus, naturam creatam esse à subsistentiâ suâ connaturali separabilem, & Divinâ hypostasi terminabilem. Exinde per intellectûs nostri discursum variæ excitantur difficultates sequentibus controversijs, ac tribus subjunctis corollarijs discutiendæ. Prima. *Utrùm Divina Verbi persona per aliquid absolutum, vel relativum terminet Humanam Christi naturam?* Secunda. *Utrùm Deus secundùm suam subsistentiam absolutam posset immediatè terminare naturam creatam?* Tertia. *An singulæ, vel etiam omnes personæ Divinæ possent unam numero naturam creatam terminare?* Quarta. *An Deus sub ratione vitæ, vel alterius perfectionis ac formalitatis posset omni naturæ creatæ?* Quinta. *Utrùm subsistentia creata posset terminare alienam naturam?*



CONTROVERSIA I.

Utrùm Divina Verbi Persona per subsistentiam & existentiam Dei absolutam, vel per relativam præcisè hypostasin terminet humanam Christi naturam?

DUrandus *in 3. dist. 2.* affirmat, primam rationem terminandi Hypostaticam Verbi cum Humanitate unionem esse aliquid absolutum, scilicet essentialem, & absolutam Divinæ naturæ subsistentiam. Fundamentum ex parte illius Authoris à Suarezio 1.

 præs.

præs. disp. 11. sect. 2, deductum est. Quia in Trinitate est una tantùm absoluta subsistentia, quâ & Divina natura, & omnes Divinæ personæ subsistunt. At prima ratio terminandi Humanitatem est subsistentia Divina. Ergo prima ratio terminandi est aliquid absolutum, ratione cujus eatenus est Deitas unita Humanitati, ut tamen vi hujus unionis nulla alia persona divina, sed sola Verbi persona vi specialis unionis uniatur Humanæ Christi naturæ.

2. In hanc sententiam Suarez *citatus* ait, re ipsâ incidere Capreolum *in 3. dist. 1. concl. 4.* ac reliquos Thomistas asserentes, tum quòd in Trinitate sit unicum absolutum Esse existentiæ, tum quòd Humanitas Christi non existat existentiâ creatâ, sed Divinâ. Hinc enim Capreolum, licèt contra Durandum asserat, rationem terminandi in Hypostaticâ Christi Humanitatis unione esse proprietatem Verbi. Nihilominùs ponere quasi duplicem Humanitatis à Verbo dependentiam, aliam scilicet in subsistendo, aliam verò in existendo, quarum prior sit *formaliter* per Verbi personalitatem, posterior autem sit per existentiam & subsistentiam essentialem.

3. Joannes à Sancto Thomâ *in præs. q. 3. disp. 6. art. 2. n. 5.* asserit, Suarezium immeritò, & irrationabiliter probabilissimam Thomistarum sententiam confundere cum improbabili illo sensu Durandi. Neque enim Thomistas ponere duas in Humanitate uniones, quarum altera sit ad personalitatem Verbi, altera verò ad existentiam ut communem Toti Trinitati, sed solùm ut modificatam ad Personam Verbi, ad quam unica sit facta unio, quæ ex consequenti tangat existentiam Divinam ut est in Verbo, non ut communiter se habet ad totam Trinitatem. Fundamentum petitur ab authoritate Doctoris Angelici *præs. q. 3. art. 2.* taliter disserentis, *Secundariò potest dici, quòd etiam natura Divina assumpsit naturam humanam ad suam personam, & secundùm hunc modum dicimus, secundùm Damascenum, Athanasium, Cyrillum, naturam Dei incarnatam.*

4. Suarez *cit. sect. 2. v. secunda difficultas.* de Cajetano asserente, relationem ut sic nullam dicere perfectionem, sentit, vix posse vitare, quin vel relatio habeat vim terminandi *Formaliter* à perfectione absolutâ per essentiam Divinam sibi inexistente, vel certè quin relatio terminet, prout nullam dicit perfectionem, quod dicere sit absurdum. Fundamentum est. Quia subsistentia Verbi relativa, prout terminat Humanitatem, in hâc supplere debet subsistentiam creatam & propriam. Ut sic autem debet istam *eminenter* continere. At si relativa Verbi subsistentia *Formaliter* quà relativa nullam dicat perfectionem, nequit *Eminenter* in se continere perfectionem creatæ subsistentiæ. Ergo *Formaliter* quà relativa non terminat Humanitatem Christi.

5. Verùm Nazarius *præs. q. 3. art. 2. cont. 1.* defendens Cajetanum ait, relationes personales in Divinis dupliciter posse considerari, uno modo, quatenus dicunt *Esse Ad*, seu respectum ad terminum, quomodò non sumi secundùm suam integram & completam rationem, alio autem modo accipi, quatenus sunt personarū constitutivæ, velut Hypostaticæ formæ, & ita sumi secundùm perfectam & completam suam rationem. Unde Cajetanum asserendo, relationes Divinas ut relationes suam dicere perfectionē, loqui de eis priori modo sumptis. Ut sic autem filiationem non habere, quòd terminet assumptam Humanitatem, eò quòd ipsi ut sic nulla conveniat subsistentia essentialis, aut personalis naturæ assumptæ terminativa. Quare de relatione personali Verbi integrè sumptâ accipiendum esse, quòd Humanitatis sit *substantialiter* terminativa. Ut sic autem personalem Verbi proprietatem importare infinitam in terminando perfectionem, atque adeò continere *Eminenter* personalitatem omnem creatam & creabilem.

CONCLUSIO.

VErbi Divini Hypostasis terminat Humanitatem Christi, quà forma Hypostatica, ut sic *Formaliter* relativa, importans *transcendentaliter* absolutam Dei Existentiam & subsistentiam.

Probatur. Nam proprietates personales in Deo habent, quod subsistant, ab Essentiâ Divinâ, ex eo enim paternitas sive filiatio habet, quòd sit res subsistens, quia Essentia Divina, cui est idem secundùm rem, est subsistens. ex Divo Thomâ *q. 7. de potent. a. 5. ad 13.* Atqui essentia Divina est ipsum Esse subsistens, ipsumque adeò actualissimum *Esse Existentiæ*. Ergo proprietates personales in Deo ex parte conceptûs nostri objectivi *Formaliter* & *Transcendentaliter* important existentiam ac subsistentiam, quæ *Formalissimè* sit Essentia Divina. At Hypostasis Verbi est Humanam Christi naturam Hypostaticè terminans, & *Formaliter* sustentans per formalitatem subsistentiæ. Unde, quia hæc est *formaliter* essentia, atq; adeo existentia subsistens, sequitur, Hypostasin Verbi terminare Humanā Christi naturam, prout *Formaliter* importat essentialem Dei existentiam & subsistentiā absolutam. At Hypostasis Verbi est humanitatem *Formaliter* terminans, quà condistincta ab Hypostasi Patris & Spiritûs sancti. Ut sic autem est *Formaliter* relativa. Ergo personalitas Verbi, quà relativa eatenus terminat humanam Christi Naturam, ut tamen sub ratione terminationis etiam relativæ, quantumvis abstractæ *Formaliter* importet subsistentiam, & existentiam Dei absolutam. Doctore Angelico *in 3. q. 3. art. 3. ad 1.* attestante, *Quòd, cum in Divinis idem sit Quo est, & Quod est, quidquid eorum quæ attribuuntur Deo in abstracto, si secundùm se consideretur aliis circumscriptis, sit aliquid subsistens.* 6.

Dices. Hinc evinci, quòd æquè ad Increatam Dei existentiam & subsistentiam tribus personis communem, atque ad Verbi proprietatem relativam facta sit unio Humanitatis Christi. At ex hoc sequi, quòd Esse Dei subsistens tribus personis commune sit Incarnatum. 7.

Contra. Nam illa duntaxat formalitas Divina est *per se primariò* incarnata, cujus formalis quasi effectus per ipsum *Formaliter* & per actionem unitivam *Causaliter* communicatur humanæ Christi naturæ. At ista actio unitiva per suam Essentiam respicit Hypostasin Verbi ex se *Formaliter* relativam, *Transcendentaliter* tamen inclusivam Increatæ Dei Existentiæ ac subsistentiæ. Unde ista subsistentia ac existentia Dei non potest dici incarnata, nisi prout per illam actionem 8.

nem unitivam tangitur Hypostasis Verbi, existentiam ac subsistentiam Divinam *Transcendentaliter* includens. Ut sic autem ista Dei subsistentia ac existentia dicitur incarnata, non prout est absoluta, & communis tribus personis, sed quatenus per modum termini sub illâ unitivâ actione stantis *Formaliter* includit Verbi correlativam proprietatem. Ergo Esse Dei subsistens potest quidem dici incarnatum, quatenus est in Verbo, non autem in Patre, & Spiritu sancto.

9. Replicabis. Naturam quoque Divinam ex sententiâ Patrum *supra n. 2.* allegatorum dici incarnatam: & tamen istam Naturam Divinam non tribuere Humanitati Christi suum quasi formalem effectum. Pari ergo ratione differendum esse de subsistentiâ ac existentiâ Dei.

10. Contra. Tum quia ista formalis quasi effectûs communicatio non fit, nisi mediante actione unitivâ, ceu causali effectûs illius communicatione. Atqui actio Verbi ad Humanitatem unitiva per suam quidditatem est respiciens tanquam terminum, Hypostasin Verbi, non verò naturam Divinam. Unde ista non *per se formaliter*, ex vi illius actionis unitivæ, sed *consequenter* propter sui cum Verbo identitatem dici potest incarnata. Tum quia actio illa unitiva per suam quidditatem est *Causaliter* Com-

11. municativa effectûs subsistendi. Ratio verò subsistendi in Deo *Formaliter* importat Existentiam Dei. Unde Hypostasis Verbi etiam quà correlativa, ne quidem *Intentionaliter* præscindibilis est ab Esse subsistente, ceu omnis formalitatis Divinæ Essentiâ. At eo ipso, quòd Hypostaseos Verbi proprietas personalis sit Humanitati Christi *formaliter* communicativa subsistendi effectûs quasi formalis, sequitur; formalitatem Existentiæ ac subsistentiæ in illâ proprietate personali per modum essentiæ *Transcendentaliter* inclusam, esse sui ipsius, suique adeò formalis quasi effectûs concommunicativam eidem Christi Humanitati. Patet igitur, quomodò per unionem Verbi Hypostaticam Humanitas Christi per Dei subsistentiam & existentiam constituatur *Formaliter* subsistens, ac existens, licèt Natura Divina non sit vi illius unionis se ipsam *Formaliter* communicans.

Responsio ad opposita fundamenta

12. AD Durandi *n. 1.* oppositum Respondetur. Primam rationem Humanæ Christi naturæ terminativam esse subsistentiam Divinam, prout actio Verbi unitiva istam non *absolutè*, sed unà cum personæ Verbi correlatione *indivisibiliter* respicit, & ut sic *Causaliter* unit Humanitati Christi. At subsistentiam Divinam unà cum personali Verbi correlatione spectatam intelligi correlativam. Non igitur dici posse, quòd ratio terminandi Humanitatem Christi sit subsistentia Divina absoluta. Minùs dici posse, quòd duplex, altera, eaq; primaria subsistentiâ Dei absolutam, altera Hypostasin, Verbi correlationem, Divinamque *Transcendentaliter* in se imbibitam subsistentiam *Indivisibiliter* attingens, unio interveniat in Mysterio Incarnationis.

13. Ad Suarezij *n. 2.* oppositum Respondetur. Ex mente Thomistarum nullam poni Humanitatis à Verbo dependentiam, nisi ex vi actionis unitivæ. Hanc verò esse indivisibilem, esseque ex suâ quidditate causalitatem formalitatis subsistendi, ac existendi in Personali Verbi proprietate *Transcendentaliter* inclusæ *indivisibiliter* communicativam. Non igitur convenire Thomistis cum Durando, in ponendâ duplici Humanitatis ad Existentiam Dei Essentialem, & subsistentiam Verbi relativam unione.

Ad Ioannis à sancto Thomâ doctrinam Respondetur. Eam nobis omninò probari, nisi quòd per fundamentum *ibi* positum non videatur satis explicari ratio, cur Existentia Dei increata, unà cum Hypostaticâ Verbi relatione, per actionem unitivam *indivisibiliter* attacta, sit sui formalis quasi effectûs *Formaliter* communicativa Humanitati, etsi talem quasi effectum *per se* ipsam *Formaliter* non communicet Natura Divina, solùm *secundariò* unita humanæ Christi naturæ. Cujus proinde discriminis rationem peti posse *ex dictis præs. cont. n. 9.* 14.

Ad Suarezij *n. 4.* oppositum Respondetur. Divinam Verbi Hypostasin eo ipso, quòd *Transcendentaliter* ac secundùm nostrum etiam præcisivum intelligendi modum *Essentialiter* includat existentiam ac subsistentiam Dei, non esse sub quâcunque abstractione intelligibilem sine infinitâ perfectionis eminentiâ, per quam possit adeò supplere defectum creatæ subsistentiæ. Quare Cajetanus asserens, relationem in Divinis ut sic *Formaliter* non dicere perfectionem, in eo duntaxat sensu accipiendus est, quòd ejusmodi relatio non sit præscindibilis à Divinâ Essendi & subsistendi ratione, per quam, nō autē ex se præcisè sumptâ (siquidem præcisio ejusmodi objectiva impossibilis sit) importet perfectionem. Constat proinde, Divinam Verbi Hypostasin, prout importat perfectionem, eatenus esse Humanitatis Christi terminativam, ut tamen ista terminatio non fiat per subsistentiæ Divinæ perfectionem, quà tribus personis communem, sed quà modificatam in Verbo, prout nimirum unà cum Hypostaticâ Verbi correlatione *indivisibiliter* substat unitivæ cum Humanitate actioni. 15.

Ad Nazarij *n. 5.* propositam doctrinam Respondetur. In eâ displicere, quòd indicet, relationem Verbi *quoad Esse ad* esse intelligibilem cum præcisione ab existentiâ & subsistentiâ Divinâ, esseque adeò præscindibilem ab omnimodâ perfectione. Hoc enim falsum esse probavimus *to. 1. q. 13. a. 1. cont. 3.* 16.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁(❁)❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA II.

Utrùm Deus secundùm absolutam, tribus Personis Divinis communem subsistentiam posset immediatè terminare naturam [illegible] *Creatam?*

NEgant Alensis *3. part. sum. q. 2. memb. 2.* Divus Bonaventura *in 3. dist.* Capreolus *dist. 1. q. unicâ a. 1. concl. 4. & art. 3. ad Argumenta Durandi contra 3. concl.* Mayronius *in 3. dist. 1. q. 4* Vasquez *præs. disp. 27. cap. 2.* Tannerus *q. 4. de Incarna. n. 16.* Martinon *hic disp. 6. sect. 2.* Fundamentum à Vasquezio *n. 9.* deductum est. Si enim aliqua esset subsistentia in Deo re ipsâ communis 1.

tribus perſonis, nihil aliud eſſe poſſet; quàm ſubſtantialis Dei exiſtentia. Hæc autem convenit naturæ Divinæ quantumvis abſtractæ, & ſignificatæ per modum formæ; ſiquidem Deitas ipſa prout Deitatis nomine ſignificatur, verè exiſtat per exiſtentiam, quæ eſt de ipsâ Eſſentiâ Dei. At Deitas ut Deitas omnibus Theologis fatentibus, non poteſt terminare, & ad ſe ſumere naturam creatam. Ergo nec ſubſiſtentia, quam adverſarij tribus perſonis Divinis communem ſubſiſtentiam vocant, poteſt eſſe ratio terminandi naturam Humanam.

2. Franciſcus Amicus *præſ. diſp. 14. ſect. 5. n. 56.* exiſtimat, non repugnare, naturam Divinam, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam à relativis ratione diſtinctam, *immediatè* terminare ſubſtantialem unionem naturæ creatæ ad ſe.

Fundamentum eſt. Nam exiſtentia Naturæ eſt *poſitivè* perfecta & completa in ratione exiſtentiæ, ſolumque, ut non dicatur ſubſiſtentia, illi deeſt negatio communicabilitatis alteri ut termino ſubſtantiali intrinſeco. Eſt autem cujuſcunque naturæ creatæ exiſtentia, etiam in ratione exiſtentiæ *Poſitivè* complebilis per intrinſecum terminum ſubſtantialem. Ergo poterit hanc perfectionem *poſitivi* complementi ad perfectè exiſtendum accipere à naturâ Divinâ.

3. Ylambertus Sorbonicus *ad q. 3. de Incar. diſp. 3.* docet, ſi aliqua in Deo ſit abſoluta ſubſiſtentia, tunc Deum *abſolutè loquendo*, poſſe terminare humanitatem, faciendo illam ſubſiſtere ſuâ communi ſubſiſtentiâ: in quo tamen caſu Humanitatem non fieri incommunicabilem *primò per ſe*, & præciſe vi talis ſubſiſtentiæ abſolutæ, nec etiam vi ſuæ propriæ perſonalitatis, ſed ſolummodò ex vi & efficaciâ Divinarum relativarum perſonalitatum, quibus tunc uniretur *mediatè*.

Fundamentum eſt. Quia natura habet *Formaliter* ab eo, ut ſit incommunicabilis, à quo habet, quòd ſit perſona. At illa abſoluta Dei ſubſiſtentia juxta eos, qui eam admittunt, in eo deſtinguitur à perſonalitate, quòd faciat quidem ſubſiſtere, non tamen *incommunicabiliter*. Unde per relativas duntaxat perſonalitates *mediatè* unitas Humanitati, conveniret iſti ratio *Incommunicabiliter* ſubſiſtendi.

4. Scotus *in 3. diſt. 1. q. 2. n. 5* Lychetus *ibi.* Richardus *art. 1. q. 4.* Durandus *q. 4.* Cajetan. *in 3. p. q. 3. art. 2. §. Quoad.* Medina *ibidem.* Alvarez *eod. art. 3.* Nazarius *ibidem. cont. unicâ.* Suarez *diſp. 15.* Rada *in ſuâ 3. part. cont. 2.* & alij affirmant. Naturæ Divinæ inexiſtere ſubſiſtentiâ abſolutam à relativis *virtualiter*, ſeu *ratione ratiocinatâ* diſtinctam, ſecundùm quam poſſit Deus aſſumere naturam creatam. Fundatur hæc ſententia in Divo Thomâ *præſ. q. 3. art. 3. in corp. & ad 3.* docente, quòd excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remaneat in conſideratione noſtrâ natura Divina ut ſubſiſtens, & ut perſona; poſſitque per hunc modum intelligi aſſumens creatam naturam.

Conclusio.

5. Nullo modo repugnat, ſubſiſtentiam Dei abſolutam terminare naturam creatam.

Probatur. Nam eo ipſo, quòd Eſſe Dei ſit *per ſe ultimatè* actuatum in ratione primæ ſubſtantiæ, ſequitur, ipſum Dei actualiſſimum Eſſe habere *formaliſſimè* rationem ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ. Hæc autem ſubſiſtentiæ formalitas non minùs infinita eſt, quàm Hypoſtaſis Verbi, imò hæc rationem ſubſiſtendi *formaliſſimè* habet per illam ſubſiſtentiam abſolutâ *Tranſcendentaliter* in ſe incluſam. At verò Hypoſtaſis Verbi propter ſuam infinitatē eſt potens terminare plures naturas, Divinam ſcilicet & Humanam. Eſt autem ſubſiſtentia Dei abſoluta æquè infinita in ratione Hypoſtaticæ terminationis: imò Hypoſtaſis Verbi ex formali correlationis ratione eatenus habet reſpectivam incommunicabilitatem, ac terminationem Hypoſtaticam, ut tamen in ratione *per ſe* eſſendi terminationem Hypoſtaticam, ſeu ultimâ actuationem in ratione ſubſtantiæ & individuationem omninò completam ac perfectâ habeat ex formalitate ſubſiſtentiæ abſolutæ, in ſe *Tranſcendentaliter* incluſæ. Conſequens igitur eſt, ſubſiſtentiam Dei abſolutam non minùs poſſe naturæ creatæ Hypoſtaticè uniri, quàm relativam Verbi Hypoſtaſin.

6. Dices ex Vaſquezio *cit. cap. 2. n. 7.* Illa ſubſiſtentia Dei abſoluta nihil aliud eſſet, quàm ipſa ſubſtantialis exiſtentia Dei. Atqui natura creata nequit exiſtere per ſubſtantialem Dei exiſtentiam, nulla enim res exiſtere poteſt exiſtentiâ alienâ, & extrinſecâ, ſed intrinſecâ, & propriâ. Cujus equidem ratio ſic deduci poteſt. 7. Nam exiſtentia eſt *Formaliter* poſitio rei extra cauſas. At quælibet res *Formaliter* extra cauſas poſita eſt ſecundùm illam formalitatem, ſecundùm quam eſt terminans cauſalitatem ſui effectricem, vi cujus extrahitur extra cauſas. Eſt autem quælibet res *Formaliter* per ſuam ipſiſſimam entitatem terminans cauſalitatem ſui effectricem. Ergo quælibet res eſt ſua exiſtentia. Ergo natura creata nequit per Divinam & Increatam exiſtentiam exiſtens eſſe, ſed *per ſe* ipſam, & intrinſecam ſuam entitatem. Ergo nequit naturæ creatæ uniri ſubſiſtentia Dei abſoluta, *formaliſſimè* includens ſubſtantialem Deitatis exiſtentiam.

8. Contra. Nam ſubſtantia extra cauſas ponitur *Formaliter* per illam actualitatem, per quam eſt extra potentialitatem. Atqui ſubſtantiæ creatæ potentialitas alia eſt in ratione naturæ, quæ ſubſtantiæ corporæ eatenus eſt propria, quatenus importat materiam ex formâ actuatam. Alia verò potentialitas eſt in ratione ſuppoſiti, ſeu primæ & completæ individuæ ſubſtantiæ, cujuſmodi potentialitas actuatur per ſubſiſtentiam ſeu Hypoſtaſin. Alia denique potentialitas eſt in ratione Entis, quæ actuatur per exiſtentiam. Hæc igitur eſt formalitas, per quam ſubſtantia creata eſt *Formaliter* poſita extra cauſas, utpote habens actualitatem, ratione cujus ſit extracta ex potentialitate cauſæ etiam materialis. Unde cauſalitas effectrix non *Formaliter*, ſed *Cauſaliter* duntaxat eſt poſitio rei extra cauſas; prout nimirum ſubſtantia, ſeu natura terminans cauſalitatem ejuſmodi, per hanc eſt in ſtatu phyſico & reali, cum determinatione intrinſecâ ad ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ ex ſe pullulantis actuationem. At verò per fidem Divinam edocti ſumus, ſubſiſtentiam propriam in naturâ & ſubſtantiâ creatâ ſuppleri poſſe per ſubſiſtentiam Divinam Verbi. Hæc autem importat tum incommunicabilitatem correlativæ oppoſitioni propriam, 9.

tum

tum perseitatem existendi. Ista verò existendi perseitas omnimodæ potentialitatis exclusiva *formalissimè* dicit purissimam existendi actualitatem. Ergo per unionem Verbi Hypostaticam eatenus suppletur Hypostasis propria Humanitatis, ut huic per eandem Verbi unionem fiat communicatio existentiæ Divinæ Verbi; Concilio Generali VI. *act. 11.* approbante, *quòd Humanitas Christi in Verbo, non in se habeat existentiam.*

11. Atqui hujus Divinæ existentiæ communicatio fit, quatenus Humanitas per actionem sui effectricem in statu reali posita habet entitaté, cui per se inest potentialitas ex se determinata ad Hypostasin ac existentiam sui propriam: quam tamen supplet existentia ac subsistentia Verbi, prout Humanitas mediante Verbi unitivâ actione elevatur ad formalé Hypostasis Verbi communicationem. Constat proinde, actioné substantiæ creatæ effectricé *per se* ac *immediatè* non terminare ad existentiá seu formale rei extra causas positionem, sed hunc *naturaliter* emanare ex entitate terminante actioné sui effectivam, *supernaturaliter* autem comunicari mediante actione ad Hypostaticam cum personâ Divinâ unioné elevante. At verò sicuti non re-

12. pugnat actio Humanitatis elevativa ad formalé quasi effectû existentiæ Divinæ *Transcendentaliter* imbibitæ in Verbi Divini Hypostasi, sic æq; non implicat actio humanitatem elevans ad formalé existentiæ & subsistentiæ quasi effectum participandum ex Divinâ existentiâ & subsistentiâ, secundùm se *absolutè* spectatâ sine aliquâ inter Personas Divinas correlatione. Ut sic autem fieret ad subsistentiam Dei, ejusque adeò substantialem existentiam quà absolutam Hypostatica unio. Non igitur implicat unio naturæ creatæ Hypostatica ad subsistentiam Dei absolutam.

13. Replicabis ex Vasquezio *cit.* Hinc evinci, quòd existentia Dei increata per modum personalis terminationis possit sustentare naturam creatam. At istud absque fundamento excogitari. Probatur istud assumptum. Nam Antiquis Patribus & Concilijs, cùm disputarent contra Eutychetem & Nestorium, nullum aliud genus Unionis in mentem venit, quàm unionis in naturâ & in personâ. Hoc autem possibile, illud verò impossibile dixerunt. Quemadmodùm igitur nemo diceret auderet unam naturam posse terminari per alienam personam, nisi fides nostra ita revelasset, quia nullum ad hoc asserendum esset fundamentum: ita etiam nunc temerè diceret aliquis, unam naturam posse *extrinsecè* per alienam existentiam terminari. Quinimò Patres & Concilia

14. ex eo, quòd unio naturæ Humanæ non facta fuerit in naturâ Divinâ, intelligunt factam fuisse in personâ, ratione proprietatis personalis, nec adeò unionem ejusmodi esse communem tribus personis, sed propriam Verbi. At, si possibilis esset unio humanitatis cum Dei absolutâ, & tribus personis Divinis communi subsistentiâ, tunc illa argumentatio non subsisteret.

15. Contra. Nam Patrum & Conciliorum argumentatio nitebatur principio divinitùs revelato, quo credimus, Verbum fuisse incarnatum. At istud principium restringit unionem Hypostaticam ad Personam Verbi. Hoc igitur supposito, Patres duo considerabant in Verbo, naturam scilicet Divinâ, ejusq; propriam Hypostasin. Hinc autem talis processit argumentatio. Unio in naturâ supponit *potentialitatem in ratione naturæ de se incompletæ actuabilem. Ergo unio Verbi cum Humanitate, non est facta in naturâ. At ex fide divinâ eruitur unio Verbi cum Humanitate. Ergo ista unio est cum Hypostasi Verbi.* Quam proinde argumentationem nihil conferre ad demonstrandum, quòd unio creatæ naturæ cum absolutâ Dei subsistentiâ sit impossibilis, evincitur sequenti argumento. Etenim Hypostatica Verbi cum Humanitate unio fit mediante actione per intrinsecam suam Entitatem ac Essentiam respiciente Verbi Hypostasin, quà terminum sui *formaliter* comunicativum. At hujus actionis possibilitate 16.
per Fidem Divinam creditâ, ob rationis paritaté, nulla jam apparet implicantia actionis, mediante quà subsistentia Dei absoluta comunicaret se humanitati ad formalem subsistendi effectû comunicandum, siquidem subsistentiæ absolutæ unitio in hoc solùm differret ab unitivâ Verbi actione, quòd ista per suam essentiam *transcendentaliter* respiciat Verbi Hypostasin, non solùm sub formalitate subsistentiæ, sed etiam sub formalitate correlationis: illa verò subsistentiæ, vel Esse subsistentis, formalitatem à formalitate correlationis Verbi *virtualiter* distinctam, atque adeò *absolutè* spectatam respiceret, quà terminum mediante actione ejusmodi *formaliter* sui communicativum. At planum est, in hac posteriore actione non plus esse implicantiæ, quàm in priori Verbi unitivâ actione. Constat igitur, prætactam Patrum argumentationem non obstare, quin adstruere liceat possibilitatem hypostaticæ inter naturam creatam, & subsistentiam Dei absolutam unionis.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Fundamentum Vasquezij *n.* 1. oppositum Respondetur. Verùm esse tùm quòd 17.
subsistentia Dei absoluta sit ipsa substantialis Dei existentia, siquidem ista sit *formalissimè* Dei essentia, quæ est *Esse subsistens*; tum quòd existentia conveniat naturæ Divinæ, sub Deitatis formalitate etiam consideratæ, siquidem in Divinis non possit in tantum fieri abstractio alicujus formalitatis, quin *formalissimè* importetur in eâ Esse subsistens: Doctore Angelico *3. p. q. 3. art. 2. ad 1.* attestante, *Quòd quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto secundùm se consideretur, alijs circumscriptis, sit subsistens.*

Hinc quando dicitur Deitaté, ut sic non posse 18.
uniri cum alienâ naturâ, intelligi de unione in naturâ, non verò insubsistentiâ *transcendentaliter* inclusâ in Deitate & naturâ Divinâ: adeò, ut licèt impossibilis sit unio, per quam Deitas cum naturâ creatâ constituat unam tertiam naturam, sit tamé possibilis unio, per quam Deitas naturâ creatam constituat in Esse suppositi, vel Hypostasis.

Ad Amici *nu. 2.* oppositum fundamentum 19.
Respondetur. Existentiam, quæ non se habet per modum accidentis prædicabilis, sed Essentiæ substantialis, non esse intelligibilem, quin *formalissimè* importet subsistentiam. Hanc verò in *ratione essendi* eatenus esse incommunicabilem, quatenus est positivâ individuatio, ac Hæcceitas illius substantialis existentiæ. Unde *Esse Dei subsistens* ex se ipso *formalissimè* habere incommunicabilitatem in essendo, nec adeò per Hypostases relativas accipere incommunicabilitatem, nisi relativæ oppositionis, vi cujus relatio est *Formaliter* exclusiva, atque adeò distinctiva respectu sui correlati. Cùm proinde Existentia substantialis in Deo per se ipsam Hæcceitata *formalissimè* importet formalitatem

tatem subsistentiæ, consequens esse, quòd talis existentia nequeat uniri naturæ creatæ, quin huic communicet formalem subsistendi ac existendi effectum. Ad quem nihilominùs effectum ex parte naturæ creatæ non posse supponi existentiam creatam, sed talis naturæ entitatem, mediante existentiâ vel propriâ, vel divinâ actuabilem.

20. Ad Ysamberti *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Subsistentiæ rationem formalem importare incommunicabilitatem substantiæ individuatæ ac hæcceitatæ. Istam verò incommunicabilitatem in Divinis *virtualiter* aliam esse absolutam sub ratione essendi, aliam verò esse relativam. Etsi proinde *Esse* Dei *subsistens* ut sic non intelligatur habere relativam incommunicabilitatem, seu oppositionem unius Divinæ personæ ab aliâ distinctivam, habet tamen ex se ipso ultimam Hæcceitatem, atq; adeò incommunicabilitatem in Essendo. Imò Hypostases relativæ in Deo nullatenus habent Essendi Hæcceitatem, seu in Essendo incommunicabilitatem, nisi quatenùs *transcendentaliter* important Essentiam Divinam in *Esse subsistente* sitam. Quare naturam Divinam etiam absolutè spectatam, teste Divo Thomâ *hic q. 3. art. 3. ad 1.* esse personam *in Essendo* ultimatè hæcceitatam, & ut sic incommunicabiliem, nec ex hypostaticis Divinis relationibus habere incommunicabilitatem, nisi correlationis per oppositionem relativam *formaliter* excludentis suum correlatum. Consequens igitur esse, quòd per Hypostaticam subsistentiæ Dei absolutæ unionem naturæ creatæ conveniunt *immediatè*, esse *incommunicabiliter* subsistentem, incommunicabilitate nimirum essentialitatis, non verò correlationis.

CONTROVERSIA III.

An singulæ, vel omnes Personæ Divinæ unam numero Naturam creatam hypostaticè terminare, aut plures Naturæ ab eâdem personâ Divinâ terminari possint?

1. Non est difficultas *Primò*, quòd *quælibet Divinarum Personarum possit hypostaticè sibi unire naturam aliquam creatam.* Tum quia omnium est una virtus, unionis illius hypostaticæ ad extra effectrix. Tum quia cuivis est æqualis vis ad hypostaticam terminationem. Sicut ergo hypostasis Verbi infinitâ suâ virtute univit sibi Humanitatem, sic Hypostases Patris, & Spiritûs Sancti possent personaliter sibi unire naturam creatam. ex S. Thomâ *præs. q. 3. art. 5.* Neque secundò difficultas est, *quòd una persona divina possit plures creatas naturas assumere*, ex sancto Thomâ, *cit. q. 3. art. 7.* Cujus ratio est propter hypostasis divinæ etiam in terminando infinitatem. Quæ proinde ex Hypostaticâ ad unam naturam unione non coarctatur, quin alias in infinitum syncathegorematicè possit assumere. Difficultas igitur controversa est, *An plures personæ divinæ secundùm Hypostases relativas possent simul terminare unam numero naturam creatam?*

Referuntur Sententiæ.

Negant Albertus Magnus *in 3. dist. 1. art 10.* Scotus *eâdem dist. q. 2. n. 5.* Lychetus *ibidem.* Richardus *art. 1. q. 4.* Rada *in suâ 3. part. Cont. 1. a. 4. concl. 1. & 2.* inclinatq; Cardinalis Lugo *disp. 12. de Incar. n. 31.* Fundamentum primum est Scoti. Nam in omni dependentiâ essentiali unum dependens non dependet præcisè nisi ad unum, quod totaliter terminat ejus dependentiam. At in unione naturæ creatæ ad personâ divinam est dependentia essentialis naturæ, & una persona Divina *totaliter* terminat eam. Ergo hæc non potest dependere ad plures tales personas. Secundum fundamentum à Card. de Lug. *citato.* deductum est. Nam subsistentia Verbi v. g. ita terminat naturam humanam Christi, ut faciat illam subsistere in Verbo. At humanitatem subsistere in Verbi supposito, est sistere & terminari Humanitatem non quidem in se, sed in illo supposito alieno. Sicut ergo repugnat, terminari in se & in alio, sic etiam repugnat, terminari in supposito Verbi, & terminari in alio supposito Spiritûs sancti. 2. 3.

Ex opposito affirmat Alensis *3. p. q. 2. memb. 4.* Henricus *quodl. 16. q. 7.* Divus Bonaventura *in 3. dist. 5. a. 1. q. 3.* Durandus *eâdem dist. q. 2.* Ocham *ibi. q. 1. art. 3.* Gabriel *q. 1. art. 3. dub. 3.* Capreolus *cit. dist. 1. q. unicâ. art. 1. concl. 2.* Sanctus Thomas *præs. q. 3. art. 6.* Cajetanus, Sylvius, Medinâ *ibidem.* Joannes à sancto Thomâ *disp. 6. art. 3.* Petrus Labat *hic disp. 3. dub. 3.* Nazarius *art. 6. cont. 1.* Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 3. disp. 2. art. 2.* Suarez *præs. disp. 13. sect. 2.* Vasquez *disp. 20. cap. 2.* Martinon *disp. 6. sect. 4.* 4.

Conclusio.

Non implicat, personas Divinas Hypostaticè sibi unire unam numero naturam creatam. 5.

Probatur ratione Sancti Doctoris *cit. art. 6.* Nam talis divinarum Personarum est conditio, ut una non excludat aliam à communione ejusdem naturæ, sed solùm à communione ejusdem personæ. At in Mysterio Incarnationis tota ratio facti est potentia facientis. Ex S. Augustino *Epist. ad Volusian.* Vnde circa hoc Mysterium magis est judicandum secundùm conditionem Divinæ personæ assumentis, quàm secundùm conditionē naturæ Humanæ assumptæ. Non est igitur impossibile, duæ quòd vel tres Personæ Divinæ assumant unam Naturam Humanam.

6. Respondebis ex Scoto *citato.* Istius triplicis unionis implicantiam in eo se tenere, quòd impossibile sit, unam naturam creatam *totaliter* dependere, dependentiâ ejusdem rationis ad plures personas: hinc enim sequi, quòd talis natura Essentialiter dependeret à personâ v. g. Verbi, ut à causâ subsistendi, imò secundùm Thomistas etiam existendi. Quo tamen Verbo non unito, nihilominùs foret, ut natura illa subsisteret ac existeret per hypostasin Patris. At in terminis implicare, quòd natura à personâ Verbi in subsistendo ac existendo essentialiter

liter dependens, subsisteret ac existeret sine Verbo Hypostaticè sibi unito.

7. Contra. Nam in personæ Verbi simplicissimo conceptu objectivo importatur, tum ratio *esse subsistentis*, tum ratio correlationis ad Patrem. At Persona Verbi secundùm rationem correlationis *esse subsistens Transcendentaliter* importantis eatenùs distinguitur ab Hypostasi Patris, ut ipsa tamen *Esse subsistentis* formalitas non tantùm à parte rei, sed *secundùm nostros etiam objectivè præcisivos conceptus* sit omnimodè una in Patre & Filio. Unde negandum est, naturam creatam, hypostasibus Patris & Filii *substantialiter* terminatam, pendere ab istis tanquam pluribus *in ratione subsistendi ac existendi* formalitatibus, licèt pendeat ab istis quà pluribus in ratione correlationis seu oppositionis relativæ. Etsi proinde illa natura in *subsistendo ac existendo* eatenùs penderet à Verbo, ut hoc etiam non unito natura ejusmodi per hypostasin Patris esset subsistens ac existens: nihilominus ratio subsistendi ac existendi non alia per hypostasin Patris, quàm per Hypostasin Verbi communicaretur illi naturæ, tametsi alia hypo-

8. staticæ correlationis formalitas huic conveniret per unionem cum Patre, & alia per unionem cum Verbo.

Replicabis. Implicare ex mente Angelici Doctoris *cit. art. 6. in fine.* quòd natura humana per Hypostasin propriam terminata hypostaticè uniretur personæ divinæ. At in hâc *eminenter* contineri totam subsistendi rationem, in existentem subsistentiæ Humanitatis propriæ. Etsi proinde prima Patris hypostasis idem *Esse subsistens* haberet cum Verbo, necdum apparere, quomodò natura per Hypostasin Verbi in

9. ratione subsistendi terminata, posset adhuc uniri personæ Patris.

Contra. Nam implicantia, cur *natura Humana per hypostasin propriam terminata non possit hypostaticè uniri personæ Divinæ*, in eo se tenet, quòd idem non possit habere duas causas totales, in eodem genere causandi. At ex eo, quòd Hypostasis divina *eminenter* contineat subsistentiam humanæ naturæ propriam, non impeditur, quò minùs ista in formalitate etiam subsistendi sit alia ab Hypostasi divinâ. Unde natura humana per hypostasin propriam terminata, si posset *hypostaticè* uniri personæ divinæ, consequenter *in eodem genere causandi*, id est *in ratione subsistendi* pendere posset à duabus causis totalibus. At eo ipso, quòd in Patre & Filio sit una subsistendi ratio, importans suppositorum condistinctionem non sub formalitate *subsistentiæ ut sic*, sed sub *formalitate correlationis*, seu *oppositionis relativæ*, sequitur, naturam humanam Hypostasi Verbi terminatam, si adhuc personæ Patris *hypostaticè* uniretur non in ratione *subsistendi* ac *existendi*, sed sub *ratione correlationum* pendere à duabus causis Totalibus. Hæc autem correlationum diversitas importat differentiã, non in ordine ad subjectum aliquod, sed propter oppositionẽ relativam sunt se ipsis distinctæ formalitates. Unde Humanitas per diversas Divinas personas *hypostaticè* terminata non penderet *in eodem genere causandi* à duabus causis totalibus. Patet proindè, implicantiæ rationem à Scoto deductam facere ad demonstrandã impossibilitatem hypostaticæ Verbi cum naturâ humanâ per propriam subsistentiam terminatâ vnionis, non autem duarum Divinarum personarum ad unam naturam creatam terminationis personalis. 10.

Responsio ad opposita Argumenta.

AD primum ex Scoto oppositum Fundamentum Respondetur. In unione naturæ creatæ ad personam divinam reperiri essentialem ab hâc dependentiam: tum quòd natura creata *essentialiter* exigat subsistentiam, quam suppleat Divina Hypostasis, tum quòd natura creata, quà subsistens ac existens *Essentialiter* includat subsistentiam, ac Existentiam sibi ex hypostaticâ unione *Formaliter* communicatam à personâ divinâ. In hac verò naturæ creatæ pluribus personis Divinis *Hypostaticè* unitæ dependentiâ non esse nisi unicum *Esse subsistens*, à quò illa natura *Essentialiter* dependeat, licèt sint plures correlationes hypostaticæ *Esse Dei subsistens* transcendentaliter importantes: ut adeò in *ratione subsistendi* ac *existendi* natura illa dependeat à pluribus, non in uno, sed in diverso genere causandi: siquidem ex vi Hypostasis paternæ natura illa haberet relationem Patris ad Filium; ex vi autem hypostasis Verbi, sub uno tamen 11.
simplicissimo esse subsistente haberet relationem Filij ad Patrem.

Ad secundum ex Card. de Lugo oppositum Fundamentum Respondetur. Eo probari solùm, quòd natura creata non possit subsistere in duobus suppositis, habentibus diversas subsistendi formalitates: secùs verò esse, si duo, velut in Divinis, sint supposita *secundùm correlationis oppositionem* eatenus distincta, ut ejusmodi tamen distinctæ relationes communicent in unò simplicissimo *Esse subsistente.*

CONTROVERSIA IV.

An Deus sub ratione vitæ, vel alterius perfectionis, aut formalitatis posset uniri naturæ creatæ?

FRanciscus Amicus *præf. disp. 16. à n. 151.* docet *Primò*, implicare, Deum uniri Creaturæ, sub ratione vitæ actualis intelligentis. Fundamentum est. Nam uniri Deum sub 1.
ratione vitæ intelligentis est, conferre naturæ *formaliter* talis vitæ effectum. Hic autem formalis vitæ effectus est, constituere subjectum actu vivens ac intelligens. At vita intellectiva actualis est *Essentialiter* activa tendentia ipsius in objectum intelligibile. Ejusmodi autem tendentia est *Essentialiter* alligata ad suum principium *Immanenter* operativum: nec adeò est alteri communicabilis. Implicat ergo, actualem Dei intellectualem vitam communicari creatæ Naturæ.

Secundò Amicus *citatus* docet, implicare, Deum uniri creaturæ sub ratione immensitatis. Fundamentum est. Nam effectus formalis Immensitatis est, vel actu esse in infinito spatio imaginario, vel saltem posse esse absque sui mutatione in omni loco reali possibili. Hoc autem supponit substantiam actu infinitam. At nulla dabilis est Creatura infinitæ substantiæ. Deinde effectus formalis æternitatis increatæ est, habere pepetuum *Esse*, ab omni prorsus mutatione immune. At Creatura eo ipso, quòd creatura 2.

 sit, est

sit, est mutabilis, atque adeò æternitatis incapax.

3. *Tertiò* Author *prasllegatus n. 155.* duplicem modum, quo Deus posset sub ratione omnipotentiæ *formaliter* uniri Creaturæ, distinguens, docet, primum modum in eo situm esse, quòd, sicut Anima facit cum corpore unum in ratione naturæ, sic omnipotentia cum Creaturâ redderet totum compositum Omnipotens. At implicare, Deum uniri Creaturæ in ratione Naturæ, vel ut subjectum informabile, vel ut formam informantem: utrumque enim importare mutabilitatem. Secundum verò modum in eo, quòd Deus in ratione Omnipotentiæ posset uniri creaturæ, in eo se tenere, quatenùs suam omnipotentiam *Intrinsecè* uniret creaturæ, cum expresso decreto concurrendi ad omne id, ad quod Creatura voluerit. Hunc verò modum non implicare. Fundamentum est. Nam sicút potuit Verbum sub ratione subsistentiæ *immediatè* uniri Humanitati, ita posset Deus sub ratione Omnipotentiæ *intrinsecè* uniri Creaturæ.

4. Cardinalis de Lugo *disp. 8. de Incarn. sect. 1. n. 17.* simpliciter negat, attributa divina in ordine ad suum effectum formalem, posse communicari Naturæ creatæ. Fundamentum est. Nam substantia creata solùm potuit *substantialiter* uniri in ordine ad hoc, quod sibi defecit de complemento substantiali. At, licèt substantia creata sit completa in ordine ad præsentiam localem, durationem &c. hoc tamen incomplementũ non est substantiale, sed accidentale: & in ordine ad complementum accidentale: Natura enim Humana v.g. jam præsupponitur *substantialiter* in omnibus completa, priùs quàm in ratione subsistentis. Cùm ergò omnia divina attributa sint substantialia, non possunt respectu Humanitatis supplere id, ad quod humanitas non est incompleta *substantialiter*, sed solùm *accidentaliter*.

Conclusio I.

5. Vita Dei intellectualis potest creatæ intelligentiæ uniri sub ratione formæ tam *Virtualiter* & *Causaliter*, quàm *formaliter* & *actualiter* intelligibilis, non autem sub ratione vitæ vel actualis, vel etiam potentialis.

Probatur. Nam Intellectio Divina est ipsum *Esse Dei subsistens* sub actualissimæ veritatis ratione, sui, omnisque sibi *Formaliter*, aut *Eminenter* inexistentis veritatis *actualiter* expressivum. Hæc autem veritatis in *Esse purissimo subsistentis* expressio per modum formæ *Virtualiter* intelligibilis unitur creato intellectui, mediante Lumine gloriæ; per modum autem formæ *actualiter*, & *formaliter* intelligibilis unitur intelligentiæ creatæ, mediante visione Beatificâ. At verò in hâc visione distingui debent tum vitalis in Essentiam Divinam, quâ Verbum sui ipsius *actualiter* expressivum tendentia, tum ipsum Verbum Dei Increatum. Implicat autem, Intellectum creatum tendere *Virtualiter* in hoc Dei Verbum, nisi mediante actione per se elicitâ. Nequit ergò Intellectio Divina sub ratione actualis vitæ, seu tendentiæ vitalis uniri creato intellectui. Deinde nequit potentia vitalis esse, nisi quà *Immanenter* operativa. At potentia substantiæ *Immanenter* operativa debet substantiæ ejusmodi esse *physicè* unita. Tota autem virtus seu potentia intellectrix (si quæ in Deo intelligi posset) esset *formalissimè* Natura Divina. At non est intelligibilis immediata Naturæ Divinæ unio cum creatâ intellectrice substantiâ. Ergo non est intelligibilis cum Naturâ humanâ unio Deitatis sub ratione vitæ. seu virtutis Intellectricis. Constat igitur, Intellectionem Divinam esse creato intellectui unibilem sub ratione formæ *virtualiter* & *Causaliter*, vel etiam *formaliter* & *actualiter* intelligibilis, non autem sub ratione vitæ sive actualis, sive potentialis. 6.

Conclusio II.

Æternitas Dei communicatur Christi Humanitati quoad *Esse* actualis existentiæ, non verò quoad Entitatem Essentiæ. 7.

Probatur. Nam in Christo duo sunt consideranda. Alterũ est Entitas Humanitatis terminans actionem sui conservatricem. Ut sic autem Humanitas mortalitatem jam exuta, mensuratur æternitate participatâ fundatâ super actione ejusdem Humanitatis conservatrice. At verò ista actio terminatur ad Entitatem Humanitatis, habentis ex se ipsâ potentialitatem *intrinsecè* determinatam ad existentiæ actualitatem. Ista verò existentiæ actualitas in Christo suppletur per Increatam Verbi Existentiam *Hypostaticè* unitam humanitati. Hæc igitur in se ipsâ quoad intrinsecam Entitatem, ac essentiam suam spectata substat actioni creatæ, participatâ duntaxat æternitate mensuratæ. Nequit ergò æternitas Dei absoluta intellig communicata Humanæ Christi Naturæ, *quoad Esse Essentiæ*, utpote ut sic involventi potentialitatem, mediante actione creatâ Verbi unitivâ determinabilem ad *Esse* actualis Verbi existentiæ.

Alterum proinde in Christi Humanitate est ipsum *Esse* actualis existentiæ. Hæc autem est Increata Dei existentia in Verbi hypostasi *Transcendentaliter* importata, & ut sic per unionem hypostaticam *formaliter* communicata Humanæ Christi Naturæ. At per se patet, istam Increatam Verbi existentiam mensurari æternitate absolutâ. Ergò Humanitas Christi habet sibi *formaliter* communicatam æternitatem Dei absolutam, ita quidem, ut ista sit mensurans actum existendi in Christo, non verò hujus existentiæ Communicationem, siquidem ista importet actionem creatam, non nisi participatâ æternitate mensuratam. 8.

Conclusio III.

Immensitas non est *formaliter* communicabilis seu unibilis Naturæ alicui creatæ.

Probatur. Immensitas enim consistit in infinitâ vi illabendi in omnes creaturas possibiles. At ista vis illabendi à parte rei *formaliter* importat Omnipotentiam, nec ab istâ distinguitur, nisi secundùm rationem ratiocinatam. Vis autem 9.

tem

tem & potentia operativa est secundùm Naturam. Sicut ergo impossibilis est Naturarum Divinæ & creatæ unio in Naturâ, sed Hypostasi duntaxat, sic non videtur possibilis substantialis unio immensitatis Divinæ ad Naturam creatâ.

10. Neq; dicas; Humanitati secundùm potentiam obedientialem spectatæ communicari posse vim quandam instrumentalem, in omnes possibiles creaturas per operationem ex se emanantem

11. illabendi. Nam contra est. Tum quia illapsus per actionem creativam est solius Dei proprius, adeò ut ne quidem *instrumentaliter* per Dei absolutam potentiam competere possit creaturæ, uti *in* 1. *tom. q.* 8. *a.* 1. *conc.* 3. demonstratum est. Tum quia posito, omnem etiam possibilem creaturam esse producibilem mediante actione aliquâ potentialitati immersâ, nec adeò strictè creativâ; vis tamen creata per actionem potentialitati immersam in omnes etiam possibiles creaturas illabendi, esset instrumentalis, Divinæ voluntatis omnipotentiæ eatenus subordinata, ut non nisi per præviam hujus motionem posset operari, seu illabi in creaturas. Ergo talis vis non deberet dici ex se *simpliciter* determinata ad illabendum in creaturas, sed per divinæ potentiæ motionem determinabilis ad illapsum ejusmodi.

Conclusio IV.

12. Omnipotentia Divina saltem *Intrinsecè* spectata non est unibilis, seu *formaliter* communicabilis Creaturæ,

Probatur. Nam Omnipotentia *intrinsecè* spectata est ipsa vis creativa. At eo ipso, quòd vis creativæ effectus sit proprius *Esse*, oportet, ejus actionē esse *formaliter* specificatam per *Esse*. Nequit autem actio *formaliter* esse specificata per *Esse*, nisi ejus essentia sit *Esse*. Entitas verò, cujus Essentia est *Esse*, est *formaliter* Essentia Divina. Atqui actio, cui convenit *formaliter*, esse Divinam Essentiam, non potest nisi Naturæ Divinæ competere. Nequit autem Natura Divina sub Naturæ, atque adeò substantialis operativi Principij formalitate uniri Naturæ creatæ. Ergo neque vis Dei creativa est creaturæ *formaliter* communicabilis, seu *substantialiter* unibilis.

13. Deinde Omnipotentia Divina *Extrinsecè* consideratur cum ordine ad omnes per ipsam factibiles creaturas. At verò non est intelligibile, qualiter possibilis sit vis aliqua creaturæ impressa, eatenus unita divinæ Omnipotentiæ, ut hanc trahere valeat ad quoslibet effectus factibiles: quin potiùs vis ejusmodi hoc ipso, quòd creata sit, immersa sit potentialitati, non nisi per actualitatem ex Divinæ voluntatis potentiâ emanantem determinabilis, uti *præced. conclus.* dictum est.

Responsio ad argumenta *à n.* 1. proposita.

14. Ad *Primum* Amici argumentum Respondetur. Illud adhuc pati instantiam. Nam Hypostasis Verbi per suam quidditatē est *formaliter* subsistentia Naturæ Divinæ, cui per se non *in primo* duntaxat, sed *quarto etiam perseitatis modo* est *essentialiter* alligata, & tamen per suam infinitatem eatenùs est terminativa Hypostaticæ Naturæ Divinæ, ut possit Naturæ quoque creatæ suam hypostaticę terminationis actualitatē *formaliter* communicare. Cur ergo repugnet, actualem intellectionis Divinæ vitam *essentialiter* alligatam ad Intellectum Dei, posse Intellectui etiam creato suam actualitatem mediante actione creatâ *formaliter* communicare? Ad cujus proinde solutionem dici debet, in actuali Intellectionis vitâ esse tria consideranda. Primum est, quòd 15. talis vita debeat in ratione operationis esse vel radicata in substantiâ vivente tanquàm principio intrinseco, vel debeat in illâ esse prima radix operativa. Secundum est, quòd sit actus principij intellectivi *intrinsecè* ac *formaliter* perfectivus. Tertium denique est, quòd sit actus objecti expressivus ac repræsentativus. At hoc tertium, mediante supernaturali visionis Beatificæ actione est communicabile creato intellectui lumine gloriæ illustrato. Circa primum autem ac secundum dici debet, quòd repugnet, actualem Divinæ intellectionis vitam communicari creato intellectui. Probatur istud assumptum. Tum quia per se notum est, vitam & intellectionem Divinam in se purissimè subsistentem non posse radicari in creato intellectu, neq; 16. huic posse fieri primam operandi radicem, nisi dicere velimus, quandam in Naturâ seu primo operandi principio fieri unionem. Tum quia Intellectûs creati per divinam intellectionem, ceu actum *intrinsecè* perfectivum actuatio importaret unionem, non purè terminativam, sed informativam: libenter enim damus, divinam intellectionem tanquàm terminum, mediante actione per creatum lumine gloriæ illustratum Intellectū *vitaliter* elicitâ posse huic uniri, ad formalem Intelligentis effectum ipsi communicandum. Si ergò præter istam unionem alia foret possibilis, non posset esse nisi informativa. At exinde sequeretur, Divinæ Intellectionis actum comparari ad Intellectum creatum, ad instar formæ receptibilis. Hoc autem pugnat cum ratione actûs puri. Nequit ergo Divina Intellectio uniri intellectui creato ad formalem suum effectum huic communicandum, nisi per modum termini intelligibilis.

Ad *secundum* Amici Argumentum Respondetur. In præsenti non tam esse difficultatem dè 17. possibilitate substantiæ creatæ, cui ab intrinseco competeret æternitas, vel immensitas, quàm de possibilitate unionis, per quam æternitas, ac immensitas Deo intrinseca se *formaliter* communicaret creaturæ, secundùm potentiam obedientialem spectatæ. Circa quod proinde *concl.* 2. ostendimus, non posse quidem fieri, ut æternitatis Divinæ effectus formalis communicaretur creaturæ quoad *Essentiam* in statu reali & physico spectatæ, licèt eidem *quoad existentiam* consideratæ possit se *formaliter* communicare Increata Dei existentia; sicuti de facto accidit in Humanitate Christi. Deinde *concl.* 3. probavimus, Immensitatem Divinam non posse *formaliter* communicari Naturæ creatæ, nisi fiat unio in 18. Naturâ. At creaturæ cum Deo unio in naturâ repugnat eo ipso, quòd, si Natura creata sit completa, nō sit in ratione naturæ perfectibilis, si verò sit incompleta, non possit intelligi actuabilis, nisi mediante formæ actuantis receptione. Hoc autem pugnat cum ratione actûs Puri. Sicut ergò Deo repugnat, in naturâ uniri cum creaturâ, sic impossibile est, immensitatem Dei for-

malem suum effectum communicare Naturæ creatæ.

19. Ad Amici *tertium* Argumentum Respondetur. Non posse intelligi, qualiter Omnipotentia non per unionem in Naturâ, sed unione causalitatis communicetur Naturæ creatæ; nisi mediante instrumentali huic impressâ motione, per quam Omnipotentia Naturæ ejusmodi jungatur in unitatem Causæ. At unionem ejusmodi eatenus repugnare, ut Omnipotentia saltem *intensivè* non posset etiam sub ratione Causæ se totaliter & adæquatè unire naturæ creatæ: uti *concl. 4.* ostensum est.

20. Ad Cardinalis de Lugo *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Id nobis omninò probari, posseque modo sequenti explicari. Nam alia Dei attributa radicantur super Esse subsistens, ejusmodi verò sunt æternitas, Infinitas, & Sanctitas seu Essendi Puritas. At eo ipso, quòd Humanitas Christi *quoad rationem existendi ac subsistendi*, sit in potentiâ, eatenus est per Hypostasin Verbi actuabilis, ut ipsi per unionem Verbi *formaliter* communicetur *Esse* existentiæ, ac subsistentiæ, & consequenter ratio æternitatis, sanctitatis, Infinitatis &c. Ita tamen, ut istæ formalitates *immediatè* ac *per se* non afficiant essentiam Humanitatis in statu reali & physico spectatæ, sed hujus Esse existentiæ.

21. Deinde alia attributa radicantur super operari Divino, cujusmodi sunt Omnipotentia, Immensitas, sapientia &c. Est autem operari Divinum *formalissimè* Natura Dei. Unde attributorum super *Operari* divino radicatorum unio argueret unionem in Naturâ. At eo ipso, quòd Natura creata sit completa, non est unibilis cum Deo, nisi in ratione Existentis, ac subsistentis duntaxat. Ergo attributa Dei super *operari* divino radicata non possunt creaturæ uniri ad suum formalem effectum hujc communicandum.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA V.

Utrùm creata subsistentia per Dei absolutam Potentiam posset terminare alienam Naturam?

1. Scotus *in 3. dist. 1. q. 4. n. 3.* Lycherus *ibi.* Gabriel *q. 2. ar. 3. du. 5.* Marsilius *q. 2. ar. 3 post 2. dub. coroll.* inclinant in partem affirmativâ, quam simpliciter asserunt Ocham; *n. 3. dist. 1. q. 1. dub. ultimo ad 13.* Bassolis *dist. 1. q. 6.* Major *q. 5. concl. 2.* Ysambertus *ad præs. q. 3. disp. 1. a. 1.* Mæratius *præs. disp. 17. sect. 3.* Fundamentum ab Ysamberto deductum est. Nam personalitas, seu subsistentia creata est magis adæquata propriæ suæ substantiæ *Totaliter* terminandæ ac complendæ in ratione subsistentis, quàm subsistentia Increata Verbi Divini sit adæquata toti divinæ Essentiæ *Totaliter* terminandæ ac cõplendæ in ratione subsistentis, quia subsistentia Verbi divini tantummodò terminat, ac complet Divinam Essentiâ in ratione subsistentis in *Esse* Filij, præter quod *Esse Filij* Divina essentia ratione suæ infinitatis postulat duas alias subsistentias, Patris scilicet & Spiritûs Sancti, ratione quarum constituitur subsistens in *Esse Patris*, & etiam subsistens in *Esse Spiritus Sancti:* subsistentia verò creata terminat & complet *totaliter* & *adæquatè* propriam suam substantiam. Atqui personalitas Verbi divini non obstante illâ inadæquatâ terminatione, & completione Divinæ Essentiæ in ratione subsistentis in *Esse filij*, potest adhuc extraordinariè aliquam creatam substantiam terminare & complere *Hypostaticè*, ut patet in Mysterio Incarnationis. Ergo pari jure personalitas creata, quæ habet vim sufficientem terminandi *adæquatè* & *totaliter* propriam suam substantiam creatâ, habebit etiam, ut per potentiam absolutam possit complere ac terminare *Hypostaticè* alienam substantiam creatam. 2.

Durandus *in 3. dist. 1. q. 5* Aureolus *q. 3. ar. 3.* Argentinas *q. 1. art. 1.* Paludan. *q. 1. ar. 2.* Henricus *quodl. 11. q. 10.* Sotus *in 4. dist 9. q. 2. art. 2.* Cajetanus *in 3. p. q. 3. art. 1. §. præterea.* Medina *ibidem.* Nazarius *ibi. conl. 1.* Alvarez *disp. 1.* Labat *disp. 3. de incarn. dub. 1. §. 1.* Joannes à S. Thomâ *disp. 6. art 1.* Suarez *disp 13. sect. 4.* Vasquez *disp. 25. cap. 2.* Card. de Lugo *disp. 12. sect. 7 n. 8.* Martinon *disp. 6. sect. 1. n. 3.* Amicus *disp 14. n. 16.* negant; fieri posse per absolutam Dei potentiam, ut subsistentia creata *Hypostaticè* terminet alienam naturam. Fundamentum desumitur ex S. Thomâ *3. p. q. 3. ar. 1. ad 2.* asserente, proprium esse personæ Divinæ propter ejus infinitatem, ut in eâ fiat concursus Naturarum secundùm subsistentiam.

CONCLUSIO.

Cum implicet, Personam creatam, non autem Increatam *Hypostaticè* terminare alienam naturam, ratio hujus efficaciter desumitur ex eo, quòd Increata, non vero creata Hypostasis sit infinita. 3.

Probatur. Nam ex eo, quòd Hypostasis Increata in ratione subsistentiæ infinita sit, continet *Eminenter* perfectionem omnium creabilium subsistentiarum. At per istam eminentiæ continentiam, per identitatem realem non ita alligatur Naturæ divinæ, quin supplere possit creatas Hypostases, suumque adeò formalem quasi effectum, mediante actione ad extra transeunte, communicare naturis in infinitum creabilibus. Econtra per suam in *ratione subsistentiæ* limitationem essentialem quælibet creata hypostasis est terminata ad hanc numero naturam, in quâ radicatur, tanquàm Hæcceitas & individuatio ipsius positiva, atque completa. At eo ipso, quòd Deus mutare non possit rerum essentias, implicat, Hypostasin *essentialiter* determinatam ad hanc numero naturam, esse alterius naturæ *Hypostaticè* terminativam, atque communicativam formalis supposítandi effectûs. 4.

5. Probatur istud assumptum. Nequit enim per formam fieri communicatio effectûs alicujus formalis, nisi ipsammet suam formalitatem intrinsecè communicando. At eo ipso, quòd quælibet creata Hypostasis per suam limitationem *essentialiter* sit determinata ad hanc numero naturam, sequitur, creatam hypostasin non habere formalitatem subsistentiæ, nisi respectu naturæ suæ propriæ, in quâ radicatur. Ergo nequit formalem subsistendi effectum alteri naturæ communicare.

6. Dices ex Ysamberto *cita. disp. 1. art. 2. ad 1.* Illam disparitatis rationem ex divinæ Hypostasis infinitate, ac limitatione subsistentiæ creatæ petitam,

petitam non concludere. Probatur. Nam sicut finitas, & limitatio subsistentiæ creatæ in faciendo subsistere, adæquatur, & completur per id, quod præstat propriæ suæ substantiæ, sic etiam infinitas, quæ inest divinæ personalitati Verbi, adæquatur, & completur per id, quod in subsistendo præstat ipsi Divinæ Naturæ. Ergò quemadmodum hoc non obstante, subsistentia Verbi divini potest terminare, & complere *hypostaticè* plures alias subsistentias creatas: ita servatâ proportione, subsistentia quoque creata non obstante suâ finitate, secundùm quam terminat *Hypostaticè* propriam suam substantiam, non desinet adhuc posse de absolutâ Dei potentiâ, aliquam creatam substantiam à propriâ distinctam *Hypostaticè* terminare.

7. Contra. Nam eo ipso, quòd subsistentia Increata Verbi adæquetur Naturæ Divinæ, sequitur, ipsam *Eminenter* continere hypostases omnium illarum Naturarum, quæ sub formali etiam essendi ratione *Eminenter* continentur in Naturâ Divinâ. At in hâc indubitatum est, contineri *Eminenter* omnes creatarum Naturarum species, non tantùm sub Taleitate specificâ, sed sub formali Essendi ratione, adeò ut effectus Dei proprius in omni creatâ specie sit *Esse*.

8. Econtra subsistentia creata eo ipso, quòd adæquetur Naturæ suæ propriæ, nequit *Eminenter* in se continere Hypostases aliarum naturarum, nisi istæ *Emminenter* essent contentæ in Naturâ illius subsistentiæ propriâ. At eo ipso, quòd Naturæ creatæ sint limitatæ, non potest una species sub ratione præsertim essendi *Eminenter* continere alias. Eo ipso autem, quòd hypostasis creata respectu alienæ Naturæ non contineat *Eminenter* rationem subsistendi, nequit hunc formalem effectum communicare alteri Naturæ. Constat igitur, subsistentiæ creatæ cum suâ propriâ, non autem divinæ Hypostasis cum Naturâ Dei adæquationem impedire, quò minùs illa, non verò ista possit *Hypostaticè* terminare alienam Naturam.

9. Replicabis ex Ysamberto *citato ad* 2. Eminentialem aliarum subsistentiarum continentiam nihil ad hoc facere, ut Hypostasis aliqua alienæ Naturæ possit esse terminativa. Probatur. Tum quia personalitas Divina propriè in se non continet *Eminenter* omnes subsistentias creatas: Hæc enim continentia eminentialis propriè reperitur tantùm in Causâ effectrice: Divinæ autem Personalitates *præcisè* sumptæ non sunt activæ ad extra. Tum quia Natura aliqua creata superior; v. g. solis continet *Eminenter* plures species corporum sublunarium, utpote vi suorum influxuum effectibiles. Si ergò ex eo, quòd Natura Divina sit *Eminenter* continens creatarum specierum subsistentias & naturas, habeat vim Eminentialem terminandi Naturas creatas, consequens erit, Solis quoque hypostasin *eminenter* continere in se subsistentias quorundam corporum sublunarium, posseque adeò horum Naturas *Hypostaticè* terminare.

10. Contra. Nulla enim Natura species creatas sub formali *Essendi* ratione *Eminenter* continet, nisi cujus forma est *Esse*. At solius Naturæ Divinæ proprium est, quòd ipsius essentia sit subsistens *Esse*. Unde effectus Dei proprius in creaturis est *Esse*. ex S. Thomâ *1. p. q. 8. art. 1.* Econtra Natura creata inferiorum corporum effectrix, ex vi suæ causalitatis *in quarto perseitatis modo* non producit *Esse* ut sic, sed Taleitatem *Essendi*. Velut ipsemet etiam Scotus fatetur. At natura est *Eminenter* continens illam effectûs sui formalitatem, per quam ex vi suæ causalitatis *in Quarto perseitatis modo* est effectrix. Nequit ergò Natura creata inferiorum corporum effectrix, sub formali *Essendi* ratione effectus ejusmodi in se *Eminenter* continere. Atqui ratio subsistendi pertinet *formaliter* ad lineam Essendi ut sic. Ergo Natura creata, atque adeò hypostasis in eâ radicata nequit *Eminenter* continere aliarum Naturarum subsistendi formalitates. At verò per se notum est, hypostasin non posse formalem subsistendi effectum *intrinsecè* communicare Naturæ alicui, nisi respectu hujus habeat intrinsecam subsistentiæ formalitatem. Implicat igitur, subsistentiam sub formali subsistentiæ ratione Naturæ suæ propriæ adæquatam, nec subsistentiarum aliarum *Eminenter* contentivam communicare Naturæ alienæ formalem subsistendi effectum. 11.

Econtra verò personalitates divinæ non sunt adeò præscindibiles, quin *Esse* Dei subsistens *Formaliter* ac *Transcendentaliter* includant. At istud *Esse* subsistens eatenus est radicale in Deo principium omnis ad extra effectûs sub formali *Essendi* ratione effectivum, ut consequenter contineat *Eminenter* omnes creatas Naturas, earumque hypostases. Ergo personalitates divinæ etiam *præcisè* sumptæ *quoad* Esse *formaliter* important formalitatem *Eminenter* præcontentivam omnis creatæ hypostasis. Cur igitur Divina, non autem creata hypostasis possit alienæ Naturæ *Personaliter* esse terminativa, hujus ratio rectè desumi potest ex Eminentiali aliarum subsistentiarum in se continentiâ, atque adeò ex Personalitatis Increatæ infinitate, & creatæ econtra finitate, & ad hanc numero naturam limitatione intrinsecâ & essentiali. 12.

Ad Ysamberti in initio oppositum Fundamentum.

Respondetur negando majorem. Falsum enim est, quòd subsistentia creata propriæ suæ substantiæ, *in ratione subsistentis* complendæ magis sit adæquata, quàm subsistentia Increata Verbi divini. Etenim in hac considerari debet tùm ratio *Esse* subsistentis; tum ratio correlationis ab *Esse* subsistente *objectivè* inpræscindibilis. At subsistentia Verbi divini licèt *in ratione correlationis* non sit adæquata Essentiæ Divinæ, siquidem ista per suam infinitatem fundet triplicem personarum correlationem; hæ tamen *in ratione subsistentis* dicunt *unum* simplicissimum *Esse* subsistens in quâlibet divinarum hypostasum *Transcendentaliter* importatum. Undè Verbi Divini personalitas in *ratione subsistentis* æquè est adæquata Deitati ac omnes tres Divinæ hypostases *collectim* consideratæ. 13.

14. At verò ex Personalitatis Verbi ad Naturam Divinam adæquatione arguitur ejus *in subsistendo* infinitas, ejusque adeò Eminentialis omnium creatarum Hypostasum continentia. Econtra verò hypostasis creatæ ad Naturam propriam adæquatio importat determinationem essentialem ad naturam ex ratione suâ specificâ *in Essendo* finitam. Ex hâc autem limitatione fit, Hypostasin Naturæ creatæ propriam non esse

Eminenter contentivam formalitatis, per quam aliæ Naturæ possint constitui *formaliter* subsistentes. Constat igitur, subsistentiæ creatæ cum Naturâ suâ adæquationem obstare, quò minùs alijs naturis formalem subsistendi effectum communicare valeat.

COROLLARIUM I.

An, si una Persona Divina assumeret tres Humanitates, dicendus esset unus Homo; & econtra, si tres personæ Divinæ assumerent unam Humanitatem, dici deberent tres homines?

1. INfertur *primò*. In casu priori dicendum fore unum Hominem, ex S. Thomâ *præs. q. 3. art. 7. ad 2.* contra Scotum *in 3. dist. q. 3.* & Lychetum *ibi. n. 4.* Ratio est. Quando enim nomina numeralia applicantur terminis substantivis, utrumque significatum tam formale, quàm materiale multiplicat. Veluti Petrus Labat *præs. disp. 3. dub. 3. §. 2.* probat ex S. Thomâ *1. p. q. 39 art. 3.* At ex parte Materialis, scilicet suppositi, in illo casu esset unitas, licèt ex parte formalis scilicet Humanæ naturæ per *ly homo* significatæ foret unitas. Dici ergo deberet unus homo; sicuti unus dicitur artifex propter suppositi unitatem, licèt pluribus artibus sit informatus.

2. Infertur *secundò*. In casu etiam posteriori dicendum fore unum hominem, ex Joanne à sancto Thomâ *præs. disp. 6. art. 3. n. 18.* contra Cajetanum *hic q. 3. art. 6. in fine commentarij* existimantem, fore *Simpliciter* plures homines, & unum *Secundum quid.* Ratio nostræ illationis est. Nam *ly unus masculinè* sumptum cadit quidem super hypostasin, seu suppositum. Unde tres Personæ Divinæ, licèt in genere neutro possint dici unum, non tamen possint *masculinè* dici unus.

3. Nihilominùs si *Tò unus* nō *absolutè* sumatur, sed *cum addito* alicujus concreti substantivi, importat formam, tanquā formale significatū. Hinc tres personæ Divinæ, licèt *absolutè* nō dicantur unus, cum *addito* tamen dici debent unus Deus. At verò tres personæ Divinæ assumentes unam numero Humanitatem, ita manerent distinctæ in ratione Hypostasum, ut tamen sub prædicto *ly homo* intelligerentur communicare in unâ formâ, seu Naturâ humanâ. Ergo propter hujus formæ unitatem dicerentur unus homo, maximè cùm nomina numeralia terminis substantivis applicata non multiplicentur, nisi tam ex *parte significati formalis*, quàm *materialis* fiat multiplicatio.

COROLLARIUM II.

Qualiter Pater & Spiritus Sanctus sint per *Concomitantiam* in Christi Humanitate?

4. INfertur. Patrem, & Spiritum sanctum esse in Christi Humanitate *per Concomitantiam*, non tantùm ratione immensitatis, seu operationis, sed speciali modo, *mediatè* per Naturam, & *immediatè* per Esse subsistens. Est contra Radam *in suâ 3. p. cont. 1.* traditurque à Doctoribus relatis à Nazario *præs. q. 3. art. 4. cont. unicâ*, & Amico *disp. 14. sect. 2. n. 11.* Ratio est. Nam *primò* ratione immensitatis & operationis inexistit Humanitati Christi Deus, quatenus per actionem Verbi unitivam receptam in Humanâ Naturâ, huic *intimè* illabitur, tanquàm Causa effectrix Humanitatis, non quidem *secundùm Essentiam* in statu etiam physico spectatæ, sed *quoad statum existentiæ* per illam actionem communicatæ. 5.

Secundò ex vi hujus actionis unitivæ *per se formaliter in quarto perseitatis modo* Humanitati Christi inexistit illa Divina hypostasis, quam actio ejusmodi per suam quidditatem respicit tanquàm terminum, ex vi illius *formaliter* communicatum Humanitati. Atqui ista Hypostasis est solius Verbi, non autem Patris, ac Spiritûs sancti. 6.

Nihilominùs *tertiò* in hâc ipsâ Hypostasi Verbi *Transcendentaliter* importatur purissima actualitas *Esse* subsistentis. Unde actio Verbi unitiva terminatur ad Verbi hypostasin, prout ista *formalissimè* importat *Esse* subsistens, ex vi illius actionis *in Quarto Perseitatis modo* communicatum Humanitati. At verò istud ipsissimum in hypostasi Verbi importatum subsistens *Esse formalissimè* ac *transcendentaliter* est etiam in hypostasibus Patris ac Spiritûs sancti, adeò ut istæ non *quoad Esse subsistens* ut sic, sed *quoad correlationem* istud esse subsistens *Transcendentaliter* includentem sint distinctæ à subsistentiâ Verbi. 7.

Quare hypostases Patris & Spiritûs sancti *quoad esse correlationis*, non quidem *per se* ex vi actionis unitivæ *formaliter*, sed propter transcendentalem *Esse subsistentis* inclusionem *Concomitanter* sunt *speciali modo*, ac *Immediatè* in Humanâ Christi Naturâ, utpote cui *Esse* Dei subsistens non quidem *absolutè*, nec prout habet Paternitatis & Spirationis *relationem*, sed prout intelligitur *cum Verbi correlatione*, sit ex vi actionis unitivæ *per se in quarto Perseitatis modo formaliter* inexistens. Unde Divus Ambrosius in illud *2. ad Corinth. 5. Quoniam Deus erat in illo*, scribit sequentibus verbis. *Deus ergò erat in Christo. Quomodo? Quasi in vicario, aut legato, sicut fuit in prophetis, aut altero? Non sicut fuit in Prophetis, sic intelligi potest fuisse in filio, filius enim naturaliter natus est Patris Dei. Unde dicitur, quoniam Pater in me est, & ego in Patre, Pater enim per id intelligitur esse in filio, quoad una eorum sit substantia*, id est Esse subsistens. 8.

Quartò denique licèt actio Verbi unitiva ad *Esse correlationis* ipsam Dei *Esse* subsistens *Transcendentaliter* importantis *in quarto Perseitatis modo* terminata *per se* ex quidditate suâ non respiciat Naturam Divinam, nec ista adeò ex vi talis actionis *per se formaliter* communicetur Humanitati Christi. 9.

Nihilominùs quia Natura Divina est *realiter* identificata hypostasi Verbi, per consequentiam & concomitantiam *mediatè* est communicata Humanæ per illam hypostasin *substantialiter* terminatæ Christi Naturæ, vi cujus etiam *mediatæ* communicationis, seu unionis Natura Divina est *formaliter* sanctificativa Humanitatis. Ubi *quæst. 10.* elucidabitur. Consequens proinde est, quòd ratione hujus mediatæ unionis, divina Natura dici debeat specialiter inexistere Humanæ Christi naturæ. 10.

Unde Divus Augustinus *de Tempore serm. 2. Dominica Adventûs* taliter disserit *Cùm una sit Deitas, una sit Divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus sanctus, sed Majestate, non susceptione.* 11.

ARTICULUS III.

De

Naturâ per unionem hypostaticam assumptibili.

1. SEquentes hic veniunt discutiendæ controversiæ. Prima, *An qualibet etiâ irrationalis Natura sit assumptibilis ab hypostasi Personæ Divinæ?* Secunda, *Utrùm etiam accidens posset hypostaticè uniri personæ Divinæ?* Tertia, *Utrùm Natura per propriam subsistentiam terminata, de absolutâ potentiâ Dei sit hypostaticè unibilis supposito Divino?* Quarta *Utrùm Verbum Divinum assumpserit Humanitatem, prout abstractam ab individuatione?* Quinta, *Utrùm Natura Humana per Verbi hypostasin terminata habeat appetitum ad propriam suam subsistentiam?*

CONTROVERSIA I.

An, & qualiter etiam irrationalis Natura sit assumptibilis ab hypostasi personæ Divinæ?

1. DE duplici assumptibilitate procedere potest controversia. Altera enim assumptibilitas est *secundùm Congruentiam* tum necessitatis, qualis erat in humano genere ad sui à peccatis redemptionem; tum *Dignitatis* in eo se tenentis; quòd Natura à personâ Divinâ Verbi assumptibilis nata sit cōtingere aliqualiter Verbum, per suam operationem cognoscendo, & amando ipsum: ex sancto Thomâ *præf. q. 4. art. 1.* Dequâ proinde Dignitatis congruentiâ oritur
2. quæstio, *Utrùm Angelica Natura sit hypostaticè assumptibilis à Divinâ Personâ?* Altera assumptibilitas est secundùm potentiam obedientialem passivam, sitam in solâ non implicantiâ, seu non repugnantiâ Naturæ ad sui hypostaticam cum supposito Divino unionem; De quâ obedientiali potentiâ procedit hic quæstio, *Utrùm natura etiam irrationalis sit à personâ Divinâ hypostaticè assumptibilis?*

Referuntur Sententiæ.

3. ALbertus Magnus *in 3. dist. 2. art. 2.* negat, Angelicam Naturam posse per Dei potentiam hypostaticè uniri Personæ divinæ. Fundamentum est. Quocunq; enim inseparabilis est discretio personalis, ipsum non est assumptibile. Atqui ab Angelicâ Naturâ inseperabilis est discretio personalis: Divo Augustino attestante, quòd *discretio personalis sit unum de attributis Naturæ Angelicæ, quòd ipsam naturam non derelinquat.*

Ex opposito Divus Thomas *in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. quæstiunculâ 2. & lib. 4. contra gentes. cap. 55.* af-
4. firmat, Henricus *quodlibet. 13. q. 5.* Carthusianus *in 3. dist. q. 2. art. 3.* negant, Naturam irrationalem esse hypostaticè unibilem personæ Divinæ. Quam sententiam probabilem asserunt etiam Richardus *eâdem dist. 2. art. 1. q. 4.* Gabriel *q. 2.* Mysilius *q. 3.* Fundamentum est. Cùm enim *esse sit propter operari*, sequitur, Naturam, quæ est incapax operationis alicujus substantiæ, esse etiam incapacem ipsius *Esse*, seu *subsistentiæ* talis substantiæ. Atqui Natura irrationalis non est capax operationis Divinæ. Ergo nec *Esse* Divini per hypostaticam personæ Divinæ unionem communicabilis.

Econtrario quamlibet etiam irrationalem Naturam esse à personâ Divinâ *hypostaticè* assumptibilem, docent Divus Thomas *ubi suprà*, Scotus *in 3. dist. 2. q. 1. n. 5.* Lychetus *ibi.* Durandus *q. 1.* Aureolus *q. 2. ar. 3.* Cajetanus *3. p. q. 4. a. 1. in respons. ad 1.* Medina *ibi.* Nazarius *concl. unicâ.* Joannes à S. Thomâ *disp. 7. ar. 3.* Suarez *disp. 14. sect. 2.* Vasquez *disp. 30. cap. 2.* Amicus *disp. 15. n. 7.* Et Martinon *disp. 4. sect. 1. n. 5.* Ubi tamen aliquam ponit limitationem in iis, in quibus satis apertè, apparet aliqua indecentia; quale esset stercus & excrementa. Hæc enim pudor esset ac horror, si dicerentur Deo uniri *hypostaticè*, ita ut verè dici possent, esse Deus, sicque præponi cultu latriæ adorandâ. 5.

Conclusio I.

NOn repugnat, Angelicam Naturam Hypostaticè uniri personæ Divinæ. 6.

Probatur. Nam subsistentia omnis creatæ substantiæ est ratio substandi accidentibus. Hinc enim primæ per Hypostasin Hæcceitatæ substantiæ, teste Philosopho, est proprium substare accidentibus. At istud proprium, utpote accidens, est extra quidditatem Naturæ & speciei. Ergo subsistentia omnis creatæ substantiæ est extra quidditatem Naturæ ipsius. Ergo subsistentia Naturæ quoque Angelicæ ab istâ realiter distinguitur; Philosopho *7. Metaphy. texti 21.* attestante in hæc verba: *Secundùm hoc ergo cuicunque potest aliquid accidere, quod non sit de ratione suâ, in eo differt, res, & quid est sive suppositum & natura.* Hac verò reali inter subsistentiam & Naturam Angelicam distinctione suppositâ, oportet, in Angelicâ non minùs, quàm in Humanâ Naturâ adstruere obedientialem passivam potentiam, actionis cum personâ Divinâ unitivæ receptivam.

Probatur istud assumptum. Nam potentia subsistentiæ ac existentiæ receptiva in naturâ creatâ importat potentialitatem, mediante actualitate subsistentiæ ac existentiæ actuabilem in ratione primæ substantiæ, ac Entis completi: siquidem subsistentiæ actualitas *in ratione substantiæ*, Existentia verò *in ratione Entis* actu &c. At verò ista actualitas considerari potest, tum in ordine ad subsistentiam ac existentiam ex Naturâ per effectricem sui actionem in physico statu positâ *Connaturaliter* emanantē, tum in ordine ad *Esse* Dei *subsistens.* Hic verò per fidem Divinam noscibilis in Humanitate ad Verbi Divini subsistentiam ordo radicatur in ipsâmet Naturæ Humanæ essentiali ad *Esse Divinum* subordinatione, per quam est receptiva actionis, ipsum Verbi Divini *subsistens Esse Causaliter*, communicantis. Atqui in Angelicâ æquè, ac humanâ naturâ est ordo essentialis ad *Esse* Divinū *Transcendentaliter* imbibitum in hypostasi Verbi, ut sic per actionem ex illo *Esse* subsistente emanantem *causaliter*, per se ipsam verò *Formaliter* sui communicativâ. Non minùs igitur est possibilis hypo- 7.

 staticæ

ſtatica Verbi Divini unio cum Angelicâ, quàm cum Humanâ Naturâ.

CONCLUSIO II.

8. NEque repugnat, Naturam irrationalem *hypoſtaticè* uniri perſonæ Divinæ.

Probatur. Nam eo ipſo, quòd Natura irrationalis ſit imperfectior, oportet, magis eſſe immerſam potentialitati. Ex hac verò potentialitatis immerſione in ſubſtantiâ creatâ arguitur ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ diſtinctio ab *Eſſe* eſſentiæ & Naturæ. Atqui natura ab *Eſſe* exiſtentiæ ac ſubſiſtentiæ *realiter* diſtincta eo ipſo habet potentialitatem ab *Eſſe* Dei *ſubſiſtente* actuabilem, ſi huic conveniat vis, mediante actione *hypoſtaticè* unitivâ *Cauſaliter*, ac per ſe ipſum *Formaliter* ſe communicandi Naturæ ejuſmodi. Hæc autem Divinæ hypoſtaſeos vis communicativa eſt per puriſſimam *Eſſe Divini ſubſiſtentis* actualitatem creatæ ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ *eminenter* contentiva. At verò Divinæ hypoſtaſeos *Eſſe* ſubſiſtens habet eminentialem omnis creatæ ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ continentiam, vi cujus adeò habeat vim non tantùm omnimodæ ad extra ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ effectivam, ſed *Eſſe* ſui *ſubſiſtentis* etiam *formaliter* communicativam, & ut ſic in ratione *primæ ſubſtantiæ* ac *Entis completi* conſtitutivam. Non igitur magis repugnat, Divinam hypoſtaſin Naturæ irrationali, quàm intellectuali, ſecundùm obedientialem paſſivam potentiam *ſubſtantialiter* uniri.

9. Dices ex Martinon *citato*. Hypoſtaticam perſonæ Divinæ cum aliquâ irrationali creaturâ unionem repugnare ex parte Divinæ ſapientiæ; quale enim eſſet dicere, ſtercus Deo uniri *hypoſtaticè*? Neque ſufficere, ſi dicatur, Deum ab hoc nihil pati propter unionem, ſicut nec patitur, aut inficitur propter præſentiam eſſentiæ per immenſitatem. Quamvis enim Deus nullam inde patiatur alterationem, ſicut neque pateretur à Naturâ peccato infectâ, ſi illi uniretur, (cujuſmodi tamen unio indubitanter eſt impoſſibilis.) Nihilominùs illam conjunctionem in unum Ens *per ſe*, veluti formalem affectionem eſſe Deo indecoram & *Moraliter* dedecere, quæ inde conſequuntur.

10. Contra. Nam indecentia alia eſt in ordine ad Deum, alia verò in ordine ad creaturam aliquam. At verò peccatum tanquàm moralis & affectiva Dei deſtructio pugnat cum Deo. Ex hâc autem repugnantiâ fit, quòd peccatum, & conſequenter peccator nequeat eſſe objectum Amoris, ſed averſionis, & abominationis pugnantis cum amore amicitiæ. Unde communicatio

11. Dei ad extra procedens ex Amore Divinæ amicitiæ, non poteſt ſtare cum peccato. Ejuſmodi verò communicatio eſt ſanctificatio, tum per gratiam habitualem, tum per hypoſtaticam Divinitatis unionem. Impoſſibile igitur eſt, fieri Divinitatis hypoſtaticam unionem cum naturâ peccato infectâ, niſi hoc ipſo foret peccati remiſſio per talis Naturæ Divinizationem & ſanctificationem. Econtra verò in ſtercore nulla eſt qualitas Deo diſconveniens; ſed cum ſenſibus duntaxat humanis, ac intellectui hiſce immerſo eſt diſſonantia non major, quàm fuerit in ignominioſis Chriſti doloribus & cruciatibus. Unde licèt aures hominum ſecundùm ſenſus judicantium non patiantur, ſine horrore dicere, quòd Deus poſſit Hypoſtaticè ſibi unire ſtercus. Hæc tamen indecentia non radicatur in aliquâ formalitate, fundante adversùs Deum aliquam ſive phyſicam, ſive moralem diſconvenientiam. Si ergo rem iſtam cum abſtractione à ſenſibilibus *Metaphyſicè* conſideremus, quid erit indecentiæ in illâ hypoſtaticâ unione?

Replicabis. Ex prætacto diſcurſu patere, 12. quòd per hypoſtaticam Perſonæ Divinæ unionem fiat Naturæ aſſumptæ ſanctificatio ſubſtantialis. Atqui ſanctificationis effectum formalem non congruere Naturæ Irrationali.

Contra. Nam ſanctificationis, per quam naturæ Divinæ fit participatio, duplex eſt formalis effectus, alter ſecundùm communicationem 13. *Eſſe*, alter verò ſecundùm communicationem *operari Divini*. Hinc enim gratia habitualis, ceu connaturale luminis gloriæ ſemen, eatenus eſt radix viſionis, ſeu intuitivæ Eſſentiæ Divinæ Intellectionis, ut mediante iſtâ Intellectione ipſummet *Eſſe Divinum* ſecundùm intelligibilem ſui unionem communicetur intellectui Beato. At verò *Operari Divinum*, vitam intellectualem importans, licèt non ſit communicabile Naturæ irrationali, ipſummet tamen *Eſſe Dei ſubſiſtens* mediante hypoſtaticâ perſonæ Divinæ unione, creaturæ etiam irrationali communicari poteſt ad formalem exiſtendi ac ſubſiſtendi effectum ipſi tribuendum. Conſtat ergo, Naturam etiam irrationalem poſſe, mediante hypoſtaticâ perſonæ Divinæ unione, *intrinſecè* ac *formaliter* ſanctificari *in Eſſendo*, non verò *in Operando*.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

AD Alberti Magni *n.* 3. oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Diſcretionem perſonalem aliam eſſe radicalem: aliam verò formalem. Hanc ſitam eſſe in ipſâ ſubſiſtentiâ, illam verò in determinatione individuali ſubſtantiæ, ceu radice, ex quâ *connaturaliter* reſultat hypoſtaſis, tanquàm poſitiva Naturæ Hæcceitas. Etſi proinde perſonalis diſcretio *Radicaliter* ſumptâ ſit *realiter* indiſtincta à Naturâ Angelicâ, utpote per ſuam ſpecificam rationem determinatâ ad unum ſuppoſitum. Nihilominùs perſonalem diſcretionem *formaliter* ſpectatam eſſe à parte rei diſtinctam, atque adeò in caſu hypoſtaticæ per divinam perſonam terminationis ſeparabilem ab Angelicâ Naturâ. 14.

Ad fundamentum *n.* 4. oppoſitum Reſpondetur. Dei potentiam abſolutam non coarctari ex connaturali *Eſſe* ad *Operari* connexione, quin poſſit Naturæ irrationali fieri hypoſtaſis Divinæ communicatio *quoad Eſſe ſubſiſtens*, licèt nullum *Operari* Divinum etiam participatum inde derivetur in talem Naturam, ſuppoſito Divino *hypoſtaticè* unitam. 15.

❋❋❋❋❋❋❋❋(❋)❋❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA II.

Utrùm accidens poſſit per Abſolutam Dei potentiam hypoſtaticè uniri Verbo Divino?

MAyronius *in* 3. *diſt.* 5. *q.* 1. *concl.* 3. Baſſolis *diſt.* 2. *q.* 1. *ar.* 2. Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 4. Vaſquez *diſp.* 30. *cap.* 5. Rada 4.

in 3. *p.*

in 3. par. cont. 4. concl. ult. Ysambertus *ad praes. q. 4. disp. 1. ar. 6.* negant. Fundamentum à Suarezio *citato* deductum est. Quia forma accidentalis neque potest assumi ad existendum existentiâ Verbi, neque potest quoad modum existendi terminari subsistentiâ Divinâ. Probatur istud assumptum. Nam licèt accidens separatum *per se* aliquo modo constituatur, tamen ille modus *per se essendi* est accidentalis. Sicut ergo forma accidentalis est omninò incapax subsistentiae, sic est incapax unionis substantialis.

2. Marsilius *in 3. q. 3. ar. 1. concl. 2.* Almaynus *dist. 2. q. 2.* Gabriel *dist. 1. q. 2. ar. 2. ad 7.* Medina *praes. q. 4. ar. 1. dub. 1.* Gregorius de Valentiâ *hic punct. 1. in 2. quaesito* affirmant. Fundamentum ex Amico *disp. 15. sect. 1. n. 26.* deductum est. Nam Verbum in genere causae *Hypostaticè* terminativae de facto supplet dependentiam sustentativam, quam unio seu Verbi unitiva actio postulat ab utroque extremo, seu subjecto. Atqui unio magis pendet a subjecto, quàm accidens, siquidem istud pendeat a substantiâ, tanquam Entitas, ille verò ut modus. Si igitur Verbum potest supplere dependentiam actionis unitivae, a fortiori supplere poterit dependentiam accidentis.

3. Amicus *citatus n. 28.* arbitrabatur, non repugnare, quòd accidens etiam conjunctum, seu inhaerens subjecto uniatur Verbo. Fundamentum est. Sicut enim Deus potest *effectivè* supplere sustentationem accidentis, non tollendo informationem, ita posset illam supplere *terminativè.*

4. Nazarius *praes. q. 4. ar. 1. cont. un.* existimat, personam Divinam posse ad unitatem suae subsistentiae assumere naturam accidentis a subjecto miraculosè separati, non autem accidens subjecto conjunctum. Fundamentum hujus est. Quia manifesta contradictio est, in subjecto esse, & subsistere cujusvis suppositi subsistentiâ.

5. Idem Nazarius *concl. 2.* docet, accidens non posse assumi à personâ Divinâ ad unitatem solius existentiae. Fundamentum est. Nam inter subsistentiam & existentiam est differentia, quòd illa verè ac propriè sit terminus Naturae substantialis, nullam dicens causalitatem, haec verò sit ultima rei actualitas, & quasi forma, & actus omnium actuum. At vero ratio termini nullam in ipso terminante dicit imperfectionem, quae tamen *intrinsecè* clauditur in formâ, vel actu alterum informante, sive actuante. Si autem Divina persona assumeret accidens ad unitatem solius existentiae; id non alio modo fieret, quàm actuando per suam existentiam accidentis Naturam assumptam. Haec verò absurditas satis accederet ad eorum Philosophorum errorem, qui dicebant, Deum nihil aliud esse, quàm ipsum *Esse formale* rerum omnium.

6. Joannes à sancto Thomâ *praes. disp. 7. ar. 3.* existimat, formam accidentalem etiam separatam à subjecto, non esse assumptibilem à Personalitate Divinâ. Fundamentum est. Quia accidens extra subjectum non est *per se Terminativè*, sicut substantia; sed est *per se effectivè*; quia nimirum Deus efficientiâ suâ conservat idem *Esse*, quod habebat accidens dependenter à subjecto. Unde non potest sustentari à Deo per modum subsistentiae, quasi in se terminetur, & per se existat, sed per effectivam sustentationem. At ista effectiva sustentatio est actio Divina, vi cujus constituatur Esse accidentis à subjecto separati. Neque verò actio suppleri potest per subsistentiam Divinam, siquidem ista terminet, non causando, sed purè terminando Naturam, & supplendo ejus propriam subsistentiam. Unde cùm accidens propriae subsistentiae non sit capax, sed solùm sustentationis effectivae à Deo, neque etiam est capax subsistentiae Divinae subrogatae loco propriae. 7.

Idem Joannes à Sancto Thomâ *n. 13.* tenet, formam accidentalem, quamdiu separatum *Esse* habet, assumptibilem esse ab existentiâ Verbi Divini. Fundamentum est. Nam Accidentia à subjecto separata retinent propriam existentiam, in quâ conservantur à Deo. Ergo sunt capacia existentiae subrogatae loco propriae. At Divina Existentia est communicabilis naturae creatae, illamque supplet in Humanitate Christi. Haec ipsa verò Divina existentia *Eminenter* quamcumque creatam existentiam, semotis imperfectionibus, continet. Ergo potest loco illius subrogari, dummodò non sequatur imperfectio; sicut sequeretur, si accidens non esset separatum; sed inhaerens, tunc enim existentia illa diceretur existentia in alio, quòd imperfectionem sapit.

Conclusio I.

Accidens non potest *hypostaticè* uniri Verbo Divino ad formalem subsistendi effectum ex istâ unione participandum. 8.

Probatur. Nam subsistentia, seu ultimum substantiae complementum est actualitas *formaliter* constitutiva in ratione Primae substantiae. At per se notum est, actualitatem in ratione primae substantiae *formaliter* constitutivam, non posse istum formalem primae, atque completae substantiae effectum communicare accidenti. Nequit ergo Divina persona *se formaliter* communicare accidenti, quoad formalem subsistendi effectum.

Conclusio II.

Non repugnat, Accidens uniri Verbo Divino ad formalem correlationis hypostaticae effectum ex tali unione participandum. 9.

Probatur. Sicut enim humanitas Christi ex unione cum Verbo habet respectu Patris Hypostaticam correlationem: sic Accidens unitum Verbo Divino haberet sibi *formaliter* communicatam illam correlationem.

Conclusio III.

Possibilis est unitio accidentis cum Verbo Divino ad formalem existendi effectum ex tali unione participandum. 10.

Probatur. Nam Verbi Divini Existentia aeque Accidentis ac Naturae substantialis existentiâ *Eminenter* continet. At per illam eminentialem continentiâ ex se proportionata est Divini Verbi existentia

stentia ad se ipsam *formaliter* communicandam Naturæ substantiali. Ad hanc autem formalem communicationem non requiritur actio unitiva. Atque eo ipso, quòd formalitas Divina sit proportionata ad sui formalem respectu Naturæ creatæ communicationem, sequitur, talis Divinæ formalitatis unitivam cum creatâ Naturâ actionem, seu causalem ad extra communicationem esse possibilem. Non igitur repugnat Verbi Divini cum accidente unio, seu actio unitiva ad formalem existendi effectum communicandum.

Responsio ad opposita Fundamenta.

11. AD Suarezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Accidens esse quidem incapax ad formalem subsistentiæ, non tamen Existentiæ effectum participandum ex unione cum Verbo Divino.

12. Ad Amici *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Actionem Verbi unitivam ex suâ Essentiâ pendere à naturâ creatâ, tanquàm subjecto, & à Verbo Divino, tanquàm termino: nec adeò verum esse, quod Verbum Divinum in genere causæ *hypostaticæ* terminativæ suppleat connaturalem actionis unitivæ à subjecto dependentiam. Imò istam dependentiam in accidente absoluto, non autem modali suppleri posse à Deo, non per hypostaticam terminationem, sed causalitatem *Efficientiæ* sustentativam. Hanc verò causalem *in genere efficientiæ* sustentationem non pertinere ad proprietatibus personalibus ut sic, sed à potentiâ toti Trinitati *indivisibiliter* inexistente. Non posse igitur Verbum Divinum mediante hypostaticâ terminatione, supplere accidentis connaturalem à subjecto dependentiam, licèt possit formalem *Existendi* effectum, mediante Existentiæ suæ Increatæ unitione, communicare accidenti.

13. Ad Amici pro allegati sententiam *n. 3.* propositam Respondetur. Non tam displicere Doctrinam *ibi* expositam, quàm ejus fundamentum. Nam circa accidens subjecto inhærens duo considerari possunt. Alterum est, ipsum Accidens cum suâ Existentiâ. Alterum est inhæsio accidentis. At inprimis haud repugnat, accidens, subjecto licèt inhærens, eatenus denudari suâ connaturali existentiâ, ut formalem existendi effectum participet ex Increatâ Verbi Existentiâ, sibi communicatâ per Actionem Verbi unitivam. Deinde inhæsio accidentis importat sustentativam à subjecto, seu causâ materiali dependentiam. At repugnat dependen-

14. tiam ejusmodi exerceri per hypostaticam Verbi terminationem. Potest ergo circa accidens subjecto sic inhærens, mediante actione Verbi unitivâ suppleri formalis existendi effectus, non autem inhæsiva sustentativa accidentis à subjecto dependentia.

15. Ad Nazarij *n. 4.* oppositum fundamentum Respondetur. Accidens ne quidem à subjecto separatum posse assumi à Verbo Divino ad formalem subsistendi effectum, ex tali unione participandum, licet repugnet accidens subjecto etiam conjunctum esse receptivum unitivæ cum Verbo actionis, quâ mediante Existentia Verbi Increata communicet ipsi formalem existendi effectum.

Ad Nazarij *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Aliam esse actuationem per modum formæ inhærentis, seu informantis; Aliam per modum formæ, seu actûs per se stantis. In hoc autem duplici actuationis genere id esse discriminis, quòd prior importet dependentiam receptibilitatis, seu potentialitatis ab intrinseco perfectibilis: posterior autem importet Eminentialem effectûs alicujus formalis continentiam, sui ipsius *formaliter* communicativam sub omnimoda puritate, ac potentialitatis exclusione. Non igitur repugnare; Divinam personam eatenus assumere accidens ad unitatem existentiæ, quatenus Increatæ personæ Divinæ existentia esset formam accidentalem actuans, eique formalem existendi effectum communicans, sine omni dependentiâ ac imperfectione. 16.

Ad Joannis à Sancto Thomâ *n. 6.* propositam doctrinam, ejusque fundamentum Respondetur. Per id optimè probari, quod accidens à Personâ Divinâ non sit assumptibile ad formalem subsistendi effectum ex tali unione participandum. 17.

Ad ejusdem Authoris *n. 7.* propositum fundamentum Respondetur. In eo unicè displicere, quòd Accidens subjecto inhærens negetur assumptibile à Verbo Divino ad formalem existendi effectum, eximiè sibi communicandum. Nam in tali forma accidentali eatenus distinguenda forent accidens, & existentia, ut ad illud terminaretur inhæsiva, seu sustentativa *in genere causæ materialis* dependentia, ad hanc verò se haberet unitiva actio recepta in accidente, ac Increatam Verbi existentiam *solùm terminativè* respiciens, nullam adeò Existentiæ ejusmodi à subjecto dependentiam importans. Hinc autem fieret, quòd accidens non esset receptum in subjecto. Falsum igitur esset, quòd talis accidentis existentia diceretur existentia in alio, sed eatenus esset *in se* subsistens, ut sine omnimodâ sui dependentiâ communicaret formalem *existendi*, non autem *subsistendi* effectum. 18.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA III.

Utrùm Natura creata per propriam subsistentiam terminata sit hypostaticè unibilis Personæ Divinæ?

AFfirmant Bachonius *in 3. dist. 5. q. 1. ar. 2.* Hurtadus *disp. 11. metaph.* alijque recentiores, suppressis nominibus, allegati ab Amico *præs. disp. 15. sect. 2.* Fundamentum ab illo Authore deductum est. Si enim in eodèm non repugnent potentiæ, consequens est, nec actus talium potentiarum repugnare. Atqui in eâdem Naturâ non repugnat potentia naturalis ad propriam personalitatem, & obedientialis ad Divinam. Ergo nec in eâ repugnabunt subsistentia propria, & Divina. 1.

Econtra negant communiter Theologi, speciatim Divus Thomas *in 3. dist. 5. q. 3. ar. 3.* S. Bonaventura *ibi. ar. 2. q. 2.* Scotus *quodl. 19. n. 17.* Durandus *in 3. dist. 1. q. 3. ad 2.* Aureolus *eâdem dist. q. 4. ar. 2. in fine.* Capreolus *ibi. q. 1. a. 3. ad 1.* 2.

3. ad 1. Cajetanus *3. p. q. 3. art. 6. §. ad cujus evidentiam.* Medina *ibi. ad 4.* Joannes à S. Thomâ *disp. 7. ar. 1.* Petrus Labat *disp. 4. dub. 2.* Philippus à Sanctissimâ Trinitate *disp. 4. dub. 6.* Suarez *disp. 14. sect. 1.* Vasquez *disp. 33. cap. 2.* Amicus *disp. 15. sect. 2.* Cardinal. de Lugo *disp. 13. sect. 6.* Martinon *disp. 7. sect. 2. n. 20.* Ysambertus Sorbonicus *ad praes. q. 4. disp. 1. ar. 3.*

Fundamentum ab isto Authore deductum est. Nam formalis ratio propriæ subsistentiæ, quatenus est propria, importat in se actualem exclusionem omnis cujuscumque alienæ subsistentiæ à propriâ substantiâ, quam de facto terminat. Ergo repugnat, aliquam substantiam creatam simul & semel terminari propriâ, & alienâ subsistentiâ. Consequentia est evidens. Antecedens autem probatur. Quia formalis ratio propriæ subsistentiæ, quatenus est propria, est, dare propriæ substantiæ incommunicabilitatem, quæ ita faciat illam esse actu in se ipsâ, ut nullo modo (id est tam aptitudine proximâ, quàm actu & re ipsâ) sit in alio realiter distincto, tanquàm in sustentante, à quo ut sic dependeat, & cum quo componat aliquod totum. At verò subsistentiæ alienæ, quatenus est aliena, ratio formalis est, dare substantiæ sibi unitæ incommunicabilitatem, quæ ita terminet ejus dependentiam, ut tamen illam constituat in alio tanquam sustentante. Ergo cùm modus *existendi in se positivè, & non in alio*, excludat *modum existendi positivè in alio*, sequitur, formalem rationem propriæ subsistentiæ, quatenus est propria, importare actualè exclusionè existentiæ in alio, seu alienæ subsistentiæ ab eâdem numero substantiâ.

CONCLUSIO.

3. IMplicat, Naturam creatam propriâ subsistentiâ terminatam, Hypostaticè assumi à Personâ Divinâ.

Probatur. Implicat formæ alicujus effectum formalem communicari substantiæ jam actuatæ, per formalitatem similis formæ. Atqui Natura creata per propriam subsistentiam terminata, habet in se *formaliter* actualitatem formalis subsistendi effectûs. Implicat ergo, talem Naturam in ratione subsistentis actuari per alienam subsistentiam.

4. Replicabis. Majorem ex terminis non esse adeò evidentem, quin videatur posse negari.

5. Contra. Nam principia philosophica persæpè certificantur ex orthodoxorum Conciliorum discursibus, vi quorum fidei articuli deducuntur ac eruuntur: sic enim ex orthodoxorum Conciliorum unionem Verbi in Hypostasi, non autem in Naturâ adstruentium argumentatione firmatur illud philosophicum Principium, *Ex duabus Naturis completis nequit resultare unum per se, sive una Natura.* Atqui hujus principij sensus clarè asserit, substantiam in ratione naturæ completam non esse formalitate Naturæ actuabilem. Hoc autem perinde est, ac si diceretur, substantiam non esse communicabilem effectum formalem, cujus actualitate talis substantia jam est *formaliter* actuata. Illud ergo philosophicum principium ex Conciliorum orthodoxorum argumentatione, & inde secutâ fidei Articuli deductione ac definitione, stat omninò firmum ac stabile. Atqui posito illo philosophico Principio, evincitur etiam, quòd implicet, Naturam creatam propriâ subsistentiâ terminatam uniri Hypostaticè personæ Divinæ.

Confirmatur. Nam Concilia ex eo, quòd Humanitas Christi supponitetur per Hypostasin Verbi, concludunt, in Humanâ Christi Naturâ non esse propriam subsistentiam. At illius illationis vis reduci debet ad principium, quòd Natura Humana vi Hypostaticæ cum Verbo unionis per formalem subsistendi effectum actuata non possit per propriam subsistentiam constitui subsistens. Hoc igitur Axioma in unâ argumentationis serie junctum cum fidei principio ad inferendam fidei conclusionem, ex istâ connexione omnimodam accipit certitudinem, ut adeò ex eo efficaciter demonstretur præsens nostrum institutum. 6

Dices. Ex Amico *cit. sect. 2. n. 46.* Concilia & Patres, mediante illâ argumentatione, solùm definivisse, quid de facto sit, non quid esse potuerit; idque ex naturali tantum repugnantiâ, quæ est inter personam creatam & Increatam: & ob similem, quæ est inter naturam Humanam, & privationem suarum proprietatum, Concilia contra *Monothelitas* præter Divinam, humanam in Christo voluntatem, cæterasque humanæ Naturæ proprietates definire potuerunt. Unde illud principium, *Quòd Humanitas vi unionis Hypostaticæ per formalem subsistendi effectum actuata non possit actuari per propriam subsistentiam* intelligi debere secundùm connaturalem duntaxat repugnantiam, non verò secundùm absolutam impossibilitatem. 7

Contra. Nam si Connaturaliter duntaxat repugnet, Naturam Verbi Hypostasi suppositatam terminari propriâ subsistentiâ, tunc præadductorum Conciliorum argumentatione etiam de facto procedit. Probatur. Nam illa Argumentatio absolutè sine aliquâ modificatione concludit, de facto non esse in Christo propriam subsistentiam. At si hanc Christi humanitati inexistere, *solùm Connaturaliter* repugnat, non *absolutè, sed cum modificatione* secundùm *connaturalem repugnantiam* duntaxat, ex principio per Oecumenica Concilia allegato concludi potest, quòd in Christi Humanitate de facto non sit propria subsistentia. Illa ipsa verò modificatio hoc præstaret, ut Humanitas Christi non tam de facto, quàm de connaturali exigentiâ diceretur carere propriâ Hypostasi. Probatur istud assumptum. Nam ex principio per Concilia inducto concludi non posset, quòd Deus in impediendâ propriâ Humanitatis Hypostasi de facto se accommodaret connaturali exigentiæ, sicuti etiam ex veritate naturæ Humanæ in Christo secundum se præcisè spectatæ nō posset, nisi sub aliqua modificatione inferri, quòd connaturaliter dari debeant actiones propriæ Humanitatis, adeò ut nisi istarum actuale exercitium, evinceretur ex sacris litteris, non possent tales operationes quà Exercitè de facto positæ erui ex veritate Humanæ in Christo naturæ, sed *sub modificatione* duntaxat *Connaturalitatis*. Pari proinde ratione per allegatam Conciliorum argumentationem non concluderetur, quid de facto sit, sed quid connaturalis exigentia postulet. At verò sacra Concilia *absolutè & sine modificatione* concludunt de facto, quòd,

cùm in Humanitate Christi sit Verbi Divini Hypostasis, non habeat propriam subsistentiam. Oportet igitur, *absolutè* repugnare, quòd Natura ex unione Verbi habens formalem subsistendi effectum, sit actuabilis per propriam suam Hypostasin.

10. Cujus ratio à priori sic deduci potest. Nam potentia per formæ alicuius effectum formalem actuata, ut sic non est ulteriùs actuabilis. Atqui effectus formalis subsistentiæ est, constituere naturam in ratione completæ ac *positivè* individuæ, seu primæ substantiæ. Hic autem effectus formalis convenit Humanæ Christi Naturæ per Hypostaticam Verbi unionem. Repugnat igitur, istam naturam ulteriùs actuari per propriam creatam subsistentiam.

11. Instabis ex Ysamberto *citato art. 3.* Saltem non implicare, quòd Natura creata per reproductionem in duobus locis posita habeat in uno propriam, in altero alienam personalitatem. Nam Deum absolutâ suâ potentiâ posse facere, ut ex Naturâ in uno loco positâ resultet propria subsistentia, hæc verò resultantia impediatur in alio loco, atque tunc natura ibi posita uniatur Divinæ personalitati.

12. Contra. Nam replicatio localis non facit, quò minùs substantia in pluribus locis posita sit eadem. At subsistentia est actuans Naturam in se ipsâ seu propriâ suâ substantiâ spectatam. Repugnat autem, naturam formæ alicuius effectu formali actuatam esse formalitate ejusmodi ulteriùs actuabilem, *veluti superiùs demonstratum est.* Sive ergo substantia in uno, sive in pluribus locis constituta sit, eadem circa duplicis in unâ creatâ Naturâ subsistentiæ actuationem stabit repugnantia: imò ex prætacto etiam fundamento repugnat, eandem substantiam habere duplicem circumscriptivam præsentiam, quâ mediante sit posita in duobus locis.

13. Urgebis. Non repugnare, quòd Humanitas Verbi unita subsisteret etiam per Hypostases Patris ac Spiritûs sancti. Hinc autem evidenter sequi, quòd Natura per unam subsistentiam terminata, secundùm Dei absolutam potentiam sit ulteriùs actuabilis per aliam Hypostasin.

14. Contra. Nam in tribus Divinis Personis, seu Hypostasibus eatenus est Trinitas correlationum, ut istæ tamen importent unicam simplicissimâ *subsistentiæ* formalitatem & actualitatē, veluti *in to.1.q.14. a.1.cont.2.ostendimus.* Unde si omnes tres Divinæ Personæ assumerent unam numero Humanitatem, in hâc esset quidem triplex correlatio personalis, sed unica subsistendi actualitas. Ex eo igitur, quòd una numero Humanitas à tribus Personis Divinis sit assumptibilis, non enervatur præadductum in Sacris Concilijs fundatum principium, nimirum quòd Humanitas Verbi Divini Hypostasi actuata, quoad *formalem subsistendi effectum* non sit actuabilis per subsistentiam sub formali subsistentiæ actualitate distinctam à Divinâ Verbi Hypostasi.

Responsio ad opposita Argumenta.

15. AD fundamentum *n.1.* oppositum Respondetur *Primò.* Majorem esse falsam. *Secundò.* Naturalem respectu propriæ creatæ, & obedientialem respectu alienæ Increatæ Hypostasis in Naturâ creatâ potentiam esse unicam simplicem potentialitatem, tum mediante naturali subsistentiæ resultantiâ, tum mediante supernaturali Hypostaticâ unitione actuabilem. At potentialitatem formalitate aliquâ actuatâ respectu talis formalis effectûs nō esse ulteriùs actuabilem. Implicare igitur, quòd, dum obedientialis naturæ creatæ potentia per Divinam Hypostasin actuata est, ejusdem naturæ potentia naturalis sit adhuc actuabilis per propriam creatam subsistentiam.

Ad Ysamberti *n. 2.* propositum fundamentum Respondetur. Subsistentiæ propriæ, si secundùm rem ipsam, non verò secundùm nominis *Tò propriæ* significationem spectetur, rationem essentialem non importare *Formaliter* negationem dependentiæ ab alio qua sustentante, sed istam negationem *Consecutivè* duntaxat se habere ad formalem subsistentiæ propriæ rationem. Unde inter propriam & alienam subsistentiam *Formaliter* spectatas non esse aliquam repugnantiam contradictionis, sed disparantiæ duntaxat, ac diversitatis. Quare in statu quæstionis præsentis esse, *In quo fundetur essentialis ac per Dei potentiā insuperabilis repugnantia Divinæ & humanæ creatæ in unâ naturâ subsistentiæ?* Hanc verò repugnantiæ rationem vix efficaciter demonstrabilem esse ex principio per Ysambertum inducto, quòd scilicèt repugnet modus existendi *positivè* in se, & modus existendi *positivè* in alio. 16.

Probatur istud assumptum. Nam isti duo modi sunt tantùm *disparatè* repugnantes. Ergo ex se ipsis non sunt incompossibiles in uno subjecto, vel quasi subjecto, sed talis contradictionem involvens incompossibilitas ex alio fundamento deducenda est, cujusmodi videtur unicè desumi posse ex prærallegato in Sacris Concilijs fundato principio, quòd nimirum *Natura ex Divina persona Hypostaticâ unione habens formalitatem subsistendi, non sit quoad talem effectum formalem ulteriùs actuabilis.* 17.

✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿

CONTROVERSIA IV.

Utrùm Natura creata ab individuis abstracta sit assumptibilis à personâ Divinâ?

NOn procedit controversia de naturâ Platonicè consideratâ, habente *ipse per se* extra materiam sensibilem ac extra singularia. Hæc enim Natura *Platonicè* universalis, sicuti Aristotele *in 7. Metaphy. textu 26. & 27.* probante, à parte rei est nulla, sic non potest *Hypostaticè* esse unibilis personæ Divinæ. Difficultas igitur moveri potest; *Utrùm Humanā Christi Natura individuatio propria sit immediate unita Hypostasi Verbi?* 1.

Referuntur Argumenta opposita.

NAm *primò* Scotus *in 2. dist. q. 6. n. 15.* docet; quòd individuatio sit ultima realitas Entitatis, sive Totalis, sive partialis. Hæc verò ultima realitas est Hæcceitas, uti probat Rada *2. part. cont. 3. art. 4. exposit. Jubilis Doctoris. concl. 6.* 2.

ris concl. 6. Hæcceitas verò seu Ultima actualitas & realitas substantiæ est Hypostasis. At Verbum Divinum non assumpsit propriam Humanitatis Hypostasin. Ergo nec individuationem.

3. *Secundò.* Individuum substantiæ idem est ac Hypostasis. ex sancto Thomâ *1. p. q. 29. art. 2. ad 1.* At Verbum Divinum non assumpsit Hypostasin Humanitatis propriam. Quomodò ergo dici potest, habere sibi unitam Humanitatem, quà individuam?

4. *Tertiò.* Individuationis principium in substantijs Materialibus est Materia signata quantitate. ex sancto Thomâ *opusc. 29. & 33.* Item *de Ente & Essentiâ cap. 6. & 7.* Hæc autem signatio quantitatis fit per dispositionem corporis propriam. At neque quantitas, neque dispositio Humanitatis propria est *immediatè* unita Verbo. Ergo principium Individuationis non est *immediatè* assumptum ab Hypostasi Verbi.

5. *Quartò.* Si Natura creata quatenus abstractâ ab individuatione non sit assumptibilis à personâ Divinâ, sequitur, Individuationem talis Naturæ esse ab istâ realiter indistinctam. Hinc autem videtur inferri, quòd Individuatio sit ipsa creatæ substantiæ Entitas, prout in se est indivisa, & divisa à quolibet alio, veluti cum alijs docet Suarez *disp. 5. Metaphy. sect. 4.* At istud non videtur stare cum Doctrinâ Divi Thomæ, principium substantiæ materialis individuans ponentis in quantitate signatâ.

Conclusio.

6. Individuatio Humanitatis *Formaliter* spectata est *realiter* indistincta ab ejus substantiâ, estque Hypostaticè unita Verbo Divino.

Probatur. Nam principia individuantia in substantijs sunt principia subsistendi, & distinctionis. ex sancto Thomâ *de potentiâ. q. 9. art. 5. ad 13.* Atqui principium subsistendi aliud est formale, estque ipsa subsistendi forma, cujusmodi in Deo est *Esse* subsistens, seu prima ipsius Essentia; unde Deus per ipsum *Esse* subsistens est *Formaliter* ac *Essentialiter* individuus.

7. Aliud verò subsistendi principium est Radicale, estque radix, ex quâ *Connaturaliter* emanat subsistentia. Atqui omni Naturæ substantiali creatæ convenit sua propria, ex se *Connaturaliter* emanans subsistentia. Hoc autem radicale subsistendi principium est ipsummet *formaliter* individuans principium, realiter indistinctum à quâvis creatâ substantiali Naturâ. At Verbum Divinum, *Hypostaticè* sibi uniendo Humanitatem, non potuit non assumere istam individuationis formalitatem, utpote *realiter* indistinctam ab illâ Humanâ Naturâ. Consequens igitur est, Verbum Divinum non potuisse assumere Humanitatem ab individuatione abstractam.

Responsio ad opposita fundamenta.

8. Ad primum ex Scoto petitum Argumentum Respondetur. Realitatem substantiæ aliam esse ultimam in ratione Naturæ duntaxat, aliam in ratione substantiæ simpliciter. Hanc verò esse hypostasin, utpote constitutivam in ratione primæ seu simpliciter completæ, ac *positivè* individuæ substantiæ. Quam proindè simpliciter vocari posse Hæcceitatem, esseque *realiter* distinctam à Naturâ creatâ, ac ne Divinitùs quidem assumptibilem à personâ Increatâ. Illam verò *in ratione naturæ* duntaxat ultimam realitatem, seu formalitatem esse, ipsismet Scoto & Radâ *ubi supra* fatentibus, à naturâ realiter indistinctam, nec adeò naturam creatam esse assumptibilem à personâ Divinâ, quin hujus unio hypostatica sit *Formaliter* terminans realitatem hujusmodi, utpote quæ à parte rei nullam etiam formalem habeat distinctionem ab Entitate Naturæ. Unde concedi posse, Verbum Divinum assumpsisse Humanitatem, sine individuatione *positivâ* seu *perfectâ*, non tamen sine individuatione *negativâ* & *incompletâ*, quæ non *absolutè* ac *simpliciter*, sed *cum addito* & *secundùm quid* duntaxat meretur nomen Hæcceitatis.

Ad secundum ex Divo Thomâ petitum Argumentum Respondetur. Individuum substantiæ *completè* spectatæ idem significare ac hypostasin, seu suppositum. At hoc ipsum ceu ultimum in ratione substantiæ complementum radicari in Entitate Naturæ, quà per se ipsam singulari, seu *intrinsecè* determinatâ ad unum suppositum. Hanc proinde intrinsecam ad unum suppositum determinationem esse radicem hypostasis ex se promanantis. In cujusmodi adeò radicali hypostasis determinatæ continentiâ sitam esse individuationem incompletam, *realiter* indistinctam à naturâ. Ergo hypostasin Verbi se uniendo naturæ singulari, assumpsisse hujus individuationem propriam, non quidem completam, sed incompletam. 9.

Ad Tertium ex eodem Angelico Doctore desumptum argumentum Respondetur. Debere distingui inter formalem individuationem, ac hujus principium, adeò ut Verbum hypostaticè assumendo Humanitatem, istius individuationem formalem *immediatè* sibi univerit, non autem quantitatem signatam *dispositivè* causativam illius individuationis. Explicatur. 10. Nam *primò* substantiæ individuatio formalis, (quam Nazarius *1. p. q. 3. art. 2. cont. unicâ §. Quintò advertendum.* Formale individuationis principium vocat) est Hæcceitas sita in metaphysico gradu, fundante in se hypostasin. Unde sanctus Doctor *in conclusione* citatus asserit, principia individuantia esse causam subsistendi. Atqui subsistentia in statu perfecto, & quoad connaturalitatis exigentiam fundatur in naturâ completâ. 11. Est autem Naturæ creatæ, & Increatæ distinctio, quòd hæc sit actus purus ac in ratione substantiæ simpliciter perfectus, nullam adeò respectu subsistentiæ importans potentialitatem, sed sit ipsum Esse subsistens: Illa verò in ratione substantiæ importet potentialitatem, sitque adeò in potentiâ ad subsistentiam. Unde individuatio formalis in Naturâ creatâ importat potentialitatem Naturæ *intrinsecè* determinativam ad hanc hypostasin, potentialitas verò taliter determinata importat actum *formaliter* determinativum. Hic verò actus *formaliter* determinativus alius est in ratione Naturæ completus, & in ratione duntaxat substantiæ per hypostasin à se distinctam perfectibilis, cujusmodi est Natura Angelica. Unde ista per se ipsam ex ratione suâ specificâ est determinata ad unam hypostasin, ut adeò ratione hujus determi-

determinationis species Angelica non sit in potentialitate ad plura individua, sed ipsa Angelica Naturæ forma seu species sit per se ipsam
12. individua. Alius proinde Actus ad hanc hypostasin *Formaliter* determinativus est in materiâ receptibilis. Atqui ex istâ formæ receptibilitate fit, quòd non instar Naturæ spiritualis exigat sui principium duntaxat efficiens, sed etiam materiale, *intrinsecè* concurrens cum tali formâ ad totius Naturæ constitutionem. Ergo quia actus substantialis non nisi quà completus in ratione naturæ, secundùm connaturalis exigentiæ statum, est *formaliter* determinativus ad hujus hypostasis ex se emanationem, sequitur, quòd causa subsistendi, atque adeò formalis individuatio in formis receptibilibus, & in substantijs materialibus exigat principium non duntaxat efficiens, sed etiam materiale. In quo proinde sensu videtur loquutus Bannes *in 1. de generatione q. 3. art. 7. in 2. conclus.* asserens, probabilissimè dici posse, Principium individuationis intrinsecum esse materiam, ut informatam formâ substantiali, adeò ut ex materiâ & formâ fiat unum Principium totale & intrinsecum unitatis numericæ. Et in *4. conclusione* ait; principium substantiale proximum individuationis, licèt *incompletum*, esse materiam primam determinatam per formam. Ex quibus igitur rectè
13. infertur, formalem individuationem, sive substantiale Humanitatem *intrinsecè* individuans Principium esse hoc ipso *immediatè* unitum Verbo Divino, quòd istius hypostatica unio per se terminetur ad totam Humanitatis Naturam, atque adeò ad materiam etiam quà informatam formâ rationali.

Secundò proinde principium materiale individuationis non potest esse materia secundùm suam præcisè indifferentiâ spectata, sed prout mediante quantitate signatâ *dispositivè* determinatur ad hanc numero formam.

Probatur istud assumptum. Etenim ma-
14. teria nequit dici radicale individuationis principium, nisi prout est determinata ad istam hypostasin. Hæc autem est emanans ex formâ, vel quà receptâ, vel quà receptibili in materiâ. At forma non est receptibilis in materia, nisi quà dispositâ. Hæc autem dispositio importat quantitatem vario qualitatum temperamento signatam. Hæc proinde signata quantitas *dispositivè* concurrit ad ponendam in rerum Naturâ illam Naturæ actualitatem, ex quâ ut sic emanat hypostasis. Hæc autem actualitas ad istam ex se pullulantem hypostasin determinativa est formalis individuatio. Ergo materiale seu radicale individuationis principium *in genere dispositivo* importat quantitatem signatam; adeò ut forma rationalis etiam separata sit *Formaliter* individuata ex intrinseco ordine ad materiam quantitate signatâ dispositam; imò ex tali ad quantitatem organizatione perfectiore signatam commensuratione intrinsecâ habeat majorem individualem perfectionem, quinimò animarum rationalium distinctio numerica non sit, nisi secundùm habitudines ad diversa corpora, sive ad materias quantitate variis dimensionibus & qualitatum temperamentis signatâ diversimodè dispositas; uti rectè tradit Nazarius *1. p. q. 50. artic. 4. conc. 2.* Cùm proinde Verbum Divinum quantitatem, ejusque dimensiones, & qualitatum temperamenta *immediatè* non assumpserit, rectè negatur, sibi hypostaticè univisse individuationis *dispositivum*, sive *secundarium* principium *radicale* licèt *hypostaticè* assumpserit materiam, ceu primum, sive ut Nazarius ait, principale *in causæ materialis intrinsecè* constitutivum individuationis substantialis principium.

Ad Quartum Respondetur. Non incongruè dici posse, quòd individuatio sit ipsa substantiæ Entitas, prout ista est indivisa in se, & divisa à quolibet alio. Explicatur. 15.
Nam substantiæ sui in se indivisio est incommunicabilitas. Hæc autem alia est *formalis* & *positiva*, atque consistit in hypostasi naturam constituente *formaliter* incommunicabilem in ratione substantiæ, id est, nec actuabilem, nec potentem actuari in lineâ substantiæ: Alia verò substantiæ incommunicabilitas est radicalis, importans intrinsecam Naturæ substantialis determinationem, ad hanc numero hypostasin. Hæc autem est ipsa substantiæ transcendentalis unitas. Sicut enim formæ accidentalis in se indivisio, seu unitas individualis est ex intrinseco ad hoc subjectû ordine; sic substantiæ in se indivisio, atq; adeò individualis unitas est ex intrinsecâ ad hunc perseitatis modum sive subsi- 16.
stentiæ determinatione. Cõstat proinde, substantiæ, quà in se indivisæ formale Individuationem nõ incongruè poni in radice subsistendi per hanc hypostasin: ut sic enim substantia eatenus est in se determinata ad unam hypostasin, ut non possit habere connaturalem proportionem ad aliam subsistentiam. Si proinde Suarezius istam connaturalis ad hanc hypostasin proportionis determinationem intrinsecam nobiscum dicat substantiæ in se divisionem, seu incommunicabilitatem radicalem ac negativam, ipsi libenter assentimur, nec tamen in hoc Thomistis nos 17.
contrarios arbitramur. Deinde substantia creata ex intrinsecâ ad Perseitatis modum connexione eatenus distinguitur ab accidente, ut per formalem connaturalis ad hanc hypostasin proportionis determinationem Naturæ substantiales sint inter se *numericè* distinctæ. At individuatio secundùm sanctum Thomam *in concl.* præcitatum, est causa subsistendi ac distinctionis. Ergo substantiæ intrinseca ad hanc hypostasin determinatio est formalis ejus individuatio, prout ista non solùm est indivisio in se, 18.
sed etiam divisio à quolibet alio. Cùm proinde Verbum Divinum *hypostaticè* assumendo Humanitatem, non potuerit sibi non unire ejus Entitatē, & connaturalem respectu hujus hypostasis exigentiam, ut sic indivisam *in se*, & divisam à quolibet alio, evidenter sequitur, implicare, naturam ab individuatione abstractam *hypostaticè* assumi à Deo.

CONTROVERSIA V.

Utrùm Natura Humana per hypostasin Verbi terminata, habeat appetitum ad propriam suam subsistentiam?

AFfirmat Vasquez *disp. 94. cap. 2.* Fundamentum est. Quia inclinatio & ap- 1.
petitus naturalis alicujus potentiæ ad suum

suum actum, per modum desiderij, non est affectus aliquis elicitus, sed est ipsamet potentia, quatenus potest talem actum habere, & non habet; adeò ut ex privatione illius intelligatur, & nominetur à nobis per modum appetentis, & desiderantis. Atqui humana Natura quamtumvis consecuta fuerit altiorem actum, nempe Divinam personalitatem, semper manet cum potentiâ nativâ, ut habeat propriam. Ergo interim, dum illam non habet, etiamsi habeat aliam, quantumvis perfectiorem, comparabitur cum eâ per modum appetentis, & desiderantis illam.

2. Ex opposito negant Cajetanus *hic q. 4. art. 2.* Medina *dub. 2.* Alvarez *disp. 27.* Ysambertus Sorbonicus *ad q. 2. disp. 4. a. 2.* Joan. à sancto Thomâ *disp. 7. art. 2.* Fundamentum primum ab Ysamberto deductum est. Nam ut aliquid habeat appetitum desiderij circa aliquam rem, debet habere aliquam indigentiam illius rei, aut saltem talis res debet ipsi conveniens esse. Atqui Humanitas Christi Domini, quatenus est unita Verbo Divino, non habet aliquam indigentiam suæ propriæ & creatæ subsistentiæ, nec ista est illi pro tunc conveniens. Minor probatur. Tum quòd subsistentia Verbi longè nobiliori modo præstet humanitati formalem subsistendi effectum, quàm alioquin præstaret propria ipsius personalitas: tum quòd propria Humanitatis Verbo jam unitæ subsistentia habeat incompossibilitatem cum hypostasi Verbi Divini. Ergo Christi Humanitas nec habet indigentiam suæ propriæ subsistentiæ, nec ista pro statu unionis cum Verbo est illi conveniens. Ergo non habet appetitum suæ propriæ subsistentiæ.

3. Secundum ex Cajetano *citato* deductum fundamentum est. Quando enim aliqua perfectio non solùm est melior illâ, ad quam *naturaliter* inclinatur aliquid, sed continet, quidquid in illâ est, necessariò debet appetitus quiescere in eâ, sicut in propriâ perfectione: nam ideò in propriâ perfectione quiescit, quia est conveniens & proportionata suæ inclinationi. Unde si totum hoc est in altero, etiam ibi quiescit. Atqui Personalitas Divina non solùm terminat Naturam Humanam, tanquàm perfectior subsistentia, succedens propriæ, sed tanquàm continens totam perfectionem propriæ subsistentiæ. Ergo satiatur ibi appetitus.

4. Tertium ex Joanne à sancto Thomâ *n. 7. ac sequentibus.* deductum fundamentum est. Nam appetitus naturalis frustratus patitur violentiam. Ergo Humanitas unita Verbo, si naturaliter appeteret suam propriam subsistentiam, pateretur violentiam, appeteretque etiam naturaliter, dimitti à Verbo.

Conclusio.

5. Ex identitate appetitûs Naturalis ad propriam creatam, & potentiæ obedientialis ad Increatam Verbi hypostasin, efficaciter ostenditur, Humanitatem Verbo unitam non habere appetitum ad suam propriam subsistentiam.

Explicatur, & probatur. Nam appetitus Naturalis non est nisi ad formalitatem perfectionis. At tota ratio perfectionis in subsistentiâ importat actualitatem constitutivam in ratione primæ, ac omninò individuæ & completæ substantiæ. Eo ipso autem, quòd Hypostasis Verbi ex suâ infinitate habeat vim naturæ etiam creatæ realiter perfectivam, & in ratione primæ, atque perfectæ substantiæ constitutivam, oportet, Naturæ creatæ quà secundùm substantiæ rationem *ultimatè* actuabili inesse potentiam ex hypostasi Verbi perfectibilem, atque adeò Naturali ad subsistentiam appetitui inesse identitatem realem cum obedientiali ad Increatam Verbi hypostasin potentiâ. Ex hâc verò naturalis ad propriam subsistentiam appetitûs, & obedientialis ad Verbi hypostasin potentiæ identitate sequitur, illius naturalis appetitûs Entitatem ex hypostaticâ Verbi unione habere etiam *Formaliter* omnimodam perfectionem à se appetibilem. Probatur istud assumptum. Nam propria Humanitatis subsistentia præter actualitatem in ratione substantiæ *positivè* individuæ *ultimatè* perfectivam non importat, nisi limitationem ex submersione potentialitatis coarctatam ad hanc Naturam. At hæc limitatio importans imperfectionem, ut sic non est *naturaliter* appetibilis, sed secundùm rationem duntaxat perfectionis *transcendentaliter* in se imbibitæ. At verò hujus perfectionis omnimoda actualitas in ratione substantiæ *ultimatè* perfectivâ consistens, per hypostaticam Verbi unionem *Formaliter* etiam communicatur Humanitati, spectatæ secundùm ipsam etiam Naturalis ad suam subsistentiam appetitûs Entitatem, utpote realiter indistinctam ab obedientiali ad Verbi Hypostasin potentiâ. Nequit autem Entitas naturalis ad propriam subsistentiam appetitûs non esse satiata, si *Formaliter* sit actuata per actualitatem totius in illâ propriâ Hypostasi inclusæ perfectionis *Formaliter* communicativam. Ergo naturalis ad propriam subsistentiam in Humanitate appetitûs Entitas ita satiatur per Verbi hypostasin, ut non possit dici, habere per modum desiderij appetitum suæ propriæ subsistentiæ. Et hinc facilè patet responsio ad Vasquezij *n. 1.* oppositum Argumentum. Nam appetitus naturalis per modum desiderij partim est potentia habendi suum actum, partim est privatio ipsius, quoad perfectionem actualitatis, non autem quoad limitationē potentialitatis. Atqui subsistentia Humanitatis propria *quoad actualitatem & Formalem effectum subsistendi* omnimodè inest per formalitatem Verbi Divini *hypostaticè* unitam Naturæ Humanæ. Unde in Humanitate taliter unitâ non est privatio actualitatis subsistendi, sed carentia duntaxat limitationis hypostasi creatæ competentis ex immersione potentialitatis. Quare per hypostaticam Verbi unionem eatenus suppletur Humanitatis propria subsistentia, ut ad istam non habeat appetitum Natura Humana personæ Divinæ unita. 6. 7.

QUÆSTIO OCTAVA.

DE

PARTIBUS NATURÆ HUMANÆ A VERBO ASSUMPTIS.

1. QUatuor hîc veniunt hæreſes refutandæ, *Prima* Cérdonis, Márcionis, & Manichæorum apud ſanctum Auguſtinum *lib. de hæreſibus. hæreſi 21. 41. & 46.* aſſerentium, Chriſtum Dominum non habuiſſe verum corpus Humanum, ſed phantaſticum duntaxat. Cui hæreſi in Concilio Calcedonenſi *Act. 5.* Item in V. Synodo *Act. 5. cap. 7.* nec non in VI. Synodo generali *Act. 11.* inſuper in Concil. Lateranenſi ſub Innocent. III. *Can. Firmiter. de ſum. Trinit. & fide Catholicâ* damnatæ opponi poteſt: Tum quòd Ioan. 1. *cap.* Verbum dicatur caro factum: Tum quòd Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem Apoſtolis exiſtimantibus ſibi apparere phantaſma, dixerit Lucæ 7. *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere:* Tum quòd paſſim in Sacris litteris Chriſtus dicatur homo, ſeu Filius hominis. Cujuſmodi adeò locutiones in veritate non ſubſiſterent, ſi Chri-

2. ſtus haberet corpus phantaſticum. Nec obſtat, quòd Chriſtus *ad Philip. 2.* affirmetur, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Etenim per hoc denotatur ſpecifica ſecundùm Naturam ſimilitudo, nec non habitus veri hominis occultans Divinitatem oculis externis inviſibilem, ſed mentis duntaxat fide illuſtratæ oculo credibilem. ex ſancto Thomâ *præf. q. 4. art. 1. ad 1.*

3. *Secunda* hæreſis S. Irenæo *lib. 3. adversùs hæreſes. cap. 4.* referente, erat Valentiniani negantis, Chriſtum Dominum habuiſſe corpus terrenum, id eſt, ex quatuor elementis compoſitum, ſed Cœleſte, quod ſecum adduxerit à Cælo, nec adeò acceperit carnem à Beatiſſimâ Virgine, ſed per illam quaſi canalem ſolummodò tranſierit. Cui hæreſi opponitur; Tum quòd Beatiſſima Virgo *Iſaia. 7. Matth. 1. Luca 1. & 2.* dicatur concepiſſe, ac peperiſſe Chriſtum. Eſt autem generatio proceſſio viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem Naturæ. Oportet igitur, Chriſtum Beatiſſimæ Virgini ſimilem habuiſſe, & habere verum corpus humanum ex quatuor Elementis mixtum. Tum quòd Chriſtus Dominus *Math. 1. & Luca 3.* dicatur proceſſiſſe *ex ſemine David.* Et ad *Rom. 1. Eſſe ex ſemine David ſecundùm carnem.* At ſi corpus ejus eſſet cæleſte, dici nō poſſet eſſe ex ſemine David. Corpus igitur Chriſti, ſeu Chriſtus ſecundùm carnem fuit ex ſemine David, quatenus illud ex puriſſimis Beatiſſimæ Virginis ex Davidis progenie progenitæ Sanguinibus formatum erat. Tum quòd *Heb. 2. cap.* de Chriſto Domino diſſeratur in hæc verba. *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe*, nimirum Chriſtus, *ſimiliter participavit eiſdem.*

Nec obſtat *primò*, quòd Chriſtus Dominus 4.
Ioan. 2. *& 6. cap.* dicatur, deſcendiſſe de cœlo. Nam iſte deſcenſus ſignificat Verbi Divini exinanitionem, quâ dignabatur formâ ſervi accipere. Nec obſtat *ſecundò*, quòd *Math. 1.* Chriſtus dicatur, eſſe de Spiritu ſancto. Nam de eodem *Luca 1.* aſſeruit Angelus ad Beatiſſimam Virginem. *Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* At eo ipſo Chriſtus ſimilitudinem Naturæ cum Virgine, atque adeò corpus Humanum habere debuit, quòd naſceretur ex Mariâ. Ergo fuit de Spiritu ſancto, quatenùs iſte ſupplebat concurſum virilis ſeminis. Nec obſtat *tertiò*, quòd Chriſtus *1. Corinth.* dicatur Homo cœleſtis. Nam *ibi* ſermo eſt de corpore glorioſo, quod ſecundùm Dotes, non ſecundùm Naturam eſt cœleſte, eo modo, quo corpora ſanctorum in reſurrectione dicuntur reſurrectura ſpiritualia.

Tertia Hæreſis ſanctis Auguſtino *lib. de hære-* 5.
ſibus. cap. 49. & 15. atque Thomâ *3. p. q. 5. art. 3.* referentibus, erat Aerij & poſtea Apollinaris aſſerentium, Filium Dei aſſumpſiſſe ſolam carnem abſquè Animâ, cujus loco fuiſſe Verbum in Chriſto. Cui Hæreſi opponitur, quòd dixerit Chriſtus *Math. 26. Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem.* Et *Ioannis 10. Poteſtatem habeo ponendi Animam meam.* Neque dicere licet cum Apollinare, animam hîc *Metaphoricè* ſumi pro Divinitate. Etenim ſicut ex eo, quòd Chriſtus comederit, dormiverit, & fatigatus fuerit, demonſtratur, habuiſſe verum corpus Humanum; ſic ex eo, quòd Evangeliſtæ in Evangelicâ narratione enarrent, Ieſum eſſe miratum, iratum, & contriſtatum, ac eſurijſſe, infertur, habuiſſe veram animam, vel certè, ſi hæc anima *Metaphoricè* accipienda foret, periret fides Evangelicæ enarrationis, non *Propheticè* in figuris, ſed *Hiſtoricè* ſecundùm verborum proprietatem loquentis, uti

tis, uti ex sancto Augustino deducit Divus Thomas *loco citato*.

6. *Quarta* Hæresis, Angelico Doctore *cit. q. 5. art. 4.* referente, erat Apollinaristarum, qui testimonijs Sacræ Scripturæ convicti, in Christo ponebant Animam à Filio Dei assumptam; at negabant ipsi mentem; sed hujus loco substituebant Verbum.

Cui hæresi per Concilium Ephesinum, primum *can. 3. &* Synodum V. *collat. 8. can. 4.* damnatæ opponitur, quòd Christus *Matth. 8.* dicatur *Admiratus*. Atqui admiratio importat collationem effectûs ad causam: Ejusmodi verò collatio nequit esse sine ratione. Oportuit ergo à Verbo assumptam, non quamcunque Animam, sed rationalem; maximè cùm ex sacris litteris constet, Christum esse hominem, de cujus essentiâ à bruto distinctivâ est anima rationalis. Quare firmiter tenendum est, Verbum sibi *immediatè* univisse mentem, si hæc accipiatur pro radicali intelligendi principio; si verò mens sumatur pro primâ intelligendi potentiâ, hæc non nisi *mediatè* dici debet à Verbo assumpta, nisi quis fortè contendat, potentiam intellectricem non esse *realiter* distinctam à substantiâ rationalis animæ.

7. Quibus adeò ex fide suppositis; ad Scholasticas Theologicas controversias descensuri, duobus articulis præsentis quæstionis materiam expediemus, in primo acturi *de essentialibus*, in secundo *de Integrantibus Naturæ humanæ partibus à Verbo Hypostaticè assumptis*.



ARTICULUS I.

Qualiter, & quâ ratione Humanitatis partes Essentiales fuerint Hypostaticè unitæ Verbo Divino?

1. Supponendum *primò*. Triplicem, respectu Hypostaticæ partium Humanitatis ad Verbum assumptionis, generalem distingui posse ordinem. *Durationis* scilicet, *Dignitatis*, & *Causalitatis*. At de ordine Durationis indubitatum esse, quòd Anima Christi Domini non priùs tempore fuerit unita Verbo, quàm caro, nec econtra, sed anima & caro simul eodem temporis instanti sint assumpta à Verbo Divino. Cujus probatio sumitur ex Epistola S. Sophronij approbatâ in VI. Synodo *act. 11.* ubi sic habetur: *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis.* Cui consonat Symbolum Nicænum; in quo profitemur, quòd dum Filius Dei est incarnatus de Spiritu sancto, sit factus homo. Atqui Filius Dei est incarnatus, *Hypostaticè* sibi uniendo carnem: estque homo factus, carnem animâ rationali informatam, atque adeò totam Humanitatem sibi uniendo. Oportet igitur, eodem Incarnationis instanti, & carnem, & animam rationalem, totamque adeò Humanitatem *Hypostaticè* unitam esse Verbo Divino.

Supponendum *secundò*. Neque difficultatem esse de ordine Dignitatis. In hoc enim ordine primum obtinet locum tota Humanitas; secundùm Anima, Tertium Corpus. Quemadmodùm enim tota Natura singulis partibus; & Anima corpore est perfectior; ita dignius fuit, totam Naturam, quàm partes seorsùm spectatas; & Animam, quàm Corpus, assumi *Hypostaticè* à Verbo Divino. ex sancto Thomâ *præs. q. 6. art. 1. & 5.* 2.

Supponendum *tertiò*. Ordinem causalitatis subdividi in ordinem intentionis, ac executionis. Hic consistet in causalitate effectrice, vel dispositione materiæ. Ille verò est secundùm causalitatem finalé. De quo proinde finalis causalitatis, seu intentionis ordine secundùm Congruitatem quandam dici debet, quòd Verbum Dei assumpserit carnem mediante animâ, animâ verò mediante spiritu seu mente, & partes denique mediante totâ Humanitatis Naturâ, ex sancto Thomâ *cit. q. 6. art. 1. 2. & 3.* Explicatur & probatur. Tùm quia caro secundùm congruitatem aliqualis specialis cum Deo similitudinis non est assumptibilis à Verbo, nisi per ordinem ad animam rationalem; secundùm quàm habet, quòd sit caro humana, id est insignita Dei similitudine & imagine. Ergo anima est causa, & ratio ex parte volitorum *Finaliter* terminativa; propter quam Deus decreverat carnis cum Verbo unionem Hypostaticam. Tum quia parte animæ superiori, sive mente comparatâ ad inferiores ejusdem animæ partes, invenitur mens esse ratio secundùm congruitatem; cæterarum animæ partium Hypostaticæ à Verbo assumptibilitatis: non enim anima est assumptibilis secundùm congruitatem, nisi per hoc, quod est capax Dei, ad imaginem ejus existens. Hoc autem est secundùm mentem, quæ spiritus dicitur. Unde Damascenus *lib. 3. Orth. fid. cap. 6. ante med.* ait: *Verbum Dei unitum esse carni per medium intellectum, hunc enim esse quid animæ purissimum, sed & Deum esse intellectum.* Tum deniquè ex parte quidem materiæ, primum est, quod prius existit in transmutatione materiæ; attamen ex parte agentis est *simpliciter* primum illud, quod primò cadit in ejus intentionem; id verò, à quo incipit agentis operatio, est prius *secundùm quid* duntaxat. At verò in Incarnatione oportet, maximè attendere ordinem, qui est ex parte agentis, quia ut Augustinus *in Epist. ad Volusian. circa med.* ait, in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Manifestum autem est, quod *secundùm intentionem facientis* priùs est Ens completum, quàm incompletum, & per consequens Totum, quàm partes. Quare dicendum, quòd Verbum Dei assumpserit partes Humanæ Naturæ mediante Toto. Sicùt enim assumpsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus & animam propter ordinem, quem habet ad Humanam naturam. ex Doctore Angelico *cit. art. 5.* 3. 4. 5. 6.

Supponendum *quartò*. In ordine executionis formari posse quæstionis statum: *Utrum Anima sit medium Hypostaticè uniendi & corpus, imò & totam Humanam Naturam Verbo Divino?* Quem porrò quæstionis statum procedere posse vel de medio (uti sanctus Bonaventura *in 3. dist. 2. art. 1.* vocat) *colligantiæ*, vel de medio *intrinsecè* duntaxat 7.

denominationis, vel de medio habente *prioritatem*
8. *coexigentiæ intrinsecæ*. Primum medium est ipsa formalis uniendi ratio, seu vinculum. Ut sic autem indubitatum est, quòd animâ quà vinculo, seu ratione uniendi formali, sive etiam dispositione mediante, Corpus non sit unitum Verbo Divino. ex sancti Bonaventuræ *cum* & Doctorum *communi sententiâ*.

9. Secundum medium interveniret, si anima sola *secundùm se* uniretur Hypostasi Verbi, Corpus autem ratione animæ duntaxat instar accidentium Christi, quæ non secundùm se *immediatè*, sed *mediatè* duntaxat, ratione Humanitatis cui inhærent, dicuntur à Verbo assumpta. At eo ipso, quòd *Ioan*. 1. Verbum dicatur caro factum, secundùm fidem dici debet Corpus Christi *immediatè* esse unitum Hypostasi Verbi Divini.

10. Tertium medium in eo se tenet, quòd Anima sive *ut Quo*, sive etiam *ut Quod* sit causa, ut Corpus *immediatè* sit unitum Verbo.

11. Supponendum *quintò*. Animam dici medium *ut Quod* assumendi corpus, si non tantùm sit causa hujus assumptionis, sed priùs intelligatur unita Verbo, quàm Corpus: esse verò medium *ut Quo* illius Assumptionis, siquidem sit ratio, quòd corpus sit assumpubile à Verbo, non tamen ipsa priùs assumatur, quàm corpus ex Nazario. *in 3. p. q. 6. art. 3. cont. unicâ. §. Præmittenda sunt prima*.

12. Quibus adeò suppositis, duæ hîc supersunt controversiæ, prima. *Quo executionis ordine partes Humanitatis fuerint à Verbo assumptæ?* Secunda. *Quale fuerit corpus inter duo mortis Christi unitum Verbo Divino?*

CONTROVERSIA I.

Quo executionis ordine partes Humanitatis fuerint à Verbo assumptæ?

1. DUrandus *in 3. dist. 2. q. 2.* negat, in hâc assumptione aliquem fuisse ordinem Naturæ tam inter totum & partes, quàm inter ipsas etiam partes Humanitatis, sed hunc ordinem esse solummodò rationis. Fundamentum est. Nam sicuti caro dicitur à Verbo assumpta mediâ animâ, sic Patres dicunt animam assumptam mediâ mente. Hoc autem non procedit de ordine Naturæ, sed secundùm ordinem rationis fundatæ in dignitate, & Fructu assumptionis. Pari ergo ratione ordo assumptionis in carne & animâ non est secundùm prioritatem Naturæ, sed secundùm partiu Dignitatem, & fructum assumptionis, adeò ut, quia major est dignitas animæ, quàm carnis, nec non major fructus in animâ, quàm in carne, dicatur Verbum assumpsisse carnem mediante animâ, sicut Anima dicitur à Verbo assumpta mediante carne, eò quòd major in mente, quàm in cæteris animæ potentijs fructus participetur ex Verbi assumptione.

2. Scotus *in 3. dist. 2. q. 1. n. 2.* & Rada *in suâ 3. p. cont. 4. art. 4.* negant, Verbum ordine executionis *primò* animam, & hâc mediante Corpus, ac totum assumpsisse. Fundamentum à Scoto deductum est. Nam ex oppositâ Doctrinâ sequitur, quòd Christus in primo instanti non sit verè homo, sicut Socrates.

Probatur ista sequela. Nam Verbum non est verè homo, sicut Socrates, nisi quandò sibi, unitur totus homo, hoc est tota Natura Humana integra. At in primo instanti non fuisset unita nisi anima. Ergo Christus non fuisset primò verè homo, sicut Socrates, & per consequens non *Univocè*.

Subtilis Doctor *citatus n. 6.* & Rada *concl. 4.* affirmat, primum Verbi assumptum *Quod* in ordine etiam executionis fuisse totam Humanam Naturam. Fundamentum est. Nam id est *primò* assumptum, & personatum personalitate Verbi, quod, si sibi dimittatur, *primò* & *per se* personatur propriâ personalitate. Atqui Natura integra sibi dimissa est personabilis in se propriâ personalitate. Major patet, quia Verbum Divinũ supplet vicem suppositi Humanæ Naturæ. Minor autem probatur, si enim ponatur, quòd pars *primò* personetur, non per hoc tota natura personatur; econtra verò sufficit, ponere totam Naturam personari, etsi nulla ejus pars personetur nisi *per accidens*, in quantum est Totius. Ergo superfluit ponere partem *primò* personari, cùm personatio partis non sufficiat sine Totius Personatione, & hæc sine aliâ sufficiat. 3.

Confirmatur ex eodem subtili Doctore *cit. q. 1. n. 3.* Si enim non totus homo *primò* assumitur, non est ejus dependentia *ultimatè* terminata, cùm non terminetur, quantum possit terminari. Igitur Pater posset terminare dependentiam Corporis, & Filius dependentiam Animæ, & tunc una pars posset assumi ab unâ personâ, & alia pars ab aliâ. 4.

Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 6. disp. 1. art. 6. proposit. 3.* docet, ordine executionis Corpus fuisse priùs Naturâ assumptum à Verbo Divino, quàm animam. 5.

Fundamentum est. Nam Terminatio Verbi Divini fuit partibus Humanitatis loco propriæ subsistentiæ. Unde corpus eodem instanti fuit assumptum à Verbo Divino, quo sibi relictum substitisset propriâ suâ partiali subsistentiâ. Atqui Corpus Christi Domini sibi relictum habuisset priùs Naturâ *secundum ordinem executionis* propriam suam partialem subsistentiam, quàm ipsa ejus anima sibi etiam soli relicta habuisset suam. Minor probatur. Eo enim instanti Naturæ *secundum ordinem executionis* Corpus Christi Domini sibi soli relictum habuisset propriam partialem subsistentiam, quo fuit perfectè organizatum, quia eo instanti incepit esse humanum, per ordinem ad animam rationalem, ut proprium suum actum Physicum. Atqui corpus est priùs ordine Naturæ organizatum perfectum, quàm ipsa anima rationalis creetur à Deo, & ex consequenti priusquàm habeat propriam suam partialem subsistentiam. Igitur Corpus Christi Domini sibi relictum fuisset *secundum executionem* priùs ordine subsistens propriâ suâ partiali subsistentiâ, quàm anima subsisteret suâ partiali subsistentiâ. Ergo terminatio Verbi Divini priùs Naturâ facta est ad corpus, quàm ad animam.

Suarez *disp. 17. sect. 1. & 2.* tenet, materiam & animam rationalem *quoad ordinem executionis* priùs Natur- 6.

Naturâ fuisse à Verbo assumptas, quàm unirentur ad componendam Naturam Humanam. Fundamentum est. Nam eodem ordine, ac pro eo signo subrogata fuit subsistentia Verbi, quo debuit dari propria subsistentia creata. At priùs Naturâ subsistunt materia, & anima rationalis suis subsistentijs partialibus, quàm uniantur inter se.

7. Vasquez *disp.37.cap.7.&* 8. item *disp.39.cap.2.&3.* Cardin. de Lugo *disp. 15.* affirmant, animam & corpus non priùs fuisse unita Verbo, quàm unirentur inter se: imò econtra priùs fuisse unita inter se ad componendam Humanitatem, quàm unirentur Verbo. Fundamentum est. Quia subsistentia propria non debetur partibus, sed toti Humanitati, quæ est completa & potens *per se* existere, & ideò datur ei unica simplex subsistentia. Ergo subsistentia Verbi subrogata est pro eodem signo, pro quo resultare deberet propria subsistentia, tunc scilicet quando jam intelligitur tota Humanitas per modum Totius.

8. Didacus Aluarez *prat. q.6. art.5. disp.30.* Joannes à sancto Thomâ *disp.7. art. 4. n.7.& 8.* docent, animam priùs fuisse assumptam à Verbo, non solùm ut medium *Quo* assumendi Humanitatem, sed ut medium *Quod*, id est tanquàm rem in se subsistentem, & ipsâ subsistentiâ terminatam, deinde ex animæ ad corpus unione derivatam esse subsistentiam animæ ad corpus, & Humanitatem.

Fundamentum ex *citato* Joanne à S. Thomâ deductum est. Quia eodem modo subrogatur subsistentia Verbi in assumptione, quo resultaret propria & naturalis subsistentia, si daretur. At anima rationalis in hoc elevatur super alias formas, quòd non solùm est id, quo aliquid existit & subsistit tanquàm principio *Quo*: sed etiam in se verè subsistit, & inde communicatur Toti, ex S. Thomâ *1.p.q.76. art.1. ad 5.& in 1. dist.8. q.5. art. 2. ad 2.* Unde non solùm habet Esse subsistens ut *Quod*, quando est separata, sed etiam quando est conjuncta. Hinc autem fit, quòd Anima Humana, quando creatur in carne, priùs in se habet subsistentiam ex ipsa creatione, deinde hæc anima tanquàm forma *per se* subsistens communicetur carni. Ergò cum subsistentia Verbi intret loco propriæ subsistentiæ, sequitur, priùs uniri animæ, ut rei assumptæ, ac exinde per unionem animæ ad corpus communicari Verbi subsistentiam corpori & Humanitati, ita quidem ut corpori *ordine execqutionis* non *immediatè* uniatur Verbum, tanquàm rei unitæ ut *Quod*, sed solùm mediante composito. Unde præallegatus Author tandem concludit.

9. Divum Thomam *in pref. q.6. art.5.* quando æqualiter de utraque Humanitatis parte dicit, priùs fuisse assumptam, quàm Totum, non determinare, quòd quælibet priùs fuerit unita ut *Quod*, vel ut *Quo*, sed id relinquere determinandum juxta cujusque Naturam, adeò ut anima priùs Naturâ ut *Quod*, Corpus verò tantùm ut *Quo* sit unitum Verbo, quàm tota Humanitas.

CONCLUSIO I.

10. EX proximè deducto fundamento efficaciter probatur, Animam etiam ut medium *Quod* priùs fuisse assumptam à Verbo, quàm totam Humanitatem.

Explicatur. In hoc differt anima rationalis à formis Materialibus, quòd istæ secundùm se præcisè spectatæ *connaturaliter* non fundent emanationem subsistentiæ, sed prout sunt in Toto, unitæ Materiæ: econtra verò Anima rationalis ex se ipsâ etiam quà extra Totum, separata à corpore fundet connaturalem subsistentiæ emanationem. Atqui ex hoc discrimine fit, quòd ex animâ divinitùs non impeditâ in instanti creationis ipsius, pro priori Naturæ *connaturaliter* emanet subsistentia ejus propria, priusquàm intelligatur unita corpori. Probatur tam Major, 11. quàm Minor. Nam formæ substantiales materiales differunt à formâ rationali ac spirituali secundùm imersionem materiæ. Hæc autem imersio materiæ in eo se tenet, quòd non habeant esse, nisi cum dependentiâ à materiâ. At ista dependentia in eo sita est, quòd forma materialis saltem *Connaturaliter* non fundet sui existentiam ac subsistentiam, nisi quatenus actuando materiam, constituit totam Naturam. Ergo forma materialis non *secundùm se præcisè spectata*, sed prout est in Toto, *Connaturaliter* fundat emanationem subsistentiæ. Econtra verò forma rationalis, utpote Spiritualis non habet illam materiæ immersionem. At propter illam à materiâ depurationem producitur per creationem independenter à materiâ. Hinc autem sequitur, quòd pro aliquo Naturæ priori materiæ actuationem antecedente habeat intrinsecam suæ existentiæ determinationem. At eo ipso, quòd existentia creatæ substantiæ sit consequens subsistentiam, oportet; formam rationalem *pro priori Naturæ* actuationem materiæ, atque adeò Totius Naturæ constitutionem antecedente, habere in se quoque fundatam connaturalem subsistentiæ emanationem. At verò Hypostasis Verbi intelligitur terminare formam rationalem *pro illo naturæ priori*, in quo *Connaturaliter* emanaret, nisi Divinitùs impediretur propria ipsius subsistentia. Consequens igitur est, formam rationalem Christi fuisse assumptam à Verbo *pro priori naturæ*, antecedente actuationem materiæ, seu Totius Humanæ naturæ constitutionem. Atqui *pro isto priori* non potest Humanitas intelligi unita Verbo Divino. Ergo forma rationalis Christi eatenus erat constitutiva Humanitatis, ut priùs intelligeretur subsistens per Verbum, quàm Humana Christi Natura. 12.

Dices. Subsistentiâ importare in ratione substantiæ Incommunicabilitatem, atque adeò irreceptibilitatem. Atqui animam rationalem *pro priori naturæ*, actuationem materiæ antecedente, esse communicabilem, ac receptibilem in materiâ, quà subjecto non quidem inhæsionis, sed informationis. Non igitur verificari, quòd Anima rationalis *pro illo priori Naturæ* sit subsistens. 13.

Contra. Nam alia substantiæ irreceptibilitas est *Formalis* sita in actualitate, *formaliter* exclusivâ receptibilitatis in alio, tanquàm substantiâ. Alia est *Radicalis*, importans formalitatem, quæ *connaturaliter* exigit actuationem, non ulteriùs actuabilem in ratione substantiæ. At verò de Essentiâ & quidditate subsistentiæ est, cùm *formalis* in ratione individui Incommunicabilitas ac irreceptibilitas, adeò ut substantia subsistens sit *Essentialiter* exclusiva omnimodæ cum aliâ hypostasi unionis: tum *radicalis* in ratione Naturæ 14.

Naturæ incommunicabilitas & irreceptibilitas, adeò ut substantia subsistens, si non actu in ratione Naturæ sit completa, saltem *connaturaliter* exigat omnimodum in ratione Naturæ complementum. Est autem formæ rationalis præ cæteris formis materialibus proprium, quòd ex statu suo naturali in existendo, atque adeò subsistendo sit independens à materiâ, atque adeò in Creationis suæ instanti *pro priori Natura* fundet subsistentiam ac Existentiam, priusquàm sit recepta in materiâ, tanquam subjecto informationis, licèt *pro illo ipso priori Natura* ab intrinseco & ex suâ Essentiâ ad sui cum materiâ unionem, atque adeò totius Naturæ constitutionem habeat connaturalitatis exigentiam. Consequens igitur est, formam rationalem non instar formarum substantialium materialium taliter uniri materiæ, ut primùm *consequenter* ad istam unionem sit fundans subsistentiam, sed quà *formaliter* subsistens eatenùs unitur materiæ, ut huic, & *consequenter* toti Naturæ sit communicans subsistentiam, ac existentiam. Unde etiam fit, quòd Verbi hypostasis per prius intelligatur unita formæ rationali, quàm corpori, & toti Hu-
15. manitati. Confirmatur. Nam forma rationalis medium tenet statum inter Angelicas & corporeas substantias. In his autem forma substantialis eatenus est immersa materiæ, ut non fundent subsistentiam ac existentiam, nisi quà unitæ materiæ, & ut sic totius Naturæ constitutivæ: Econtra verò substantiæ Angelicæ eatenus sunt à materiâ depuratæ, ut sint actus simplex, ceu forma in ratione Naturæ substantialis ex se completa. Oportet igitur, medium animæ rationalis statum in eo se tenere, quòd sit substantia in ratione Naturæ incompleta, atque adeò in materiâ, ceu informationis subjecto receptibilis; sit tamen in *existendo*, & consequenter *in subsistendo* independens à materiâ, atque adeò *pro priori Natura* actuationem materiæ antecedente sit subsistens, cum intrinseco tamen ipsius etiam subsistentiæ ordine tum ad totius Naturæ constitutionem, tum ad sui communicationem materiæ ac Toti *formaliter* faciendam.

Conclusio II.

16. **C**Orpus Christi ut medium *Quo*, non autem ut medium *Quod* erat Humanitate prius assumptum à Verbo Divino.

Probatur. Nam Medium *Quo* assumptionis ad Verbum dicitur pars Humanæ Naturæ constitutiva, habens ut sic prioritatem respectu Humanitatis tam *secundum se* spectatæ, quàm *consequenter*, ut unitæ Verbo Divino. At *per se* notum est, Humanitatis partem constitutivam esse Corpus, habens ut sic prioritatem causalitatis materialis respectu Humanæ Naturæ, tam *secundùm se* consideratæ, quàm ut receptivæ
17. actionis cum Verbo unitivæ. Econtra medium *Quod* assumptionis ad Verbum dicitur Humanæ Naturæ pars, quæ ut subsistens habet prioritatem respectu Humanitatis, quà unitæ cum Verbo Divino. Unde ex medio *Quod* per prius habente subsistentiam Verbi, fit quædam in Humanitatem redundantia ejusdem hypostaseos communicativa. At Corpus Christi non *per se primò* participabat Hypostaticam Verbi unionem, sed ex animâ *secundùm prioritatem Naturæ* priùs subsistente redundabat hypostatica subsistentiæ Verbi unio in Humanitatem, & in Corpus, quà existens in totâ Humanitate. Probatur istud assumptum. Nam quia hypostasis Verbi succedebat propriæ Humanitatis subsistentiæ, sequitur, *pro eodem Natura instanti* intelligi hypostaticam Verbi unionem terminatam ad Corpus Christi; pro quo signo materia Humanitatis Christi intelligitur participare actionem Verbi unitivam. Atqui materia Corporis Christi, utpote *ex se* pura potentia, *in se* non fundat actualitatem existentiæ ac subsistentiæ, sed habet eam sibi communicatam ex actuatione formæ. Ergo nequit intelligi unita Verbo, nisi *pro signo posteriore* materiæ cum formâ unionem consequente. In hoc verò signo materia, seu corpus quà formæ unitum intelligitur esse in toto. Nequit ergo corpus Christi intelligi unitum Verbo, sive subsistens Verbi hypostasi, pro signo antecedente totius Humanitatis constitutionem. ex sancto Thomâ *praes. q. 6. art. 1. & art. 4. in corpor. & ad 3.* Ergo non potest Materia seu Corpus in ordine ad Humanitatis ad Verbum assumptionem esse medium *Quod*, sed medium *Quo* duntaxat. 18. 19.

Dices. Si Verbi Hypostatica unio non fit ad Corpus Christi, nisi quà unitum animæ rationali, sequi, talem unionem in instanti mortis Christi desijsse. At Verbum, quod semel assumpsit, nunquam, ne in triduo quidem mortis, dimisisset. 20.

Contra. Nam sicut in instanti mortis Christi in materiam seu corpus ipsius introducebatur alia substantialis forma Corporea, sic ista habebat in se intrinsecam determinationem, & connaturalem exigentiam ad aliam creatam hypostasin. At verò istam creatam hypostasin eatenus Deus tunc impediebat, ut Corpus Christi illâ novâ corporeâ formâ actuatum terminaretur Increatâ Verbi hypostasi. Hæc verò corporis Christi per Verbi divini hypostasin terminatio fiebat, mediante novâ Verbi unitivâ actione, *secundùm prioritatem Naturæ* priùs receptâ in toto illo substantiali, quàm in ejus formâ & materiâ, ita ut neutra istarum esset medium *Quod*, sed *Quo* duntaxat ad corpus illud Christi, seu totum substantiale hypostaticâ Verbi unione terminandum. Constat proinde, præadducto argumento probari quidem, quòd actio Humanitatis cum Verbo unitiva in instanti mortis Christi eatenus desierit, ut in Corpus tamen Christi novâ corporeâ formâ actuatum succederet alia hypostaseos Verbi unitiva actio. 21.

Instabis. Ex hoc discursu evinci, quòd vel Actio animæ cum Verbo unitiva sit distincta ab actione Verbi ad totam Humanitatem unitiva, vel illa animæ cum Verbo unitiva actio desierit in instanti mortis Christi, atque nova in ejus locum successerit. At utrumque videri absurdum. Probatur tam Major, quàm Minor. Nequit enim in instanti mortis Christi mansisse actio Verbi unitiva, recepta in totâ Humanitate. Hinc autem sequitur, quòd animæ corpori Christi unitæ fuerit duplex cum Verbo unitio, altera *per se primò* ad animam substantiæ terminata, altera terminata ad animam, quà unitam corpori. Hoc autem videtur absurdum. Insuper *supra* dicebatur, actionem Verbi cum 22. 23. 24.

corpore

corpore animæ unito unitivam desijsse in instanti mortis Christi. Hinc autem videtur, quòd vel duplex cum Verbo fuerit unitio animæ, vel quòd etiam animæ cum Verbo unitiva actio desierit in instanti mortis Christi, nec adeò actio ejusmodi mensurata fuerit æternitate, sed duratione duntaxat temporaneâ mutationi obnoxiâ.

Contra. Nam aliter fit unitio Verbi ad sub-
25. stantiâ actione creativâ productam, aliter verò ad substantiam generatione productam. Etenim Creatio est Deo *formaliter* immanens, ac *virtualiter tantum* transiens actio, cujus in quarto perseitatis modo formalissimus ac proprius effectus est *Esse existentiæ* ac *subsistentiæ*. Unde anima per creationem producta pro instanti hujus creationis suæ eatenùs est *intrinsecè* determinata ad suam hypostasin, ut Deus ipsâ volitionis ac Dictionis suæ efficaciâ, vel *juxta connaturalem exigentiam animæ*, in hâc ponat hypostasin ipsius propriam, vel divinam suam subsistentiam ei subroget, non mediante aliquâ actione extra Deum transeunte, sed purè immanente, ac *virtualiter* duntaxat transeunte. At per se notum est, actionem Deo *Formaliter* immanentem mensurari æternitate, nec adeò esse mutatam in instanti mortis Christi. Unde etiam fit, quòd ratio, cur hypostasis Verbi sit unita animæ, *Formaliter* derivetur in purissimam hypostasis Verbi actualitatem, in se *formaliter Eminenter* continentem creatæ subsistentiæ formalitatem; *Efficienter* verò & *Causaliter* derivari debeat in efficaciam Divinæ volitionis ac dictionis. Cur
26. autem hoc tempore dicatur facta illa unio, hoc non *secundùm denominationem Durationis intrinsecæ*, sed *secundùm connotationem actionum* animæ Verbo unitæ propriarum ex se mobilium, atque ut sic tam intrinseco, sibi identificato motu, quàm extrinseco Primi mobilis motu commensurabilium. Constat proindè, animam Christi priùs, quàm intelligatur unita corpori mediante actione generativâ, vi illius creativæ actionis intelligi hypostasi Verbi terminatam *pro tali naturæ priori*, quod æternitate *ex parte causalitatis effectricis* Deo immanente, *ex parte* verò *formalis animæ ad Verbi hypostasin determinationis*, participatâ animæ intrinsecâ æternitate sit com-
27. mensuratum. Secùs est de humanitate per actionem generativam productâ. Hujus enim per hypostasin Verbi terminatio fit mediante actione creatâ, receptâ in humanâ Christi naturâ. Unde mensuratur *intrinsecè* duratione mutabilitati subjectâ, atque adeò temporaneâ; ut adeò in mortis Christi instanti desierit, & alia in corpus novâ formâ corporeâ actuatum successerit. Patet proinde, ad corpus Christi vivum Verbo unitum, ejusque animam terminari duplicem Dei actionem; Alteram transeuntem, in totâ Humanitate receptam, quæ fuit mutabilis, temporaneâ duratione mensurata; dum Christi Humanitas erat passibilis, modò verò ab instanti gloriosæ resurrectionis immobilis est ac mensurata æternitate participatâ; Alteram Deo *formaliter* immanentem, quæ terminatur ad substantiam animæ actione creativâ productam, & ut sic subsistentem pro signo Naturæ antecedente ipsius cum corpore unionem.

Responsio ad opposita Argumenta.

28. AD Fundamentum ex parte Durandi *nu. 1.* oppositum Respondetur: Secundùm quid duntaxat, non absolutè ac simpliciter verificari, quòd, sicut caro mediante animâ, sic anima mediâ mente sit assumpta à Verbo. Hanc enim comparationem veram esse, tum *secundùm ordinem dignitatis*, tum *secundùm participationem fructûs* ex Hypostaticâ Verbi unione *derivati* in partes 29.
assumptas. Nihilominùs præter hunc Dignitatis ac specialis prærogativæ ordinem dari alium, ratione cujus anima, sicuti naturæ suæ relicta *secundùm prioritatem Naturæ* intelligitur priùs subsistens, quàm subsistentiæ suæ actualitas derivetur in Totum, sic consequenter ad ordinem hypostaticum elevata, per prius intelligitur subsistens per Divinam Verbi hypostasin, quàm hujus personalis unio derivetur in Humanitatem & Corpus. Quare licèt Patres de priori Dignitatis ordine duntaxat fecissent mentionem, nō licere idcircò hunc posteriorem Naturæ ordinem excludere, utpote qui non minus, ac ille prior Dignitatis ordo nitatur firmo fundamento.

Ad Scoti *n. 2.* oppositum Respondetur, ne- 30.
gando ejus probationem. Sicut enim in primo animæ Socratis creationis instanti, attendendo ad signum *Naturæ*, quo anima illa in se ipsâ fundat hypostasin, est subsistens antecedenter ad corporis actuationem, & totius Humanitatis constitutionem: sic anima Christi à propriæ connaturalis Hypostaseos in se resultantiâ Divinitùs impedita, intelligitur pro *Naturæ* signo corporis informationem antecedente habuisse unitam sibi Divini Verbi subsistentiam. Negandum proinde est, quòd Christus non *univocè* ac non æquè, ac Socrates verè esset Homo; si anima ipsius *ordine executionis* esset priùs unita Verbo, quàm Corpori Christi.

Ad subtilis Doctoris *n. 3.* oppositum Re- 31.
spondetur. Nisi quæstio sit de nomine Personæ significantis Naturam integram subsistentiâ terminatam, posse de re ipsâ loquendo, rem taliter definiri, quòd scilicet id *primò* subsistat, quod in se *primò* fundat subsistentiam. At animæ rationalis, quà distinctæ à formâ corporeâ est proprium, habere in se eatenus fundatam subsistentiam sui Perfectivam, ut ex eâ derivetur in corpus sibi unitum, atque adeò in totam Humanitatem. Si proindè in Christo id *primò* sit personatum, sive subsistens, quod, si sibi dimittatur, *primò* & *per se* subsistat propriâ in se *primò* radicatâ subsistentiâ, consequens est, animam rationalem Christi esse *primò* assumptam à Verbo Divino, ita tamen; ut tota Humanitas non tantùm *per accidens*; seu *mediatè*, sed *per se*, ac *immediatè* unita Verbo subsistat per hujus personalitatem.

Ad ejusdem subtilis Doctoris confirmatio- 32.
nem oppositam Respondetur. In antecedente subtilem involvi fallaciam. Nam pro illo *Naturæ* instanti, in quo anima rationalis Christi dicitur *primò* assumpta, necdum intelligitur Humanitas. Quomodò igitur pro tunc dici potest, quòd ejus dependentia non sit *ultimatè* terminata? Etsi proinde absolutè non repugnet, dependentiam corporis à Patris Hypostasi, dependentiam autem animæ à Filij hypostasi terminari, eo ipso tamen, quòd subsistentiæ in hâc animâ rationali radicatæ succedat hypostasis Filij, debet consequenter *secundùm connaturalitatis proportionem*

portionem ejusmodi hypostatica unio *per se* ac *immediatè* communicari toti Humanitati.

33. Ad Ysamberti *n.5.* oppositum Respondetur, Negando Minorem, ejusque probationis Majorem: Falsum enim est, tum quòd corpus habeat suam propriam partialem subsistentiam, tum quòd materia organizata pro instanti organizationis perfectæ creationem animæ antecedente habeat subsistentiam, tum denique quòd per prius sit subsistens, quàm unita animæ rationali. Etenim subsistentia, ceu ultima in ratione substantiæ actualitas, neque potest esse *primò* radicata in purâ materiæ potentialitate, neque in formâ accidentali: sed in actu substantiali, sive quà unito corpori, veluti se res habet in formis substantialibus materialibus; sive secundùm se etiam separatim considerato, veluti se res habet in formâ spirituali.

34. Ad Suarezij *n. 6.* oppositum Respondetur, concessâ Majore, negando Minorem. Nam materia antecedenter ad sui cum formâ unionem est in ratione substantiæ pura potentia. Quomodò ergo potest in se habere fundatam actualitatem subsistentiæ.

35. Ad Cardinalis de Lugo *n. 7.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd subsistentia *quoad connaturalitatis suæ statum integrum* exigat totam Naturam substantialem completam: attendendo tamen ad *primam subsistentiæ radicem*, oportere, istam primæ radicis formalitatem eatenus poni in Formâ substantiali, ut si hæc sit materialis, ex eâ non nisi quà corpori unitâ, & ut sic totius Naturæ constitutivâ sit *connaturaliter* emanans hypostasis: si verò forma sit spiritualis, ex ipsâ *secundùm se præcisè* & *absolutè* spectatâ *connaturaliter* emanet subsistentia *pro Naturæ priori antecedente* ejus cum corpore unionem. Si ergo verum sit, quòd subsistentia Verbi *pro eodem signo* sit subrogata, pro quo resultare deberet propria subsistentia, consequens est, animam rationalem Christi priùs unitam fuisse Verbo, quàm uniretur corpori.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Quale fuerit Corpus in triduo Mortis Christi unitum Verbo Divino?

1. THeologis Orthodoxis indubitatum est, in Triduo mortis Christi Corpus mansisse hypostasi Verbi unitum; siquidem commune in Patribus, nominatim Joanne Damasceno fundatum sit axioma, Verbum nunquàm dimisisse, quod semel assumpsit. Ex quo tamen duæ emergunt difficultates. Altera; *An Corpus Christi mortuum sine omni formâ substantiali manserit unitum, vel de potentiâ Dei saltem absolutâ esset unibile hypostasi Verbi Divini?* Altera, *Qualem formam substantialem habuerit Corpus Christi mortuum?*

2. Circa primam difficultatem Suarez *disp. 14. sect. 3. concl. 1.* docet, materiam primam *per se* assumptibilem esse sine formâ. Fundamentum est. Quia materia prima omni formâ substantiali carens, licèt non habeat actum formalem, & hoc sensu dicatur pura potentia, habet tamen suum actum entitativum, & partialem existentiam, in quâ potest conservari sine Formâ; quia licèt fortassè *secundum ordinem Naturæ* à formâ pendeat, non tamen pendet ab ipsâ, ut causâ *intrinsecè* ac *formaliter* constituente entitatem ipsius. Unde potest Deus *Effectivè* supplere illam dependentiâ, sicut supplet in accidente dependentiam à subjecto, quando separatum illud conservat. At posito illo casu, per se evidens est, materiam sic existentem posse uniri *Hypostaticè* Verbo Divino, quia talis materia esset subsistens subsistentiâ partiali. Hoc autem satis esset, ut posset *hypostaticè* assumi, sicut anima rationalis separata assumi potest, quia subsistens est, licèt per modum partis.

3. Oppositum sentiunt Alvarez *disp. 22. concl. 3.* Vasquez *disp. 30. cap. 5. in fine.* Nazarius *præs. q. ar. 1. cont. un.* Joannes à Sancto Thomâ *disp. 7. ar. 3. n. 11.* Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ deductum est. Quia Entitas materiæ, licèt non sit nihil, sed Ens reale, est tamen pura potentia, quæ est actus ultimus Entitativus, existentiæ incapax, nisi mediante formâ, tanquàm actu primo, & specifico, & Formali. Ergo si *Essentialiter* non est capax habendi propriam existentiam, vel subsistentiam *immediatè* sine formâ, etiam incapax est, ut per Existentiam, vel subsistentiam Divinam subrogatam loco propriæ reddatur existens, vel subsistens *immediatè*, & semper indiget Formâ: siquidem subsistentia & existentia Divina non se habeant ut forma, quæ est actus primus, sed ut terminus, neque informent constituendo Naturam, sed terminando.

4. Circa secundam difficultatem Scotus *in 4. dist. 11. q. 3. art. 1. nu. 54.* sentit, Corpus Christi in triduo mortis habuisse formam corporeitatis, quæ eadem numero manserit in corpore Christi mortuo, ac vivo. Fundamentum est. Quia si in triduo mortis Christi servata fuisset Eucharistia, idem fuisset corpus Christi, quod antea esset conservatum, & tamen non haberet animam rationalem. Ergo aliqua forma mansisset, quæ separatâ animâ, rectè dicitur forma Corporeitatis, per quam materia est in actu partiali, estq; proximum receptivum animæ intellectivæ, licèt non sit per illam in genere corporis, prout corpus est genus, nisi per reductionem.

5. Econtrario Sanctus Thomas *in p. 1. q. 76. a. 3. & 4.* Item *2. contra gent. cap. 58.* item *7. metaphys. lect. 1.* item *de animâ a. 11.* alijque authores communiter relati à Banne *lib. 1. de generat. sect. 8.* & Suarezio *disp. 13. metaph. sect. 3. n. 12.* negantes, in uno composito substantiali posse dari plures formas substantiales, consequenter rejiciunt in homine illam Corporeitatis formam, quæ post mortem remaneat in corpore. Fundamentum à Sancto Doctore *citato ar. 4.* deductum est. Nam forma substantialis in hoc differt à formâ accidentali, quòd ista non det *Esse* simpliciter, sed tale *Esse*. Forma autem substantialis det *Esse* simpliciter. Si ergo præter animam intellectivam in homine præexisteret quæcunque alia forma substantialis in materiâ, per quam subjectû seu materia esset Ens in actu, sequeretur, animam non dare *Esse* simpliciter, nec consequenter esse formam substantialem. At ista sunt falsa. Ergo & id, ex quo sequuntur.

CONCLU-

Conclusio I.

6. Implicat, materiam primam nullâ formâ substantiali informatam Hypostaticè uniri Verbo Divino.

Probatur. Nam Divina personalitas & existentia non est unibilis substantiæ creatæ, nisi quatenus eam terminat in ratione puri per se subsistentis termini. Unde substantiæ creatæ ad Divinam hypostasin, vel existentiam assumptibilitas *Essentialiter* dicit statum obedientialis per Divinam subsistentiam terminabilitatis. Hæc autem obedientialis terminabilitas non est intelligibilis, nisi pro illo statu, in quo substantia est capax propriæ subsistentiæ ac existentiæ.

7. Probatur istud assumptum. Tum quia Divina subsistentia, ac existentia nequit substantiæ creatæ formalem *subsistendi*, ac *existendi* effectum communicare, nisi quatenus supplet propriam creatæ substantiæ hypostasin ac existentiam. Nequit autem Divina hypostasis intelligi supplere creatam subsistentiâ ac existentiam, nisi pro statu, in quo substantia creata est capax suæ ultimatæ per propriâ hypostasin ac existen-
8. tiam actualitatis. Tum quia potentia obedientialis ad Divinam, & Naturalis ad propriam subsistentiam in creatâ substantiâ est una & eadem entitas; ut adeò illa obedientialis ad hypostasin Divinam potentia non sit intelligibilis, nisi pro signo, in quo intelligitur innata substantiæ creatæ ad propriam hypostasin capacitas. At verò materia prima non nisi *pro illo signo* intelligibilis est habere capacitatem ad subsistentiæ & existentiæ actualitatem, *in quo signo* jam intelligitur informata & actuata per formam substantialem.

9. Probatur istud assumptum. Nam Existentia substantiæ creatæ est actus secundus Entitativus *in essendo*, sicut operatio est actus secundus *in operando*. Sicut ergo operatio *Essentialiter* supponit actum primum operativum, sic existentia *Essentialiter* supponit actum primum Entitativum. Atqui materia prima est pura potentia, nec ullum adeò actum Entitativum includit, sed istum habet à Formâ, per quam determinatur ad certam substantiæ speciem. Consequens proinde est, Existentiam non posse actuare materiam, nisi quà informatam Formâ substantiali, veluti *seq. quæst. ar. 1. cont.* 1. exactiùs probabitur. Cùm igitur materia prima *pro illo duntaxat signo* sit unibilis Divinæ subsistentiæ ac existentiæ, *pro quo signo* est capax creatæ hypostasis ac existentiæ, sequitur, materiam primam non esse à Divinâ personâ assumptibilem, nisi quà informatam formâ substantiali.

Conclusio II.

10. Repugnat, in Corpore Christi vivo præter animam rationalem fuisse aliam Corporeitatis formam, quæ manserit in triduo mortis.

Probatur Ratione Divi Thomæ *supra n. 4.* allegatâ: Nam forma substantialis eo ipso dat *Esse* simpliciter substantiale, quòd sit proxima radix *Esse* per se subsistentis. At repugnat, eidem materiæ inexistere duas formas, quæ sint radices duplicis *Esse* per se subsistentis. Major patet; Tum quia *Esse* accidentis secundùm Philosophum est *Esse* tantùm *secundùm quid*; non aliam ob causam, nisi quòd non habeat *Esse* per se subsistens, sed sit Entis Ens. Tum quia substantia ex Philosopho definitur, quòd sit Ens *per se* existens. Atqui actus substantialis creatus ex hoc differt ab actu puro substantiali, scilicet Deo, quòd iste *Formaliter* in suâ essentiâ importet *Esse* subsistens, ille verò tantùm *Radicaliter*. Oportet igitur, formam substantialem, seu actum substantialem creatum, esse proximam radicem *Esse* per se subsistentis. Minor probatur. 12.
Si enim in unâ Naturâ creatâ non sit compatibile duplex *Esse* subsistens, sequitur; duos quoque actus substantiales duplicis *Esse* subsistentis radices proximas saltem *connaturaliter* stare non posse in unâ creatâ Naturâ. At eo ipso, quòd in Christi Humanâ Naturâ præter animam rationalem esset substantialis forma Corporeitatis, oporteret, in unâ creatâ Naturâ esse duos actus substantiales *intrinsecè* fundantes duplex *Esse* subsistens. Probatur ista sequela. Sicut enim 13.
substantiæ primæ individuatio completa importat hypostasin, sic actus substantialis incompleti individuatio est *Esse* subsistentis radix intrinseca. Hinc autem fit, quòd duplex actus substantialis *Connaturaliter* exigat duo *Esse* subsistentia, seu formalia *in Esse completo individuo* constitutiva. Cùm igitur repugnet, in Christi humanâ Naturâ fuisse duplicem actum substantialem, seu connaturalem duplicis *Esse* subsistentis radicem, consequens est; præter animam rationalem non fuisse in ipso aliam substantialem corporeitatis formam, quæ in triduo mortis manserit in Christi Corpore. At hoc in triduo mortis oportuit, esse informatum aliquâ substantiali formâ, mediante quâ ejus materia esset capax subsistentiæ, atque adeò hypostaticæ cum Verbo unionis. Dicendum proinde, quòd animæ in Christi corpore mortuo successerit alia substantialis forma, quæ unà cum materiâ esset hypostaticè unita Verbo Divino.

Responsio ad opposita fundamenta

Ad Suarezij *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur, negando Majorem. Nam materia est pura potentia, cui actum formalem ac specificū tribuit forma. Hæc verò est causa subsistēdi. Unde actus specificus, tametsi *logicè secundùm præcisionem universalem* abstrahat ab individuatione; *physicè* tamen spectatus importat *formaliter* individuationem radicalem, ac incompletam: subsistentia verò hanc consequens est individuatio completa ac positiva; quæ licet non sit de quidditate Naturæ, *formaliter* tamen involvitur in ratione primæ substantiæ. At verò existentia est omninò extra quidditatem substantiæ creatæ, etiam quà primæ. Patet proinde, quòd materiæ primæ sine formâ spectatæ nulla sit propria vel existentia, vel subsistentia. Ergo quia hypostasis & Existentia Divina Naturæ creatæ non est unibilis, nisi in vicem propriæ subsistentiæ ac existentiæ, consequens est, materiam primam sine formâ, non esse hypostaticè assumptibilem à supposito Divino.

Ad Scoti *n. 3.* oppositum Respondetur. Si 15.
sermo sit de identitate Corporis Christi vivi ac mortui

mortui, posse quæstionem procedere de identitate vel *formali*, vel *individuali* incompletâ, vel suppositali & individuali completâ. At primam Identitatem esse ex formâ, ut adeò post animæ rationalis separationem, ne admissâ quidem Corporeitatis Formâ, manserit *formaliter* idem Corpus Christi, ac fuerat priùs, dum erat u-
16. nitum formæ rationali. Deinde identitatem Individualem incompletam substantialiter situtam esse in radice seu causâ intrinsecâ subsistendi, cujusmodi est forma in se fundans hypostasin substantiæ creatæ propriam. Unde hanc Corporis Christi vivi individuationem esse *formaliter* per animam rationalem, nec adeò hac separatâ *secundùm individuationem incompletam* man-
17. sisse idem corpus. Denique Individuationem completam substantiæ quâ primæ constitutivam esse ipsammet hypostasin. At verò eandem Verbi hypostasin Humanitati Christi unitâ mansisse conjunctam Corpori Christi mortuo. Unde hoc *suppositaliter* ac *secundùm individuationem completam* seu *positivam* idem fuisse cum Corpore Christi vivente.

ARTICULUS II.

De Unione Divinæ Hypostasis cum sanguine, alijsque Humani corporis humoribus, nec non capillis & unguibus.

1. NE morari nos oporteat in somnijs Hæreticorum, missum facimus errorem Osiandri Calvinistæ, contendentis sanguinem à Christo effusum omninò evanuisse, atque corruptum fuisse. Si enim Petrus Apostolus *Act. 2.* illud *Psalmi 15. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, accepit de Christo, consequens est, nullâ sanguinem Christi corruptione infectum esse.

2. In præsenti igitur controversias aliquot inter ipsos orthodoxos Theologos agitatas discutere intendimus. Primò. *Utrùm sanguis Christi æquè ac caro fuerit immediatè assumptus à Verbo Divino?* Secundò. *Utrùm in triduo mortis Christi sanguis manserit unitus hypostasi Verbi?* Quibus per modum Corollarij subjungemus de reliquis corporis Humani Humoribus, nec non unguibus, dentibus, capillis, probando hosce *fuisse etiam immediatè unitos hypostasi Verbi?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm æquè Christi Sanguis, atque Caro fuerit immediatè assumptus a Verbo Divino?

1. DUrandus *in 4. dist. 10. q. 1* Gabriel *lect. 53. in canonem missæ*, negant. Fundamentum est. Verbum Divinum non assumpsit *immediatè* duas Naturas. Unde si sanguis Christi esset *immediatè* unitus Verbo, deberet ejusdem cum carne Humanâ esse Naturæ, atque adeò eâdem rationali formâ informari. Hinc autem sequeretur, quòd æquè sanguis, atque caro esset pars hominis. Atqui Aristoteles 2. *de partibus animalium. cap. 10.* negat, sanguinem esse partem animalium. Sicut ergo sanguis Christi non informatur animâ rationali, sic nec *immediatè* unitur Verbo Divino.

Cajetanus *3. p. q. 14. ar. 2. in respons. ad 3.* Nazarius *præs. q. 1. ar. 2. cont. unic. concl. 2.* distinguunt duplicem sanguinem; Alterum *Nutrimentalem* ex cibo & potu factum, nec adhuc perfectum, sed impurum ac vitæ expertem, quem sicuti non est pars, nec ad Naturæ veritatem pertinet, sic ait, non fuisse hypostaticè assumptum à Verbo Divino. Alterum vitalem, perfectum, & animâ rationali informatum sanguinem, Author prætactus asserit, unitum fuisse Verbo Divino. Fundamentum de nutrimentali sanguine est. Quòd Divus Thomas *1. p. q. 117. ar. 1. ad 3. & 3. par. q. 31. ar. 5.* item *quodlibeto. 5.* asserat, *dari sanguinem nutrimentalem, qui non sit pars actualis naturæ, sed in potentiâ, seu in viâ.* Verùm totum Christi sanguinem fuisse Verbo Divino *immediatè* unitum, Theologi communiter conformiter S. Thomæ *quodlib. 5. ar. 5.* docent, nominatim Capreolus *in 4. dist. 10. q. 2. ad 4, contra 1. concl.* Scotus *eâd. dist. q. 1. ar. 2.* Major *in 3. dist. 37. q. 25.* Medina *præs. q. 5. ar. 2.* Suarez *disp. 15. sect. 6.* Ysambertus Sorbonicus *ad præs q. disp. un. ar. 3.* Vasquez *disp. 36. cap. 4.* Cardinalis de Lugo *disp. 14. sect. 2. & 3.* Franciscus Amicus *disp. 15. sect. 7. concl. 2.* Joannes à Sancto Thomâ *disp. 7. ar. 3. n. 2. ac sequentibus.* Fundamentum ex Sacræ Scripturæ, ac Patrum authoritate petitum est. *Nam Heb. 2. cap.* sic habetur. *Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Hic enim Sacer textus æqualiter loquitur de participatione carnis & sanguinis. Unde in 8. ad Nestorium Cyrilli Alexandrini *Epist.* approbatâ in Concilio Ephesino *to. 1. cap. 12.* & Chalcedonen. *Act. 1. post medium* sic habetur. *Verbum factum esse carnem, nihil est aliud, quàm quòd in carne & sanguine nobis communicavit, ac nostrum corpus proprium sibi effecit.* Atqui Verbum est caro factum *hypostaticè* ac *immediatè* sibi uniendo carnem. Sicut hæc igitur carnis, sic & sanguinis communicatio importat Verbi unionem immediatam & hypostaticam, veluti clarè asserit Cyrillus *in homiliâ* habitâ in Concilio Ephesino, quòd Verbum, cùm Deus sit, carnem assumpserit & sanguinem.

Hinc aliquem saltem sanguinem *immediatè* fuisse assumptum ab hypostasi Verbi Divini, est adeò certum, ut opposita opinio à Capreolo & Joanne à sancto Thomâ notetur ut erronea in fide ac hæretica, à Vasquezio, Suarezio & Medinâ tanquàm digna erroris, aut temeritatis notâ. 4.

Conclusio I.

EX præallegato fundamento est pro indubitato tenendum. quòd Christi sanguis sit *immediatè* unitus hypostasi Verbi Divini. 5.

Probatur. Nam eo ipso, quòd tota Hu-

manitas

manitas sit hypostaticè assumpta à Verbo, sequitur, omnes ejus partes esse ipsius hypostasi unitas: Sancto Damasceno *lib. 3. orthod. fidei. cap. 6.* attestante in hæc verba: *Omni humanæ Naturæ unitam dicimus omnem Divinitatis substantiam.* Et infra. *Totum enim me totus assumpsit: & toti unitus est.* Atqui sanguis est pars Humanitatis à Verbo assumptæ. Minor probatur ex Concil. Trident. *sess. 13. cap. 3.* definiente, quòd *in Sacramento Eucharistiæ corpus sit sub specie vini, & sanguis sub specie panis, animaque sub utrâque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexerit non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* Ex quo ita licet argumentari. Propositio, super quâ fundatur definitio fidei à Concilio universali emanans, est indubitatæ veritatis. Atqui super eo, quòd sanguis sit pars Christi Domini, fundatur articulus fidei à Concilio Tridentino definitus, quòd sanguis Christi sit in Eucharistiâ per concomitantiam sub speciebus panis. Ergo sanguinem esse Christi Domini, ejusque adeò Humanitatis partem, est veritatis indubitatæ. At eo ipso, quòd ex fidei doctrinâ certum sit, Verbum factum hominem assumpsisse totam Humanam naturam, pro indubitato tenendum est, quòd omnes Humanæ Naturæ partes in Christo sint *hypostaticè* unitæ Verbo Divino. Ergo sanguinem Christi esse unitum hypostasi Verbi Divini, pro indubitato est tenendum.

CONCLUSIO II.

6. Simpliciter fatendum est, quòd totus Christi sanguis sit Hypostaticè assumptus à Verbo Divino.

Probatur ex Extravag. *Unigenitus. de poenit. & Remission.* Ubi de sanguine Christi sic habetur. *Quem in arâ Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro Redemptione totius Humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Ex quo taliter argumentari licet. Hæc Pontificia definitio loquitur *indefinitè* de guttâ Christi sanguinis effusi pro Redemptione Humani generis. In materijs autem fidei propositio indefinita æquipollet universali. Unde de quâlibet sanguinis etiam Nutrimentalis à Christo effusi guttâ verificatur, quòd *propter unionem ad Verbum* sufficerit pro Redemptione Humani generis. At ista Verba *propter unionem ad Verbum* non referuntur ad Humanitatem, sed ad sanguinem effusum pro nobis. uti patet ex ipsomet textu: Oportet igitur, quamlibet sanguinis etiam Nutrimentalis à Christo effusi guttam fuisse unitam Verbo Divino.

7. Dices. Sanguinem nutrimentalem non *simpliciter*, sed *secundùm quandam* duntaxat *Analogiam* ac *dispositivè* esse sanguinem: siquidem non sit sanguis vitalis, sed sit tantùm in viâ ad istum. At illa verba Pontificia accipi debere de quâlibet guttâ sanguinis *propriè* ac *simpliciter* dicti.

8. Contra. Nam sanguis Beatissimæ Virginis, ex quo formatum fuit Christi Corpus, erat talis, qualem cæteri filii à suis matribus accipiunt. Ejusmodi verò sanguinem fuisse nutrimentalem, ex Aristotele & Cajetano probat Amicus *cit. sect. 7. n. 102.* At verò sanguinem, ex quo formatum fuit Christi Corpus, oportet fuisse partem beatissimæ Virginis. Minor ista probatur. Nam ex eo, quòd Corpus Christi fuerit formatum ex sanguine Virginis, dicitur hæc Mater Christi. Maternitas autem fundatur in generatione vitali. Hæc verò est origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem Naturæ. At per principium conjunctum intelligitur pars aliqua Naturalis, decisa à principio generante, & communicante vi generationis ipsi genito. Ergo sanguis ille Virginis, ex quo formatum fuit Corpus Christi, ut hic diceretur Filius Virginis, fuit pars humanæ naturæ Virginis. Ergo sanguis etiam nutrimentalis est pars humanæ Naturæ *simpliciter* dicta. Atqui Verbum Divinum in Christo habet sibi hypostaticè unitas omnes partes Humanitatis. Ergo sanguis etiam nutrimentalis in Christo erat *Hypostaticè* unitus Verbo Divino.

10. Confirmatur. Nam Doctrina illa Fidei, quòd beatissima Virgo sit Mater Christi, atque adeò Christus acceperit ab ipsâ partem Humanitatis, non debet fundari super incerto philosophico fundamento; *An scilicet sanguis vi generationis à Beatissimâ Virgine communicatus Christo, fuerit informatus per animam rationalem?* Unde ut sanguis ille dicatur pars Humanitatis Christi, non pendet ex eo, quòd asseratur informatus animâ rationali Christi; sed ut ex vi organizationis ab animâ impressæ, per modum principij activi, vel passivi ab intrinseco habeat quandam subordinationem, seu coordinationem ad Humanitatis vitales, & connaturales operationes, seu functiones. At verò etiam abstrahendo ab illâ quæstione, *Utrùm sanguis Virginis, ex quo formatum fuit Christi Corpus, fuerit vitalis, vel nutrimentalis?* omninò subsistit, quòd hic, seu quivis nutrimentalis sanguis ex vi alicujus ab animâ impressæ organizationis, per modum principij saltem passivi ab intrinseco habeat quandam subordinationem seu coordinationem ad vitales Nutritionis & generationis actiones. Ergo sanguis etiam Nutrimentalis, licèt non vivat vita vegetativâ animæ rationalis, debet dici *simpliciter* pars Humanitatis. Ergo cùm omnis pars Humanitatis Christi sit assumpta ab hypostasi Verbi Divini, sequitur, ejusmodi nutrimentalem sanguinem in Christo fuisse *hypostaticè* unitum Verbo Divino.

11. Instabis. Ex hoc discursu evinci, quòd etiam Cambium & Ros in humano Christi corpore adhuc mortali existentia, fuerint unita Verbo Divino: sicuti spiritus quoque vitales & animales, imò chilum etiam: siquidem ista æquè ac sanguis nutrimentalis ab intrinsecâ dispositione per modum Principij saltem passivi jam habuerint quandam coordinationem ad vitalem nutritionis actionem. At videri, quòd ista, supervacaneè dicantur.

12. Contra. Nam in istâ materiâ taliter est discurrendum, ut primum fundamentum ponamus in principio vel per Fidem Theologicam credito, vel saltem fidei proximo. Ejusmodi verò principium est, quòd sanguis Christi fuerit Verbo Divino unitus, fueritque adeò pars Humanæ Christi Naturæ. At verò istæ certæ, Fidei proximæ propositiones non debent reduci ad incertum Philosophicum Principium, *An scilicet sanguis humanus informetur animâ rationali, vel*

li, vel aliâ formâ substantiali. Quare abstrahendo ab istâ quæstione, dici debet sanguis esse pars integrans humanæ Naturæ, sive sit informatus per animam rationalem, sive per aliam formam substantialem. Hæc autem partis integrantis ratio, abstrahendo ab animæ rationalis informatione, non salvatur, nisi dicatur humor corpori humano inexistens esse hoc ipso pars humanitatis integrans, si habeat organizationem, seu dispositionem connaturalem ab animâ rationali impressam, vi cujus sit *intrinsecè* proportionatus, ut per modum principij saltem passivi connaturalem habeat subordinationem ad vitalis animæ motiones. Atqui

13. ejusmodi inprimis sunt in Corpore humano Ros & Cambiu. Hi enim humores sunt ipse sanguis, prout in viâ est transeundi in formam Carnis, diciturque Cambium, dum est in principio transmutationis, Ros verò dicitur, dum est in progressu transmutationis ac dealbari incipit. Deinde spiritus vitales & animales ab intrinseco habent organizationem vi cujus inserviunt animæ ad vegetationem, sensationem, & ex consequenti intellectionum functiones vi-

14. tales. Denique circa chylum aliosque in nutritione hominis sibi invicem succedentes humores hoc attendendum venit, *An scilicet sint in statu, in quo habeant organizationem intrinsecam, ratione cujus per modum principij saltem passivè ab intrinseco mobilis coordinentur ad vitalem nutritionis v. g. functionem.* Quo proinde statu posito, asserendum est, Humorem ejusmodi, veluti nutrimentalem sanguinē hominis esse partem corporis Humani, id est ad functiones vitales organizati integrantem. Cùm adeò non sit dilucidum, quando unus, vel alter humorum in nutritione hominis sibi invicem succedentium sint in illo intrinseco organizationis statu, ratione cujus non quasi *ab extrinseco*, sed *ab intrinseco* per modum principij saltem passivi sint mobiles à formâ vivente, idcirco vix possumus definire, an humores ejusmodi, quousque perveniant ad statum sanguinis saltem nutrimentalis, sint partes humani Corporis integrantes, fuerintque adeò in mortali Christi Corpore hypostaticè uniti Verbo Divino.

Responsio ad opposita Argumenta.

15. AD Argumentum ex parte Durandi *num. 1.* oppositum Respondetur *primò*. Certum esse, quòd Verbum Divinum non assumpserit duas *integraliter* totales naturas: an verò assumpserit duas *Essentialiter* totas, sed *integraliter* partiales Naturas, pendere ab illâ quæstione, *Utrùm sanguis informetur ab animâ rationali?* In quâ equidem quæstione verisimilem esse partem affirmativam. Unde consequens esse, quòd Verbum Divinum assumendo Carnem & sanguinem, non assumpserit duas etiam *essentialiter* & *formaliter* diversas Naturas substantiales.

16. Respondetur tamen *secundò*. Si quis contenderet, sanguinem Humanum non esse informatum animâ rationali, adhuc debere dici, partem Humanitatis, seu Humani corporis integrantem eo ipso, quòd *ab intrinseco* ex vi organizationis ab animâ rationali sibi impressæ habeant sibi connaturalem ad vitales operationes mobilitatem. Unde, quando Aristoteles *citatus* negat, sanguinem esse partem animalis, intelligendum esse vel *in sensu formali*, quòd scilicet sanguis non habeat formam animalis *essentialiter* constitutivam, vel in *sensu respectivo*, quòd scilicet non sit pars firma & stabilis, sed sit in statu viæ ad partes solidas Humani corporis. Etenim Philosophum numerare sanguinem inter partes similares humidas, constat ex ipsius *lib. 3. de histor. animal. cap. 2.* Ne proinde Aristotelem 17.
arguamus contradictionis, taliter accipiendum esse, quòd sanguis ratione suæ intrinsecæ & connaturalis ad vitales operationes mobilitatis habeat in corpore vivente rationem partis integrantis, in quâ tamē vel nō sit forma vivens, nec adeò *in sensu formali* sit forma animalis quà viventis, vel si informetur substantiali viventis formâ, non sit sub ultimatâ partium Humani corporis integrantium perfectione accidentariâ, sed sit in statu viæ ad partes solidas carnium, ossium.

18. Ad argumentum ex parte Cajetan. *n. 2.* oppositum Respondetur. Divum Thomam *citato loco* solùm docere, quòd sanguis non sit humani Corporis pars *actu*, sed sit caro *in potentiâ*. Ex hoc autem evinci duntaxat, quòd non *absolutè*, sed *respectivè*, id est quoad statum ultimatæ perfectionis, dici debeat sanguis non esse pars humani corporis, cùm tamen sanctus Doctor *in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæst. 3. ad 3.* asserat, humores esse de perfectione nimirum integrali corporis Humani, esseque hujus adeò partem integrantem, uti clarè innuit *3. p. q. 54. artic. 2. ad 3.*

CONTROVERSIA II.

Utrùm in triduo mortis Christi sanguis manserit unitas Hypostasi Verbi Divini?

RIchardus *in 3. dist. 2. artic. 2. quæst. 1. ad 2.* Franciscus de Mayronis *in 4. dist. 43. q. 1.* negat. Fundamentum est. Nam si sanguis post separationem à corpore mansisset unitus Verbo Divino, tunc Deus diceretur effusus, jacens in terrâ, sicut dicebatur jacens in sepulchro, descendens ad inferos.

Franciscus Collius *de sanguine Christi. lib. 5.* docet; illum duntaxat Christi sanguinem in triduo mortis fuisse Verbo *hypostaticè* unitum, qui à Christo resurgente reassumendus erat: illas verò partes sanguinis, quæ in terris erant relinquendæ, statim post effusionem fuisse separatas ab hypostasi Verbi Divini. Fundamentū est. Nam juxta sanctum Thomam hypostasis Verbi in illo triduo mortis mansit unita corporis Christi partibus, in quibus remansit ordo unibilitatis cum animâ rationali. Hinc enim Caro præputij per Circumcisionem præcisa à Christi Corpore, statim amisit unionem Verbi Dei. Atqui illa cum animâ rationali Corporis Christi, ejusque partium unibilitas non erat ab intrinseco, sed ex Dei ordinatione, vi cujus partes sanguinis in Resurrectione non reassumendæ non possunt dici ex tunc habuisse ordinem reunibilitatis cum animâ rationali.

Gregorius de Valentiâ *præf. disp. 1. q. 5. pun. 1. ad 3. argumentum*, docet, omnem sanguinem Christi,

Christi, illas etiam particulas, quæ in spinis, v. g. & sudario apparent, de facto retinere unionem cum Divinâ hypostasi.

Fundamentum afferri potest ex illo principio Theologico, quo dicitur, Verbum, quod semel assumpsit, nunquàm dimisisse. At illæ sanguinis Christi in terris relictæ particulæ, dum fuerant in Christo, imò & in triduo mortis erant unitæ Verbo. Ergo de facto retinent eti-
4. am istam unionem.

Vasquez disp. 36. cap. 4. & 8. Amicus *cit. sect. 7. concl. 3. & 4.* Cardinalis de Lugo *pref. disp. 14. n. 40. &c. & 91.* tenent, totum sanguinem Christi effusum in ejus passione mansisse in triduo mortis unitum Divinitati, ita quidem, ut licèt aliquæ ejus particulæ in terris relictæ fuerint ex tunc à Verbo separatæ, totus *moraliter* sanguis dici queat reassumptus in Resurrectione, nec adeò dimissus à Verbo Divino. Fundamentum à Cardinali de Lugo *n. 73.* deductum est. Quia licèt non deberent omnes, & singulæ guttæ illius sanguis effusi resurgere, ille tamen sanguis habebat jus intrinsecum ratione unionis ad hoc, ut ille sanguis saltem idem *moraliter* resurgeret. Ergo illud jus intrinsecum debuit esse in toto illo sangui-
5. ne, qui erat tunc sanguis Christi.

Probatur consequentia. Quia ante mortem Christi illud Jus residebat *immediatè* & *intrinsecè* in totâ Humanitate, & in singulis ejus partibus, licèt non omnes & singulæ essent postea resurrecturæ gloriosæ, quia tamen tunc illa tota erat Humanitas, cui debebatur, ut eadem *saltem moraliter* post mortem resurgeret, ideo in totâ illâ *immediatè* residebat *intrinsecè* illud Jus, & unio hypostatica cum Verbo. Ex hoc autem totius adhuc viventis humanitatis Jure, Corpori Christi, dum erat in sepulchro, secundùm omnes & singulas partes competebat illud ipsum intrinsecum Jus, & unio Hypostatica Verbi, licèt non omnes & singulæ partes illius, aliqui capilli v. g. superflui, deberent fortassè resurgere, quia nimirum hoc corpus erat tunc illud, cui debebatur resurrectio; quod esset idem *moraliter* cum isto. Pari proinde ratione, licèt non omnes & singulæ partes hujus sanguinis effusi deberent resurgere, omnes tamen debebant habere illud jus intrincum ad immediatam cum Verbo unionem, quia hic sanguis erat tunc ille, cui debebatur resurrectio sanguinis eiusdem *moraliter* cum isto.

CONCLUSIO I.

6. INdubitatò tenendum est, sanguinem Christi in triduo mortis mansisse hypostaticè unitum Verbo Divino. Est adeò certum, ut Capreolus *in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. resp. ad 3. contra 1. concl.* Vasquez *cit. cap. 3.* oppositam sententiam erroneam seu temeritatis notâ dignam, asserant.

Probatur. Nam si in triduo mortis aliquis Apostolorum consecrasset calicem, ibi ex vi Verborum fuisset sanguis Christi, & per concomitantiam Hypostasis Verbi Divini, ipsaque adeò Divinitas. Probatur. Nam oportuisset, tunc verificari verba Christi Domini ex ejus institutione ac nomine prolata. At Christi Domini verba, *Hic est sanguis meus* significant demonstrationem sanguinis spectantis ad personam Christi. Ejusmodi verò demonstratio non subsistit, nisi *per realem* præsentiam sanguinis uniti hypostasi Verbi. Probatur istud
assumptum. Nam *Tò meus* importat respectum ad sanguinem illius personæ, cujus nomine ac imperio verba illa proferuntur. Ejusmodi verò persona non est, nisi suppositum Verbi Divini. Neque per illud *Tò meus* in illis Christi nomine prolatis verbis significatur respectus moralis ac intrinsecus ad Personam Christi, sed intrinsecus secundùm unionem Hypostaticam: cum idem illorum verborum sensus fuisset in triduo mortis Christi, atque nunc sit; siquidem verba formam sacramentalem continentia non sint æquivoca, sed in indivisibili veritatis à Christo prolatæ puncto *immobiliter* subsistant. Unde cùm verba illa *de facto* significent sanguinem cum intrinseco secundùm Hypostaticam cum Verbo unionem respectu ad personam Verbi, per *Tò meus* significato; oportuisset, talem respectum in triduo mortis, Apostolorum aliquo tunc consecrante, fuisse significatum illis Verbis, ut tunc etiam Hypostasis Verbi, ac Divinitas per concomitantiam esset sub speciebus Vini consecratis. At si Christi sanguis in triduo mortis non mansisset unitus Verbo Divino, non potuisset ille *secundùm unionem hypostaticam* intrinsecus sanguinis ad Verbum respectus cum veritate significari per verba consecrationis. Hinc au-
tem rursus sequeretur, quòd verba Christi, 8.
Hic est sanguis meus, non *absolutè* ac *pro omni tempore* stetissent in veritate. At istud dicere, esset blasphemum, maximè cùm indefinitè sine aliquâ temporis restrictione sub ultimam cœnam instituerit Christus illa verba cum immutabili veritatis illius significatione, tanquàm Mysterio æterno, atque adeò ad perpetuitatem Novi Testamenti tunc fundandi duraturo, sine omni interruptione. Consequens proinde est, illa Christi Domini verba à Sacerdote ritè prolata in triduo mortis habitura fuisse significationem, in æternâ veritate fundatam, quâ significaretur præsentia sanguinis, habentis intrinsecum *secundùm unionem hypostaticam* respectum ad Verbum. Oportet igitur, sanguinem Christi effusum in triduo mortis mansisse hypostaticè unitum Verbo Divino.

Confirmatur. Nam Concilium Tridenti- 9.
num *sess. 13. cap. 3.* suam Fidei definitionem, *quòd sanguis per concomitantiam sit sub speciebus panis consecratis* fundavit in eo, *quòd partes Christi Domini non jam ampliùs morituri, ex vi connaturalis connexionis inter se copulentur.* Ex quo evincitur, sanguinem esse partem humanæ Christi Naturæ. Atqui indubitatum est, carnem, eò quòd fuerit pars humanæ Christi Naturæ, in triduo mortis mansisse hypostaticè unitam Verbo Divino. Ergo quià sanguis indubitanter est pars Christi, indubitanter evincitur, in triduo etiam mortis mansisse unitum Hypostasi Verbi.

CONCLUSIO II.

TOtus Christi sanguis in triduo mor- 10.
tis mansit unitus Verbo Divino.

Probatur. Nam in ordine ad gloriosam ex mortuis

mortuis resurrectionem hoc discriminis est inter hominem purum & hominem Deum, quòd in homine puro jus *gloriosæ* resurrectionis radicetur in gratiâ sanctificante, ac lumine gloriæ, & visione beatificâ. Hæ autem formæ supernaturales recipiuntur in solâ animâ. Unde gloriosæ resurrectionis jus in homine puro unicè
11. radicatur in animâ. Econtra verò Jus ejusmodi in homine Deo radicatur *Primò* in Hypostaticâ Divinæ personæ unione. Hæc verò corpus, imò & sanguinem *æquè primò* ac *immediatè* afficit, atque animam. Unde jus in homine Deo, seu Christo resurgendi ex mortuis æquè in corpore & sanguine radicatur, atque in animâ.
12. Atqui Jus ex mortuis resurgendi non tollitur per mortem. Ergo Christo mortuo, non tantùm in animâ, sed etiam in corpore & sanguine ipsius stare debuit unio Verbi Divini hypostatica; per quam omnibus ac singulis illis partibus esset jus gloriosæ resurrectionis. Atqui hoc jus talem debuit sortiri effectum, ut nulla esset sanguinis Christi pro nobis effusi gutta, quin à potiori saltem parte potiretur gloria Resurrectionis: si enim membra Martyrum, in quibus passi sunt, speciali fulgebunt splendore, cur illæ partes, in quibus Christus passus est, non speciali jure sortirentur gloriam resurrectionis? Cum igitur nulla sit Christi sanguinis pro nobis effusi guttula, quæ non ex majori saltem parte deberet in corpore Christi glorioso particeps fieri gloriæ resurrectionis, consequens est, in omni ejusmodi guttulâ stetisse causam hujus resurrectionis, sitam in hypostaticâ Verbi Divini unione. At licèt de ejusmodi guttulâ in sudario v. g. & vestibus Christi remanserit aliqua veri sanguinis Christi macula, hæc tamen in triduo mortis habebat unionem, & unitatem continuationis cum reliquo ipsius guttulæ in resurrectione Christi gloriosâ reassumptæ. Unde si talis etiam macula in terris relictæ substantia in triduo mortis non mansisset unita Verbo, sequeretur, habuisse tunc creatam subsistentiam, atque adeò in unâ guttulâ fuissent diversæ particulæ, quarum una per creatam, altera per Increatam Verbi hypostasin tunc substitisset. At non est conforme rationi, dicere, unam guttulæ illius substantiam substitisse duabus subsistentiis. Consequens proinde est, omnes guttulæ ejusmodi partes, atque adeò maculæ ab illâ postea in resurrectione præcisæ, ac in terris relictæ portionem substitisse per unicam Verbi Divini hypostasin.

CONCLUSIO III.

13. PArticulæ sanguinis Christi in Resurrectione non reassumptæ, fuerunt ex tunc separatæ ab Increatâ Verbi Divini Hypostasi.

Probatur. Nam licèt ex eo, quòd nulla sanguinis Christi pro humano genere, in monte etiam Oliveti per sudorem effusa, sive vestibus, sive instrumentis passionis ipsius, sive siccæ terræ Calvariæ adhærescens guttula extiterit, cujus potior pars non fuerit sortita gloriam resurrectionis, dici possit, Christi sanguinem *moraliter* totum fuisse in corpore ipsius glorioso reassumptum. Nihilominus aliquas maculas ex veri sanguinis Christi substantiâ extractas & separatas remansisse in terris, patebit ex infra dicendis. Atqui istæ particulæ, seu maculæ in terris relictæ ab instanti Resurrectionis Christi ad ipsum tam non habent reassumptibilitatis, seu aliqualis cum corpore & animâ Christi reunibilitatis ordinem, quàm illæ carnis & sanguinis particulæ, quæ a Christi adhuc mortali corpore per calorem nativum sunt resolutæ ac separatæ. Has verò ab instanti resolutionis ejusmodi indubitatum est, amisisse Hypostaticam cum Verbo unionem eo ipso, quòd tunc perdiderint omnimodam cum corpore Christi reunibilitatem, seu reassumptibilitatem. Idem proinde de particulis sanguinis Christi in terrâ relictis dici debet, quòd ab instanti Resurrectionis illum reassumptibilitatis ordinem catenus amittendo, ut nullam etiam continuationis cum parte reassumendâ unionem retinuerint, consequenter perdiderint hypostaticam Verbi Divini unionem.

Cæterum circa hoc, quænam de vero Christi sanguine particulæ in terris manserint: tale licet formare judicium, asserendo *Primò*, quòd in ampullâ apud sanctum Maximinum reservatâ continente terram sanguine Christi tinctam retineatur particula aliqua ex Christi sanguine decisa. Ejusmodi enim terram Beata Maria Magdalena in die Parasceves collegit sub Cruce, soletque sanguis ibi contentus in die Parasceves, sectâ Christi passione ebullire, ac si recens esset. 14.

Secundò Sanguinem Mantuæ in Abbatiâ sancti Benedicti in templo beati Andreæ, sicuti & sanguinem in Weingartensi sancti Benedicti Imperiali Monasterio asservatum, à sancto Longino de latere Christi haustum, esse de vero Christi sanguine: pro tali enim comprobavit Leo III. Sanguinem à sancto Longino exceptum, & Mantuæ positum. 15.

Tertiò pro tali habendum sanguinem, de quo sancta Brigitta *lib. 6. Revelat.* testatur, beatissimam Virginem sibi manifestasse, quòd Romæ extet sacra præputii Christi caro, unà cum sanguine, quem beatissima Virgo ex Christi de Cruce depositi vulneribus collegit, & vocatione ejus ad Cœlum instante, sancto Joanni custodiendum tradidit. 16.

Quartò idem censeri debere de maculis sanguinis apparentibus in sudario, spinis, & clavis Christi Domini.

Quintò si tamen alicubi monstretur major sanguinis Christi copia, non esse verum Christi sanguinem, sed de aliquâ Christi imagine, nefariè quandoque transfossâ miraculosè in sanguinis pro nobis effusi memoriam fluxisse. 17.

Hinc *sextò*, quando sanctus Thomas *3. p. q. 54. artic. 2. ad 3.* videtur negare, aliquem Christi sanguinem fuisse in terris relictum, accipi debet tum de sanguine, qui in aliquibus Ecclesiis sub majori quantitate exhibetur, quem ait, fluxisse *miraculosè* de aliquâ imagine, nec pro Christi sanguine habendum, sed esse hujus vestigium ac imaginem: tum de sanguine ad Veritatem & integritatem naturæ humanæ pertinente, quem totum in Corpore Christi glorioso resurrexisse, S. Doctor *citatus* affirmat: licèt modicæ aliquæ particulæ in terris relinqui potuerint, absque aliquo præjudicio sanguinis ad naturæ humanæ integritatem spectantis, uti notat Labat *præs. disp. 4. dub. 1. §. 2.* 18.

Respon-

Responsio ad opposita fundamenta.

19. AD argumentum ex parte Richardi *n. 1.* oppositum Respondetur. Si propositiones illæ sumantur in sano sensu, secundùm communicationem idiomatum procedere in prædicatis, quæ toti, vel parti alicui principali attribuuntur, non verò in prædicatis, quæ parti minùs principali conveniunt. Quam ob rationem Verbum Divinum propter hypostasis cum Christi corpore mortuo unionem dici quidem sepultum fuisse, vel jacuisse in terris, non verò propter unionem cum sanguine effusum, quòd illud, non verò iste sit pars principalis hominis, in ordine ad quem ex mortuis resurrecturum in triduo mortis manebat Hypostatica corporis & sanguinis cum Verbo Dei unio. Verùm de his *q. seq. art. 2.*

20. Ad fundamentum ex parte Collij *n. 2.* oppositum Respondetur, negando minorem. Nam Corporis Christi mortui cum animâ rationali reunibilitas importabat Jus resurgendi ex mortuis. Hoc autem Jus fundabatur in ejusdem Hypostaticâ cum Verbo unione: ut adeò illa reunibilitas fuerit ab *intrinseco*, non verò *ab extrinsecâ* duntaxat *ordinatione* Dei. Sicuti proinde partes sanguinis Christi in terris relinquendæ propter sui cum sanguine reassumendo continuationem in triduo mortis subsistere debebant per illam ipsam Verbi Divini Hypostasin, quâ subsistebat sanguis reassumendus; sic illæ particulæ sanguinis Christi ratione suæ cum sanguine reassumendo continuationis pro eodem triduo habebant ordinem reunibilitatis cum corpore & animâ rationali.

21. Ad fundamentum ex parte Valentiæ *n. 3.* oppositum Respondetur. Illud principium Theologicum intelligi debere de partibus principalibus, quà pertinentibus ad integritatem & veritatem Naturæ Humanæ: siquidem nonnullæ per calorem naturalem à corpore Christi mortali resolutæ particulæ fuerint ex tunc separatæ à Verbo Divino, sicuti Cadaverica etiam forma in triduo mortis Hypostasi Verbi unita, ex instanti resurrectionis Christi fuerat dimissa à Verbo.

22. Ad Cardinalis de Lugo *n. 4.* propositum fundamentum Respondetur. Illud secundùm principium à nobis *supra* deductum sic formari posse. Jus resurgendi ex mortuis Humanitati Christi competens radicabatur in Hypostaticâ Verbi unione. At illud gloriosæ resurrectionis jus stare debebat in partibus resurrecturis, ut ita causa conjungeretur cum suo effectu. Ergo unio Verbi hypostatica stare debuit in omnibus Christi humanitatis partibus gloriosè resurrecturis. At nulla in terris relicta particula erat in triduo mortis non unita alicui sanguini Christi resurrecturo, atque adeò subsistenti per hypostasin Verbi. Unde talis etiam particula subsistere debebat per hypostasin Verbi, ne una aliquando continua sanguinis pars haberet duas subsistentias. Constat proinde, qualiter ex jure resurgendi à mortuis tanquàm unionis hypostaticæ effectu, non tam à priori, uti Cardinalis de Lugo *citatus* contendit, quàm à posteriori demonstretur, quaslibet in terrâ relictas Christi sanguinis particulas in triduo mortis mansisse unitas Verbo Divino.

COROLLARIUM.

Infertur 1. Reliquos etiam tres Humani Corporis Humores, Choleræ, scilicet, Phlegmatis, & Melancholiæ fuisse *immmediatè* unitos Verbo Divino. Ratio est. Nam Phlegmatis, sicuti Choleræ, ac Melancholiæ nominibus hic non intelligimus humorem aliquem excrementitium, (cujusmodi Verbo minimè dicimus unitum) sed connaturali humani Corporis temperamento conducentem. De cujusmodi Sanctus Augustinus *epist. 149.* ait, *Naturam carnis quatuor humoribus temperari.* Unde constat, ejusmodi quatuor humores esse partes Humani corporis; Sancto Damasceno *lib. 2. fidei cap. 12.* attestante, quòd *omne sensibile corpus conficitur ex quatuor elementis, & animalium corpora ex quatuor humoribus:* Sive ergò humores illi informentur animâ rationali, sive aliâ formâ substantiali, numerari debent inter partes Humanæ naturæ, eo ipso, quòd ab intrinseco sint ordinati ad vitales animæ functiones. Innocentio III. *Cap. In quâdam. de celebrat. missar.* asserente, *illos quatuor humores convenire ad vegetationem corporis Humani.* Atqui Sanctus Damascenus *lib. 3. fidei cap. 6.* docet, Divinitatis substantiam toti Humanæ Naturæ, omnibusque adeò partibus ipsius *hypostaticè* unitam fuisse. Ergò omninò asserendum est, non sanguinem duntaxat, sed reliquos Humani corporis humores fuisse *immediatè* unitos hypostasi Verbi Divini. 1.

Infertur 2. Ungues etiam, capillos, ac dentes esse *immediatè* assumptos à Verbo Divino. Ratio est, quòd veræ sint partes Humani corporis. Probatur istud assumptum. Nam ponuntur in Eucharistiâ. Ergò vel ex vi verborum, vel per concomitantiam. At sub speciebus panis ex vi verborum non ponitur nisi Corpus Christi quà condistinctum à sanguine, ejusq; adeò partib⁹ integrantibus. Si proinde Capilli, ungues &c. ponerentur in Eucharistiâ ex vi verborum, oporteret, esse partes Humani corporis integrantes. Si verò per concomitantiam ponantur in Eucharistiâ, debent tunc etiam esse partes Christi Domini, ejusque adeò Humanæ naturæ: Sacro Tridentino Concil. *sess. 13. cap. 3.* attestante, ea, quæ in Eucharistiâ ponuntur per concomitantiam, ibi poni propter conjunctionem & connexionem, quam partes Christi Domini inter se habent. Cùm proinde omnes Humanæ naturæ partes sint *Hypostaticè* assumptæ à Verbo Divino, oportet, ungues, dentes, capillos Christi Domini *immediatè* unitos esse Hypostasi Verbi Divini. 2.

QUÆ-



QVÆSTIO NONA.

DE

UNITATE CHRISTI, EIUSQVE EFFECTU, MUTUA SCILICET IDIOMATUM INTER HUMANAM ET DIVINAM NATURAS COMMUNICATIONE.

1. INdubitatum est, ac fide Divinâ definitum, in Christo esse unam personam ac duas Naturas. Hinc autem duæ excitantur generales difficultates. Nam inprimis, quia in Scholis philosophicis cōtrovertitur de existentiâ, *An identificetur cum essentiâ, vel sit consequens subsistentiam ab essentiâ creatâ distinctam?* Inde nascitur circa Christum difficultas, *an ex unitate subsistendi unitas existentiæ, vel econtra ex dualitate Naturarum ac Essentiarum pluritas existentiæ in Christo asserenda sit?* Quam proinde difficultatem primo hujus quæstionis articulo expediemus. Deinde quia unitas personæ constituit Christum tanquàm unum ex duabus naturis concretum, seu compositum, inde oritur difficultas; *Qualiter Divina & Humana prædicata in Christo de se invicem verificentur?* Quam adeò difficultatem secundo articulo examinabimus.

ARTICULUS I.

DE

Unitate Christi quoad Esse.

2. DUas hic discutiemus controversias à Doctore Angelico *3. p. q. 17.* decisas: alteram spectantem ad modum loquendi, *An Christus sit unum, vel duo?* Alteram de unitate essendi, *Utrùm in Christo sit unum duntaxat Esse existentiæ?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm Christus sit unum, vel duo?

1. EX fide Divinâ decisum est, quòd Christus non possit dici duo *masculinè*, sed unus. Cujus rationem Angelicus Doctor *cit. q. 17. ar. 1.* sic deducit. Quia Natura *secundùm se in abstracto* spectata non potest verè prædicari de supposito, seu de personâ, nisi in Deo, in quo non differt *Quod est* & *Quo est.* Unde, cùm in Christo sint duæ naturæ, Divina scilicet & humana, potest quidem Divina de Christo verificari tam *in concreto*, quàm *in abstracto*. Humana verò natura non *secundùm se in abstracto*, sed solùm *in concreto*, prout significatur in supposito, potest prædicari de Christo. Ex hoc autem infertur, quòd numerus dualitatis & unitatis, quatenus prædicatur de Christo, afficiat suppositum, non verò dualitatem naturarum. At fide Divinâ credimus, in Christo esse unam duntaxat personam & suppositum. Ergò Christus non potest dici Duo, sed unus: veluti definitum habetur in Concilio Alexandrino, *Epist.* ad Nestorium, *approbatâ* in Concilio Ephesino *anath. 2. 3. & 5.* item in Concilio Chalcedon. *act. 4. circa medium.* Et in Concilio Constantinopol. V. *collat. 8. can. 1. & 3.* item in VI. Synodo *act. 4. & 11.* Item in Concil. Lateranensi sub Martino I. *consult. 5. can. 6.* habeturque clarè in symbolo Sancti Athanasij hisce verbis. *Non duo tamen, sed unus est Christus.* Et infra. *Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Quibus adeò ex fide orthodoxâ suppositis, controversia inter Theologos hic agitatur, *An Christus dici possit plura, seu Duo neutraliter?*

Referuntur Sententiæ.

DUrandus *in 3. dist. 6. q. 1. n. 13.* existimabat, Christum non posse Neutraliter dici unum, vel plura. Fundamentum est ex Grammaticâ; quòd adjectivum debeat genere concordare cum suo substantivo. 2.

Nonnulli tectis nominibus relati à Cardinali de Lugo *disp. 24 de Incarnat. n. 2.* asserunt: Christum posse Neutraliter dici duo, vel plura. Fundamentum est. Nam nomina numeralia *masculinè* referuntur ad personas, in genere autem neutro ad Naturas: Hinc enim Pater æternus, ac Filius in genere masculino non sunt unus, sed unum in genere neutro. Cùm igitur in Christo sit unitas personæ, & dualitas Naturarum; debemus dicere, quòd sit *masculinè* unus, non 3.

nus, nec tamen unum neutraliter. Ergo ut sic erit plura, seu Duo: Sancto Augustino *1. de Trinitate cap. 7. in fine.* sic differente: *Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus propter acceptum Hominem.* Nam per *Tò utrumque* non possunt non significari Duo *neutraliter.*

4 Vasquez *præs. disp. 70. cap. 3.* cum alijs negat, Christum posse dici Duo etiam in genere neutro, concedit tamen, posse dici aliud & aliud, seu hoc & illud. Fundamentum desumi potest ab authoritate Sancti Augustini *in Enchir. cap. 35. circa medium* taliter differentis: *Cùm in formâ Dei esset, formam servi accepit, utrumque unus, sed est aliud propter Verbum, & aliud propter hominem.*

5 Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 17. disp. un. ar. 1. prop. 2. & 3.* tenet, Christum non posse dici aliud & aliud. Fundamentum est. Nam esse aliud & aliud, idem est, ac esse duo *Neutraliter.* At Christus Dominus non est propriè Duo etiam *neutraliter.* Minor probatur. Nam unum ut sic non potest dici Duo. Unum verò *substantivè*, seu *neutraliter* positum significat vel suppositum, vel unum Ens, vel unum individuum. Atqui hæc omnia conveniunt Christo Domino: est enim unum subsistens in Divinitate & humanitate, unicam habens personalitatem: similiter est unum Ens, & unum individuum, quia, licèt in eo reperiantur duæ Naturæ, Divina & Humana, item personalitas Verbi Divini, & Humanitas, hæc tamen non manent separata, sed intimè & substantialiter unita. Ergo quemadmodùm materia & forma in physicis, licèt distinguantur *realiter* à se invicem, quia tamen unitæ inter se constituunt unum Ens completum, non sunt Duo *neutraliter*, sed solummodò unum: sic etiam quia ambæ illæ naturæ uniuntur in eâdem Personalitate Verbi ad constituendum Ens aliquod completum, rectè Christus Dominus dicetur in genere neutro esse solummodò unum.

6. Cardinalis de Lugo *cit. disp. 24. nu. 10. & 11.* Christum in rigore non posse dici Duo in genere etiam neutro, probat ex sequenti fundamento. Unum enim est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Si ergo aliquid est unum simpliciter & absolutè, debet esse indivisum simpliciter, & sine addito. Hinc enim homo est simpliciter, & absolutè unum Ens, quia non solùm est indivisus in plures homines, sed etiam indivisus in plura Entia *simpliciter & absolutè*, quia, licèt constet corpore & animâ, hæc tamen non sunt entia totalia, sed partialia: pars autem apud Aristotelem non dicitur *hoc aliquid*, sed id, quo totum compositum constituitur in ratione Entis *simpliciter.* Unde potest homo dici plura *secundùm quid*, hoc est, plura partialia, non tamen plura totalia *simpliciter & absolutè*, sed unum *per se & propriè.* In hoc proinde sensu dicendus est Christus, non esse duo, vel plura *simpliciter & absolutè*, sed unum: tum quòd non sit plura entia totalia, siquidem Humanitas *secundùm se* non sit ens totale, vel hoc aliquid, sed id, quo constituitur homo: tum quòd vera & substantialis, unio qualis est Hypostatica Verbi cum Humanitate, tendat ad constituendum unum, quod sit *simpliciter* unum.

7. Joannes à Sancto Thomâ *præs. q. 17. ar. 1. n. 21. & 26.* Christum propter duas naturas non posse dici duo *neutraliter*, vel aliud & aliud, probat sequenti fundamento Divi Thomæ *hîc art.* Etenim si Christus propter duas Naturas aliud & aliud, sive duo *neutraliter* dici posset, hoc esset, quia duæ naturæ possent prædicari de Christo. At istud non subsistit. Minor probatur. Eo ipso enim, quòd pars nequeat prædicari de toto, nequit abstractum verificari de concreto, si abstractum non sit metaphysicum, seu logicum, *ratione* duntaxat *ratiocinatâ* distinctum à concreto, sed sit physicum ac *realiter* diversum à recto concreti significato. At licèt Divinitas possit esse abstractum respectu Personæ Divinæ Verbi, est tamen abstractum *ratione* duntaxat, non verò *realiter* diversum à Recto per *Tò Christus* significato. Unde verè dicitur Christus esse Divinitas. Econtra verò Humanitas est abstractum respectu Christi, cujus concreti significatum Rectum importat Personam Verbi Divini, à quo omninodè distinguitur Humanitas. Hæc igitur nequit verificari de Christo Domino. Cùm igitur ad hoc, ut verificetur, Christum esse Duo, vel aliud & aliud, opus esset, utramque in Christo subsistentem naturam, Divinitatem scilicet & Humanitatem verè dici de Christo, consequens est, illam propositionem non stare in veritate.

CONCLUSIO.

8. Ratio ex Sancto Thomâ *proximè* deducta probat, Christum, non nisi *Causaliter* & *Identicè*, non autem *in sensu formali* posse dici Duo, etiam simul & unitim sumptâ.

Explicatur. Nam ut vera sit propositio affirmativa, oportet, significatum rectum Subjecti & Prædicati *adæquatè* identificari. At *Tò Christus* significat Personam Divinam Verbi, subsistentem in duabus naturis, humanâ & Divinâ. Undè significatum rectum vocis *Christus* importat Personam Verbi. Hæc autem non identificatur cum duabus Christi naturis, sed cum alterâ duntaxat, scilicet Divinitate. Quare in sensu partim *causali*, partim *identico*, non autem *formali* potest verificari, tum quòd Christus sit Duo, tum quòd sit Humanitas & Divinitas, simul & unitim sumptæ. Verum enim est, tum quòd duo sint, ex quibus quasi causis intrinsecis, seu principijs constituitur Christus, tum quòd Humanitas & Divinitas sint *identicè* omnimoda illa Entitas, quæ in Christo *intrinsecè* ac *substantialiter* includitur, licèt per *Tò Christus Formaliter* ac *in rectò* non significetur nisi Persona Divina Verbi, cum quâ Divinitas, non autem Humanitas identificatur.

Responsio ad opposita Argumenta.

9. Ad Durandi *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Nullius esse momenti, eò quòd *hy unum*, vel *Duo neutraliter* sumpta, secundùm regulam Gramaticalem induant rationem substantivi.

10. Ad *n. 3.* oppositum fundamentum Respondetur. Concesso antecedente, negando utramque consequentiam. Nam propositio propriè sumitur *in sensu formali*, non verò *identico* & *causali.* At

li. Ad primum ad *ſenſum cauſalem* propoſitionis ſufficit, prædicatum continere cauſam ſeu principium ſubjecti: Quomodò verificatur, Chriſtum eſſe Duo, Divinitatem ſcilicet & Humanitatem tanquàm principia ejus conſtitutiva.

11. Deinde ad propoſitionis *ſenſum identicum* ſufficit, in prædicato ſignificari eandem Entitatem *adæquatè*, quæ importatur in ſubjecto. Quomodo verum eſt, Chriſtum eſſe Divinitatem & Humanitatem non *diviſim*, ſed *unitim* ſumptas: ut adeò quando Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 15. inter aliquos Ioannis Hus errores, iſtam propoſitionem, *Divinitas & Humanitas ſunt unus Chriſtus*, damnavit, intelligi debeat de Divinâ & humanâ naturis *diviſim*, non verò *unitim* ſumptis. Ut ſic enim propoſitionem illam præter Patres uſurparunt Leo I. *in Epiſt.* 11. & Leo II. *in Epiſt. ad Imperatorem* relatâ in VI. Synodo *Act.* 18.

12. Verùm ut propoſitio vera ſit *in ſenſu formali*, oportet, prædicati ſignificatum rectum *adæquatè* identificari cum recto ſubjecti ſignificato. Ponamus ergo quòd *Ly unum*, & *Duo* neutraliter ſumpta *Formaliter* ac *in recto* ſignificent Naturam, tunc eo ipſo, quòd Divinitas etiam *abſtractè* conſiderata tanquam formale vocis *unum* neutraliter ſumptæ, ſignificatum *ſimpliciter* identificetur cum Divinis Patris & Filij Hypoſtaſibus, fit conſequens, Patrem & Filium poſſe dici unum *neutraliter*.

13. Econtra verò *Ly duo neutraliter* enunciatum de Chriſto, cùm *Formaliter* & *in recto* importet duas Naturas, quarum una duntaxat nimirum Divina, non verò altera ſcilicet Humana, identificatur cum Perſonâ Verbi *Formaliter* & *in recto* ſignificatâ per *Tò Chriſtus*, conſequens eſt, non poſſe in *ſenſu formali* verificari de Chriſto, quòd ſit Duo. Unde quando Divus Auguſtinus in argumento oppoſito dicit, utrumque, formam tam Dei propter accipientem Deum, quàm ſervi propter acceptum hominem eſſe & Deum & hominem, advertente Divo Thomâ *præſ. art.* 1. *ad* 1. accipi debet de formâ Dei & ſervi non *abſtractè*, ſed *concretè* ſumptis, prout importat Hypoſtaſin Verbi ſubſiſtentem in formâ tam Dei, quàm ſervi.

14. Ad Vaſquezij *n.* 4. oppoſitum Fundamentum Reſpondetur. Non niſi *in ſenſu cauſali*, non autem *formali* accipiendum eſſe Divum Auguſtinum, dum Chriſtum aſſerit aliud & aliud. Eſt enim plura *Cauſaliter*, quatenùs *intrinſecè* conſtituitur, & quaſi cauſatur ex pluribus, licèt Perſona Verbi *Formaliter* importata per *Tò Chriſtus*, non ſit plures Naturæ, ſed unum ſubſiſtens in diverſis Naturis.

15. Ad Yſamberti *n.* 5. oppoſitum fundamentum Reſpondetur. In probatione Minoris ſupponi, quòd eò duntaxat modo dicatur Chriſtus unum, quomodò materia & forma in compoſito phyſico quà unitæ dicuntur unum. At aliquid in hoc eſſe diſcriminis, ſiquidem *Tò Chriſtus* importet *Formaliter* Hypoſtaſin Verbi Divini ſubſiſtentem in Divinitate, & Humanitate ſibi *ſubſtantialiter* unitâ. Unde cùm prædicatum in enunciatione ſupponat ſecundùm naturam ſubjecti, fit cōſequens, in hac propoſitione, *Chriſtus eſt unum*, *Tò unum Formaliter* importare unitatem ſimplicitatis Hypoſtaſis Verbi Divini propriam, & *Connotativè* duntaxat, ſeu *in obliquo* importare unitatem compoſitionis Humanitatis cum Verbo. Econtra verò in iſtâ propoſitione, *Homo eſt unum*, ſive *materia & forma in compoſito phyſico ſunt unum*, *Formaliter* ex parte prædicati importatur unitas duntaxat compoſitionis.

Ad Cardinalis de Lugo *n.* 6. propoſitū fundamentū Reſpondetur. 16. In eo inſinuari, quòd Chriſtus non quidē ſimpliciter, ſed cum addito ſit duo Entia, quorum alterum, ſcilicet Humanitas ſit incompletum. At verò ne cum iſto quidem addito verificari, *Chriſtum eſſe Duo*, niſi *Cauſaliter*, id eſt, eſſe *ſubſtantialiter* in ſe continentem Duo *intrinſecè* ſui conſtitutiva, uti innuit idem de Lugo *n.* 14. & 15.

❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Utrùm in Chriſto ſit unum duntaxat Eſſe Exiſtentiæ?

IN Chriſto eſſe duas Exiſtentias realiter diſtinctas, 1. alteram Divinam & Increatam Verbi, alteram creatam humanitatis propriam, docent Altiſiodorenſis *lib.* 3. *ſum. tract.* 1. *cap.* 1. *q.* 98. Scotus *in* 3. *dist.* 6. *q.* 1. *n.* 4. Lychetus *ibi.* & Scotiſtæ *communiter*. Yſambertus *ad cit. q.* 17. *art.* 2. Huc reduci poſſunt, quotquot negant, Eſſentiam creatam diſtinctam ab Exiſtentiâ, nominatim Suarez *diſp.* 3. *Metaph. ſect.* 1. *n.* 1. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 79. *n.* 6. Valentia *To.* 1. *diſp.* 1. *q.* 4. *punc.* 4. Fundamentum primum deſumitur ex principio Philoſophico. Si enim Eſſentia Humanitatis *realiter* non diſtinguatur à ſuâ Exiſtentiâ, evidenter ſequitur, in Chriſto præter Exiſtentiam Verbi eſſe creatam, ab Humanitate indiſtinctam Exiſtentiam. At ſi Eſſentia Humanitatis diſtingueretur ab Exiſtentiâ, hoc ideò eſſet, quòd prædicata Eſſentialia Humanitatis ſint de ſe indifferentia ad actualitatem Exiſtentiæ. Hæc autem ratio nulla eſt. Probatur iſtud aſſumptum. Nam modus Exiſtentiæ quà condiſtinctus ab Eſſentiâ, nō poteſt dici diſtinctus à formalitate, per quam Exiſtentia *Exercitè* exiſtit in tempore, cùm alioquin daretur proceſſus in infinitum. At eo ipſo, quòd Eſſentia illius modi ad hoc, ut ſit in tempore, non indigeat exiſtentiâ ſuperadditâ, ſequitur, neque Eſſentiam Humanitatis indigere modo ſuperaddito, per quem conſtituatur *Formaliter* exiſtens. Probatur iſta ſequela. Nam ille modus habet prædicata eſſentialia ab æterno eodem modo, ac illa habet Humanitas. Et eâdem ratione, quâ pro aliquo inſtanti verum fuit dicere Humanitas exiſtit in hoc tempore, in quo *antecedenter* potuit non exiſtere, eâdem ratione verum eſt dicere, ille modus non exiſtit in hoc inſtanti, in quo *antecedenter* potuit exiſtere. Ergo idem eſt fundamentum ad concipiendum modum illum exiſtentiæ cum indifferentiâ ad exiſtendum, & non exiſtendum, ac ad concipiendam Eſſentiam hominis cum indifferentiâ. At illa Exiſtentiæ indifferentia non poteſt fundare ſui diſtinctionem realem ab actualitate exiſtendi. Ergo nec Humanitatis indifferentia.

Fundamentum ſecundum ex principio 2. Theologico hic ab Yſamberto *citato in prob.* 2. deductum eſt. Nam Concilia & Patres docentes, in Chriſto Domino eſſe duas naturas perfectas & integras, debent neceſſariò intelligi de duabus naturis in actu. At ubi eſt diſtinctio Entitatum in actu; ibi eſt diſtinctio Exiſtentiarum.

rum. Minor ista probatur. Nam ubi non est distinctio principiorum constituentium, ibi non est Distinctio constitutorum, velut patet in personâ Christi Domini, quæ ideò non est distincta, quòd non sit distincta Hypostasis ejusdem constitutiva. Atqui Entitas *in actu* constituitur per Existentiam. Ergo ubi non est distinctio existentiarum, ibi non est distinctio Entitatum *in actu*. At secundùm præallegatos Doctores & Patres & Concilia duæ dantur in Christo Domino Entitates actuales à se invicem *realiter* distinctæ. Ergo & duæ existentiæ dabuntur in Christo Domino, una Verbi Divini, altera Humanitatis.

3. Ex opposito dari in Christo Domino unicam Verbi Divini existentiam, cum Doctore suo Angelico *præs. q. 17. art. 2.* docent Thomistæ *communiter*, nominatim Capreolus *in 3. dist. 6.* Ferrariensis 4. *contra. gent. cap. 35. & 41.* Cajetanus *in cit. art. 2.* Medina *ibi in suo Comment.* Alvarez *disp. 14. & 72.* Joannes à Thomâ *hic art. 2.* Quibus annumerantur Heinricus *quodlib. 5. q. 2.* Dionysius Carthusianus *in 3. dist. 6. q. 5.* Item ex Societatis Iesu Theologis, Essentiam ab Existentiâ *realiter* distinguentes, Molina *1. p. q. 3. art. 4. ad 2.* Albertin. *de prædic. substantiæ. disp. 2. q. 1.*

Fundamentum ex Angelico Doctore per Ionem à Sancto Thomâ *ubi supra* deductum est. Nam *Esse* aliud est substantiæ, aliud verò accidentis. At licèt *Esse* accidentale possit multiplicari in unâ Hypostasi, vel Personâ, aliud quippe est *Esse*, quo Socrates est albus, & quo Socrates est musicus. Nihilominùs *Esse* substantiale non potest multiplicari in uno Christi supposito.

4. Probatur istud assumptum. Cùm enim secundùm fidem orthodoxam in Christo sint duæ Naturæ, & una persona, vel Hypostasis, oportet ea, quæ pertinent ad naturas, multiplicari ad instar naturarum, id verò, quod pertinet ad suppositum, vel personam, non multiplicari, sicut persona nō multiplicatur. Atqui *Esse* pertinet ad Naturam, sicut ad id, *Quo* aliquid habet *Esse*: ad Hypostasin verò, sicut ad id, *Quod* habet *Esse*. Si ergo natura *accidentaliter* adveniat supposito, quamvis ipsa sit substantialis, multiplicabitur *Esse*, sicut fit in formis accidentalibus. Secus verò est; si Natura conjungatur supposito *substantialiter* & *Hypostaticè*.

5. Probatur istud assumptum. Nam eo ipso, quòd *Esse* substantiale conveniat supposito *ut Quo*, sequitur, personam esse immediatum susceptivum illius *Esse*. Unde ubi est una tantùm Persona, est tantùm unum *Esse* substantiale. Ergo si plures substantiales Naturæ uniantur in unâ personâ, idem *Esse* substantiale habent, quia Natura trahitur ad *Esse* personæ. Atqui per fidem Divinam credimus, quòd humana Christi Natura Filio Dei *Personaliter* ac *Hypostaticè* conjungatur in unitate suppositi: Ergo secundùm Humanam Naturam non advenit novum *Esse* substantiale, sed nova duntaxat *Esse* personalis in Verbo præexistentis ad Naturam Humanam habitudo.

CONCLUSIO I.

6. IN aliquo signo priori Hypostaticam Verbi unionem antecedente Natura Humana Christi; actionem sui effectricem terminans, habet ut sic potentialitatem secum identificatam, & *intrinsecè* determinatam ad *Esse* actualis Existentiæ; non verò intelligitur pro *tali signo* habere formalem actualis existentiæ determinationem.

Probatur. Nam solius actûs Divini & Puri proprium est, habere sibi identificatam formalem existendi determinationem. Ergo Humanitas Christi effectricem sui causalitatem terminans, ut sic habet in se determinationem existendi, nō formalē, sed potentialē duntaxat. Probatur tam Antecedens, quàm Consequentia. Nam actus habens 7.
secum identificatam formalem existendi determinationem est per suam Essentiam *Formaliter* existens. Atqui Actûs Divini & Puri proprium est, quòd sit existens per Essentiam. Hoc autem fit, quòd, cùm sola Essentia Divina *Formaliter* includat existendi actualitatem, Essentia creata in statu etiam physico spectata sub causalitate sui effectrice, non importet *Formaliter* actualitatem existendi, sed potentialitatem *ab intrinseco* licèt determinatam ad existendum.

Respondebis. Ad hoc, ut existentia sit de 8.
essentiæ creatæ quidditate, debere ab istâ ne *ratione* quidem *ratiocinatâ* distingui; siquidem sine Essentiâ quidquam nec esse, nec intelligi queat. At licèt existentia sit *realiter* identificata cum Essentiâ creatâ, ab hac tamen distingui *ratione ratiocinatâ*. Hanc ipsam verò *rationis ratiocinatæ* distinctionem in eo fundari, quòd Essentia secundùm prædicata sua essentialia sit taliter in intellectu Divino determinata, ut mutari non possit: Econtra verò existendi actualitas sit subjecta libero voluntatis Divinæ Decreto, sitque adeò contingens, & consequenter sit respectu Essentiæ accidens prædicabile. Etsi proinde existentia dicatur *realiter* identificata cum Essentiâ creatâ, non ideò esse de hujus quidditate.

Contra. Nam sicut prædicata essentialia 9.
sunt immutabilia, non *absolutè*, sed *Hypotheticè*, sic ex suppositione Essentiæ foret *Immutabiliter* necessaria hæc Existentia, si non distingueretur *realiter* ab Essentiâ. Unde absolutus existendi status in Essentiâ creatâ foret contingens, non jam *ab intrinseco*, siquidem cum essentiâ ejusmodi haberet identitatem realem, atque adeò connexionem à parte rei essentialem, sed *ab extrinseco* duntaxat; quatenus secundum liberum Divinæ voluntatis Decretum posset in rerum naturâ non stare tam Essentia, quàm existentia. At falsum est, quòd status existendi in rebus creatis sit *solùm extrinsecè* contingens, sed illa ipsa ex Dei libero Decreto petita contingentia reduci debet in intrinsecam essentiæ creatæ Entitatem, cùm alioquin existentia non tam *intrinsecè* secundùm se ipsam, quàm *extrinsecè* secundùm denominationem à libertate Dei desumptam esset accidens respectu creatæ Essentiæ. Neque verò illud in- 10.
trinsecum, *quoad Existentiæ statum* in Essentiâ creatâ mutabilitatis, ipsiusque adeò in *Existentiâ* contingentiæ, non *causalis* præcisè, sed *formalis* fundamentū in alio situm est, quàm in reali Essentiæ ad existendum potentialitate, ratione cujus est realis distinctio Essentiæ ab Existentiâ tanquàm vero prædicabili accidente. Probatur istud 11.
assumptum. Nam Verbum Divinum, licèt non à se ipso, sed per communicationem & emanationem

tionem sui à Patre habeat Existentiam, est tamen in existendo *simpliciter* ac *intrinsecè* necessarium. Hæc verò intrinseca ad existendum necessitas est per hoc, quòd Hypostasis Verbi sit ipsa Essentia Divina, quæ est ipsamet actualissima Existentia. Cùm igitur ex reali Essentiæ cum Existentiâ identitate inferatur Verbi Divini in existendo, & consequenter in procedendo necessitas, sequitur, Essentiæ creatæ realem esse ab existentiâ distinctionem eo ipso, quòd creata Essentia sit contingens in existendo, atque adeò existentia respectu ipsius sit
12. accidens prædicabile. Confirmatur istud consequens. Nam per hoc, quòd Essentia Divina sit suum *Esse*, sequitur, esse infinitam in Essendo. Infinitas autem est *Formaliter* exclusiva limitationis. Ratio autem limitationis radicatur in potentialitate. At eo ipso, quòd Existentia non esset *re* *inter* distincta ab Essentiâ creatâ, sequeretur, hanc non esse in potentiâ ad Existentiam, nec adeò talem creatam essentiam habere limitationem in essendo, & consequenter habere essendi necessitatem. At ista sunt falsa. Ergo & id, ex quo sequuntur.

13. Dices *ex mente Scotistarum*, *Essentiam creatam ab Existentiâ Formaliter ex naturâ rei distinguentium*; Hoc discriminis esse inter Actum Divinum ac essentiam creatam: quòd ista *ex naturâ rei Formaliter* non importet existentiam *realiter* sibi identificatam; econtra verò Essentia Divina *Formaliter ex naturâ rei* importet existentiam. At verò formalitaté, ut sit de essentiâ seu quidditate rei alicujus, debere non tantùm *identicè*, sed *Formaliter ex naturâ rei* includi in côceptu objectivo talis rei. Consequens proinde esse, quòd existentia non sit de quidditate Essentiæ creatæ, tametsi ab hâc *realiter* nô distinguatur, sed *Formaliter* duntaxat *ex natura rei*. Unde Essentiam creatam, ejusque existentiam esse quidé duas *formalitates*, sed unicam rem, & unum Ens. At verò actionem effectricem non terminari *Physicè* ad aliquam rei formalitatem duntaxat, sed ad ipsam rem, ut habentem in se *realiter* identificatas omnes suas formalitates intrinsecas, ac inter se *realiter* indistinctas. Quare actionem Humanitatis Christi effectricem non posse *Physicè* terminari ad essentiam, quà condistinctam ab Existentiâ, sed hanc esse illius actionis terminum formalem.

14. Contra. Nam secundùm Scotistas Dei perfectiones attributales includunt essentiam & Existentiam Divinam non *Formaliter*, sed *identicè* duntaxat. At per hanc ipsam realem cum Existentiâ & Essentiâ Divinâ identitatem formalitates Dei attributales constituuntur in *Esse* actûs Divini. Ergo proprium est formalitatis Divinæ, habere identitatem realem cum Existentiâ
15. Divinâ. Minor probatur. Nam Essentia & quidditas actûs quà Divini constitutiva non potest esse nisi unica & simplicissima. At omnis formalitas attributalis in Deo est Divina: atque adeò in *Esse* Divini constituitur per Essentiam Divinam. Nequit autem formalitas Dei attributalis in *Esse* actûs Divini constitui nisi per Essentiam, atque adeò existentiæ Divinæ identitatem realem. Ergo actûs Divini, quà *Formaliter* distincti ab Essentiâ creatâ proprium est, habere identitatem realem cum existendi actualitate. Ergo Essentia creata ut sic ne quidem *identicè* importat Existentiam, sed est in potentiâ ad istam. Ergo potest assignari signum, seu instans Naturæ, in quo per prius est actio Essentiæ creatæ productiva, quàm intelligatur talis Essentia actuata per Existentiam.

Replicabis ex Scotó *cit q. 1. n. 3.* Generationis, per quam Filius Dei secundùm Humanitatem est temporaliter genitus ex Matre, terminum esse Existentiam. At illam generationem non attingere Existentiam Increatam Verbi, tanquàm suum terminum. Ergo illius generationis terminum esse existentiam creatam Humanitatis. Minor patet. Major autem probatur. 16.
Nam generatio illa est causalis positio Humanitatis extra causas. At causali positioni rei extra causas respondet Existentia, tanquàm formalis rei extra causas positio. Cùm igitur generationi illi tanquàm terminus respondeat Existentia non Increata Verbi, sed creata Humanitatis, consequens est, Humanitatem Christi *in statu physico* sub causalitate sui effectrice spectatam importare non potentialem duntaxat, sed formalem & actualem existendi determinationem. 17.

Contra. Nam quævis Causa efficiens agit secundùm suam formam. ex sancto Thomâ *1. p. q. 3. art. 2.* Atqui *Esse* est forma quidditativa solius Dei. Unde *Esse* est effectus Dei proprius. Sicut ergo causa creata, sic ejusdem causalitas nequit in effectu suo proprio *per se formaliter in Quarto Perseitatis modo* attingere *Esse* actualis existentiæ, sed potentialitatem duntaxat existendi. At verò generatio Humanitatis Christi, cùm tanquàm Vitalis generatio tenderit in similitudinem Naturæ, *per se formaliter in quarto perseitatis modo* attingebat Essentiam Humanitatis Christi. Ergo Essentia Humanitatis Christi *in statu physico* sub causalitate sui effectrice spectata non importat ut sic *formaliter* actualitatem existendi, sed potentialitatem duntaxat *intrinsecè* determinatam ad existendum. Hæc autem potentialitatis determinatio intrinseca est Humanitatis tum connaturalis ad propriam existentiam exigentia, tum obedientialis ad Existentiam Increatam potentia actuabilis mediante Dei causalitate. Unde causalis seu efficiens rei extra causam positio *per se immediatè* non attingit actualitatem existendi, sed Entitatem ac Essentiam effectûs habentis ut sic identificatam sibi potentialitatem, *intrinsecè* determinatam ad receptionem actualis Existentiæ, quæ tanquàm formalis rei extra causas positio eatenus resultat ex illa potentiali ad existendum determinatione, quatenus ob hujus cum existentiâ intrinsecam ac essentialem connexionem Deus suâ per *Esse* actuatâ causalitate existendi actualitatem inevitabiliter ponit in Essentiâ terminante causam effectricem. 18.

Instabis ex Scoto *cit. n. 3.* Ex hoc discursu evinci, quòd Dei saltem, ad extra effectrix causalitas in Humanitate Christi *per se formaliter in Quarto perseitatis modo* attigerit existentiam. At ista Dei causalitas erat communis toti Trinitati. Hujus verò causalitas in Humanitate Christi non attingebat Increatam Verbi Divini existentiam, sed creatam Humanitatis propriam, & cum ejus Essentiâ identificatam. Probatur istud assumptum. Nam Humanitas Christi non potest *in aliquo signo priori* intelligi ut procedens à causâ secundâ, quàm fuerit causata per Dei 19.

Dei cauſalitatem. Iſta verò toti Trinitati communis cauſalitas attingebat Exiſtentiam, tanquàm effectum *in Quarto Perſeitatis modo ſibi proprium.* At pro illo ſigno, in quo Humanitatis Entitas intelligitur *primò* producta, necdum concipitur ut unita Verbo, ſive ut habens Increatam Verbi ſubſiſtentiam, ſeu Exiſtentiam; ſed cognoſcitur *ſecundùm ſe praciſè*, ac *ſecundùm ſuam Eſſentiam.* Ergò hæc *antecedenter* ad ſui cum Verbo unionem habet Exiſtentiam ſibi propriam & intrinſecam, non verò potentialem duntaxat exiſtendi determinationem.

20. Contra. Nam verum quidem eſt, quòd Cauſalitas Dei ad extra efficiens *per ſe formaliter* attingat rei productæ exiſtentiam. Hoc nihilominùs non ita accipiendum eſt, quaſi talis cauſalitas non attingat ipſam etiam Eſſentiæ creatæ ad exiſtendum potentialitatem. Quare in Dei ad extra cauſalitate, ſitâ in efficaciâ Dictionis Divinæ *duo ſigna* diſtingui poſſunt, alterum in eo ſe tenens, quòd potentialis ad exiſtendum cum eſſentiâ creatâ identificatæ determinationis ſit repræſentativum, alterum in eo ſe habens, quòd actualis exiſtendi formalitatis in Eſſentiâ creatâ receptæ ſit expreſſivum. Ex quo proinde evincitur; Dei, totiuſque adeò Trinitatis cauſalitatem intelligi poſſe cum ordine ad Humanitatem Chriſti, quin *pro tali ſigno* cognoſcatur attingere actualem Humanitatis Exiſtentiam, nec adeò oportere, in Humanitate Chriſti ponere exiſtentiam creatam, & propriam, veluti *ſequenti concluſ.* oſtendemus.

21. Urgebis. Eſſentiam Humanitatis Chriſti *pro ſigno* potentialis duntaxat ad exiſtendum determinationis repræſentativo ſpectatam, ut ſic concipi in objectivo poſſibilitatis ſtatu, non verò in ſtatu phyſico.

22. Contra. Nam objectivus poſſibilitatis ſtatus importat Eſſentiæ ad exiſtendum potentialitatem *pro ſigno* Divinæ ſimplicis intelligentiæ *virtualiter* antecedente Dei Decretum, & Dictionem omnis ad extra realitatis effectricem. Unde ipſa etiam Exiſtentia *pro tali ſigno* ſecundum ipſos etiá adverſarios eſt in objectivo puræ poſſibilitatis ſtatu. Ex hoc autem poſſibilitatis ſtatu extrahitur Eſſentia, imò & exiſtentia per phyſicam ſui effectricem cauſalitatem. Hæc verò cauſalitas eſt Deo partim immanens, ſita in Divinæ Dictionis ac volitionis efficaciâ, partim eſt tranſiens in Ente aliquo creato recepta, quandoque à cauſâ etiam ſecundâ, quandoque verò à ſolâ Primâ cauſâ emanans. Unde ſecundùm utramque iſtam cauſalitatem Eſſentia creata jam eſt in *phyſico ſtatu*, pro aliquo Naturæ priori, antecedente exiſtentiæ ex Eſſentiâ taliter affectâ reſultantiam. Probatur iſtud aſſump-
23. tum. Nam per hoc, quòd Entitas & Eſſentia creata ſit poſita extra cauſam, eſt eo ipſo phyſicè extracta è Metaphyſico puræ poſſibilitatis ſtatu. At *pro illo priori*, in quo Eſſentia creata eſt *realiter* terminans phyſicam ſui effectricem cauſalitatem, eſt eo ipſo poſita extra cauſam efficientem, licèt *pro tali ſigno* non ſit extra formalem quaſi cauſam, actualem ſcilicet Exiſtentiam, ſed iſta *pro tali priori* ſit latens in potentialitate Eſſentiæ, ex ſe determinatæ ad intrinſecam, niſi impediatur, & à Divinâ exiſtentiâ ſuppleatur, exiſtentiæ ſuæ propriæ reſultantiam. Quare *pro tali priori* Eſſentia potentialitatem exiſtendi *intrinſecè* determinatam, non ipſam exiſtentiæ actualitatem *Formaliter*, ſed *Radicaliter* duntaxat importans, eſt in *phyſico ſtatu*, tum *Efficienter*: tum *Materialiter, Potentialiter* & *Radicaliter*, non autem *Formaliter*, niſi quoad gradum Eſſentialem ac ſpecificum.

Concluſio II.

EO ipſo, quòd Natura ſit principium duntaxat *Quo*, ſuppoſitum verò Principium *Quod* exiſtentiæ; ſequitur, Humanam Chriſti naturam exiſtere per Increatam Verbi Divini exiſtentiam. *ex Argumento* Divi Thomæ *ſuprà n. 3 deductio.*

Probatur. Nam Hypoſtaſis eſt de intrin-
ſeco ſubſtantiæ quà Primæ, & ſecundùm ſub- 24.
ſtantiæ rationem completæ conſtitutivo. Econtra verò Exiſtentia eſt extra quidditatem creatæ ſubſtantiæ etiam quà Primæ. Unde Exiſtentia eſt reſpectu ſubſtantiæ etiam completæ accidens. Atqui ſubſtantiæ Primæ eſt proprium, quòd ſit ſuſceptiva accidentium. Ergo ſubſtantia quà per Hypoſtaſin completa, eſt ſuſceptiva exiſtentiæ. Ex hoc autem evincitur, quòd Exiſtentia, tanquàm actus Naturam ſuppoſitatam conſequens præſupponat ſuppoſitum, tanquàm ſui Principium *Quod*, ſaltem ſuſceptivum.

Doctore Angelico *in 3. diſt. ad Anibaldum diſt. 6. q. un. art. 2. ad 2.* atteſtante. *Quòd Eſſe aliquando ſit* 25.
rationis, aliquando naturæ: & quod Eſſe naturæ dicatur dupliciter, aliquando enim dicit actum primum, qui eſt rei Eſſentia, quæ eſt actualiter eſſendi principium: aliquando verò dicit actum ſecundum, qui eſt actus Entis per Eſſentiam. Primo igitur modo dicitur Eſſe de naturâ, ſecundo modo de naturarum ſuppoſitis, quia eſt actus ſuppoſiti, ut Quod eſt, forma verò, ut Quo eſt. At in Chriſto Domino eſt unica Verbi Divini Hypoſtaſis. Unde ea etiam, quæ conveniunt ſecundùm Hypoſtaſin, non multiplicantur in Chriſto. Ergo quia Exiſtentia creata ſubſtantialis conſequitur Hypoſtaſin, nequit Chriſti humanitati convenire creata exiſtentia.

Dices. Actiones quoque eſſe ſuppoſitorum 26.
ut Quod, Naturæ autem *ut Quo*. At non obſtante unitate Hypoſtaſis, Chriſto ſecundùm duas naturas cóvenire duplex genus actionis, Divinæ ſcilicet, & humanæ. Pari ergo ratione quia *Eſſe* convenit Naturæ ut principio *Quo*, ſecundùm diſtinctionem Naturarum in Chriſto erit duplex *Eſſe* exiſtentiæ.

Contra. Nam verum quidem eſt, quòd ope- 27.
rari naturæ *ut Quo*, ſuppoſito autem *ut Quod* conveniat. Nihilominùs duplex diſtingui debet ſubſiſtens Eſſentia ſeu Natura, altera ſe habens per modum actûs puri importans *Eſſe ſimpliciſſimè ſubſiſtens*, altera per modum actûs compoſiti ex naturâ & ſubſiſtentiâ. At *Eſſe ſimpliciter ſubſiſtens* eo ipſo, quòd ſit plenum *Eſſe*, omnimodæ perfectionis eminentiam in ſe *ſimpliciſſimè* continens, non eſt receptivum alicujus accidentis, atque adeò operatio talis ſubſtantiæ eſt forma ſubſtantialis *realiter* indiſtincta ab ipſius *Eſſe* ſubſiſtente.
Econtra verò compoſitio ex naturâ & ſubſiſten- 28.
tiâ in ſuppoſitis creatis arguit Naturæ ac eſſentiæ creatæ potentialitatem ad ſubſiſtendum. Unde quia Exiſtentia, ſecundùm Divum Thomam *cit. art. 2. ad Anibald.* Item *quodlib. 9. art. 3.*

& in 3. p. præf. q. 17. art. 2. non nisi mediante subsistentiâ naturæ convenit, ex Naturæ creatæ ad subsistendū potentialitate sequitur ejusdem Naturæ ad existendum potentialitas. At verò operari sequitur ad *Esse*. Ergò eo ipso, quòd natura creata habeat respectu subsistentiæ potentialitatem ac realem distinctionem, sequitur, operationem in tali Naturâ esse accidens. Atqui accidens substantiæ completam Essendi ac subsistendi actualitatem consequens, non est duntaxat prædicabile, sed prædicamentale. Ex eo igitur, quòd Natura realem à suâ subsistentiâ distinctionem habeat, sequitur; quòd operatio, aliæque formæ actuale substantiæ *Esse* consequentes ad illam se habeant tanquam accidentia prædicamentalia. Aristotele 7. *metaph. textu* 21. attestante, *Quòd secundùm hoc unicuique possit aliquid accidere, quatenus in eo differt res, & quod quid est, sive suppositum & Natura.*

29 At eo ipso, quòd substantia sit receptiva accidentium, est capax diversorum *Esse* accidentalium. Unde quia Hypostasis Verbi unita Humanitati, hujus intrinsecam naturam non immutat, sed ejus duntaxat subsistentiam propriam supplet in Humanâ Christi naturâ, illæ ipsæ accidentales operandi potentiæ cùm *Esse sui accidentalis* diversitate inexistunt, prout ipsi secundùm naturalem etiam subsistendi statum cōvenirent. Ergo ex unitate Hypostasis in Christo non infertur unitas operationis, sed in ipso manent actiones distinctæ secundùm realem Divinitatis & Humanitatis distinctionem.

30. Econtra verò Hypostasis est ab intrinseco Totaliter determinativa *Esse* substantialis, ut in uno supposito non sit nisi unicum *Esse* substantialis existentiæ. Atqui in Christo est unitas Hypostasis Verbi *Transcendentaliter* importans *Esse* subsistens. Hoc verò *Esse* subsistens *formalissimè* dicit existentiam. Quare subsistentia Divina Verbi se ipsam *formaliter* communicando naturæ Humanæ Christi, huic eo ipso communicat *formaliter* actualitatem existendi *in se Transcendentaliter* inclusam. Constat proinde, ex unitate subsistentiæ in Christo inferri unitatem existentiæ substantialis, ut adeò Humanitas Christi non per propriam, sed Increatam Verbi existentiam sit *formaliter* existens: Veluti habetur *in Epist.* Sophronij approbatâ *in VI. Synodo Generali Act.* 11. & 13. Ubi sic legitur: *Natura Humana in illo*, id est in Verbo, *& non in se ipsâ habuit existentiam unam.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

31. AD primum fundamentum *n.* 1. oppositum Respondetur. Non Essentiam duntaxat, sed etiam Existentiam esse indifferentem ad existendum: tum quòd Essentia habeat potentialitatem existentiæ receptivam, tum quòd Existentia sit realitas receptibilis in essentiâ. Etsi verò ista tam essentiæ potentialitas receptiva; quàm receptibilitas sit *intrinsecè* ac *essentialiter* determinata, ut tamen sit *actu*, opus esse causalitate efficiente, mediante quâ potentialitas Essentiæ sit *Physicè* recipiens Existentiam; hæc verò sit *Physicè* actuans Essentiam. Illam verò Efficientiæ causalitatem pendere ex libertate Causæ

32. primæ. Ex quâ proinde dependentiâ provenire tam Existentiæ, quàm Essentiæ indifferentiam ad existendum, eo ipso, quòd neque Essentia, neque Existentia habeat fundamentum intrinsecum Causalitatis suimet effectricis determinativum. At verò si Existentia non distingueretur ab Essentiâ, tunc in istâ non minùs esset necessitas intrinseca existendi, & consequenter à Causâ Primâ procedendi, quàm sit in Verbo Divino necessitas Essendi, & à Patre procedendi. Probatur istud assumptum. Nam quia Existentia est actus suppositi, consequens est, quòd, 33.
si Existentia identificaretur cum Essentiâ, deberet cum hâc quoque identificari subsistentia. Unde talis Essentia esse *formaliter Esse* subsistens. At in formali *Esse* subsistentis ratione fundatur intrinseca Verbi Divini ad Essendum, & à Patre procedendum necessitas. Consequens igitur est, Essentiam eo ipso, quòd non distingueretur ab Existentiâ, non esse indifferentem, sed *simpliciter* determinatam ad existendum, ita ut, licèt opus habeat aliquâ sui productione, hæc ipsa tamen sit necessaria in Ente, in quo Essentiæ ac Existentiæ est identitas. Patet proinde, indifferentiam existendi desumendam esse tam ex potentialitate Essentiæ, quàm ex receptibilitate Existentiæ, ut adeò Essentia ac Existentia in creatis distingui debeant tanquàm potentia receptiva, & actus receptibilis.

Ad secundum *n.* 2. oppositum fundamentum 34.
Respondetur. Per Ens *in actu* in rebus præsertim creatis significari Concretum seu compositum ex potentiâ & actu. Nomina autem multiplicari per multiplicationem significati Recti. At quando dicitur, quòd Natura Humana & Divina in Christo sint duo Entia *in actu*, tunc Rectum Nominis *τὸ Entis in actu* significatum est Humanitatis Essentia, seu Natura Humana, prout intrinsecam *existendi* potentialitatem importat. Ut sic autem est *realiter* distincta ab Essentiâ & Naturâ Divinâ, ipsum *Esse* subsistens seu purissimam existendi actualitatem importante. Etsi proinde Humana Christi Natura sit *formaliter* existens per Increatam Verbi existentiam ab Essentiâ Divinâ *realiter* indistinctam, adhuc tamen verificatur; Humanitatem & Divinitatem in Christo esse Duo Entia *in actu*.

COROLLARIUM.

INfertur. Plures posse distingui Physicos Humanitatis Christi status. *Primus* enim est purè *Causalis*, secundùm extrinsecam causalitatis Deo *formaliter* immanentis, ac *Virtualiter* duntaxat transeuntis denominationem: quomodò verificatur, Humanam Christi Naturam *physicè* fuisse in æternitate, non quidem *formaliter* in se ipsâ, sed *Causaliter* & *Efficienter* in actione Dei æternâ. 1.

Secundus est etiam *Causalis*, secundùm denominationem Causalitatis in Humanitate receptæ, ipsius scilicet generationis, juxta quam Humanitas potest *intrinsecè* ac *Formaliter* denominari, quòd sit in tempore, siquidem ipsa generatio quâ Mutatio possit dici tempus, seu temporis instans Humanitati intrinsecum. 2.

Tertius status est *formalis* quoad gradum specificum, ac Essentialem, sed *materialis* ac *potentialis* quoad gradum individuum seu individuationis ac Hypostasis, nec non quoad gradum existendi: cujusmodi est status Essentiæ, *pro Naturæ priori* existentiæ ex ipsâ resultantiam antecedente: si- 3.

te: siquidem *pro tali priori* intelligatur Humanitatis Essentia, cum potentialitate *intrinsecè* determinatâ ad existendum, non verò cum formali existentiæ actuatione

4. *Quartus* status est *formalis* tam quoad gradum substantiæ, etiam quà *completè* individuæ, quàm quoad gradum existentiæ: cujusmodi convenit Humanitati per formalem Increatæ Verbi Divini *Hypostaticè* uniti existentiæ actuationem.

5. *Quintus*, in quo Humanitas Christi *formaliter* existens dicitur *esse* in tempore, non est status substantialis, sed prædicamentaliter accidentarius, cujus forma denominans potest esse tum extrinseca motûs primi mobilis connotatio, tum intrinseca aliqua per influxûs Cœlestis impressionem mutatio, tum vel maximè operatio aliqua mobilis, habens ut sic rationem temporis Humanitati Christi intrinsecam.

6. *Sextus*, quo Humanitas Christi quà unita Verbo, secundùm hanc denominationem dici potest esse in æternitate participatâ, est *Formaliter* per actionem Verbi unitivam, *Connaturaliter* exigentem sui intrinsecam immobilitatem, in cujusmodi connaturali immobilitate consistit participata æternitas.

7. *Septimus* denique, quo anima Christi secundùm statum beatificum *Essentialiter* spectatum in æternitate, secundùm eundem verò *accidentaliter* consideratum dicitur esse in æviternitate; est *formaliter* per visionem beatificam: hæc enim tum quoad seipsam, tùm quoad amorem Dei, aliasque dotes ex se resultantes, omnimodam *connaturaliter* exigit immobilitatem æternitatis *formaliter* constitutivam, licèt quoad gaudia quà accidentalia, & aliquas ratione Visionis Beatificæ debitas extra Verbum revelationes aliquali mutabilitati, atque adeò temporaneæ durationi obnoxias, dicatur visio beatifica mensurari Æviternitate *formaliter* importante tùm immobilitatem quoad substantiam, tùm mobilitatem quoad operationes & accidentia.

ARTICULUS II.

DE *Mutuâ inter Divinam & Humanam Christi Naturas Idiomatum communicatione.*

1. COmmunicatio Idiomatum, quam sanctus Damascenus *lib. 3. de fide. cap. 3.* vocat alternationem, seu mutuam attributionem, describi potest, *quòd sit mutua quædam attributio sive Naturarum, sive Proprietatum, sive accidentium, quæ distinctis inter se unitis naturis conveniunt.*

2. Ex quo fit, cùm Divina, & Humana Natura in Christo, non quidem in se ipsis, sed in supposito Verbi sint *realiter* unitæ, ratione illius Hypostaticæ unionis omnino dari aliquam realem Hominis, & Dei attributorum in Christo communicationem. Tum quia modus prædicandi sequitur modum Essendi. Unde ubicumque duo insunt uni & eidem supposito, possunt ratione talis inexistentiæ de se invicem prædicari. Atqui Divina & Humana Christi Naturæ, earùmque attributa (sive *immediatè*, veluti Essentia Humana, sive *mediatè*, veluti ipsius proprietates) illa quidem per identitatem, ista verò per unionem Hypostaticam conveniunt uni Verbi Divini supposito. Ergo possunt de se invicem prædicari: Divo Damasceno *lib. 3. cap. 3.* taliter disserente; *Verbum ea, quæ Humanitati conveniunt, sibi vendicat; ac vicissim carni, quæ sua sunt, impertit; communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se communicationem, ac personalem unionem.* Unde sanctus Bernardus *lib. 5. de consid. cap. 9.* ait, *Tantam, tamque expressam unionis vim præfert ea persona, in quâ Deus & homo unus est Christus; ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris: Deum enim hominem, & hominem Deum verè Catholicèque pronuntias.* Tum quia sacra etiam Scriptura utitur tali prædicatorum inter Deum & hominem communione; *Joan. 3.* *Nemo,* inquiens, *ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius Hominis, qui est in Cœlo.* Et *Joan. 8.* *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Item *1. ad Corinth. 2.* *Si cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent.* Et denique in symbolo tum Apostolorum, tum Concilij Nicæni, *Filius Dei unigenitus* dicitur *natus ex Virgine, passus, & sepultus.* 3.

Quo adeò supposito, sequentes supersunt hic decidendæ Controversiæ. Prima, *Utrùm Communicatio Idiomatum in Christo non tantùm in concreto, sed in abstracto sit facta?* Secunda, *Utrùm Communicatio Idiomatum procedat non tantùm substantialiter, sed denominativè?* Tertia, *Utrùm istæ prædicationes, Deus est homo, & homo est Deus, sint per se, & in materiâ necessariâ, ac Essentiales, vel accidentales, & in materiâ contingenti?* Quarta, *An sicut verificatur ista propositio, Deus factus est Homo, sic verum sit, Homo factus est Deus?* Quinta, *Utrùm Deus vel simpliciter, vel cum addito in quantùm Homo, verè dici possit Creatura?* Sexta; *An, & qualiter vera sit ista propositio, Christus incæpit esse?* Quibus tandem per modum Corollarij subjungemus, quæ in hâc materiâ videri possunt superesse. 4.

CONTROVERSIA I.

Utrùm Communicatio Idiomatum in Christo non tantùm in concretò, sed in abstracto fiat?

INdubitatum est, quòd abstracta Humanitatis per Communicationem Idiomatum non possint verificari de concretis Christi, etiam quà Hominis. Eo ipso enim, quòd *ly Homo* respectu Christi *in recto* importet suppositum Verbi Divini, nequit de Homine Christo verificari aliqua ipsius creata, sive accidentalis, sive substantialis forma. Verùm duplex hic restat Controversia. Altera Lutheranos inter, & Catholicos, *de reali Divinæ Naturæ proprietatum communicatione factâ Humanitati.* Altera inter Orthodoxos, *An & qualiter Divinitatis abstracta verificentur de Christo homine?* 1.

Referun-

Referuntur Sententiæ.

2. Lutherani, nominatim Kemnitius & Brentius ab Ysamberto *ad q. 16. de Incarnat. disp. 1. art. 2* citati asserebant, vi unionis Hypostaticæ non quidem communicari Divinitati accidentales Humanitatis formas: attamen Attributales Divinæ Naturæ perfectiones, Omnipotentiæ, Omniscientiæ, Immensitatis &c. non tantùm secundùm aliquam Doni creati participationem, sed secundùm suas intrinsecas formalitates communicari Humanitati, adeò ut hæc reddatur Omnipotens, Omnisciens, & Immensa. Probant *primò*, si enim Hypostasis Verbi absque aliquâ sui confusione, sed manens realiter distincta ab Humanitate, potuit huic *immediatè* uniri ad suum formalem quasi effectum ipsi communicandum; cur non idem fieri potuit circa Divina Attributa? Unde sicut ignis, tam quoad Naturam, quàm quoad proprietates manens distinctus à ferro, huic communicat vim suam urendi, & lucendi, sic perfectiones Deitatis attributales vi unionis Hypostaticæ se ipsas *formaliter* communicant Humanitati. *Se-*
3. *cundò* Humanitas Christi *Marci Ult.* dicitur sedere à dextris Dei. Ergo evecta est ad gloriam comparem Divinitatis. At ista gloria consistit in perfectionibus Deitatis formalibus. Hæ igitur omnes *formaliter* communicatæ sunt Christi Humanitati, ita ut dicere potuerit *Math. 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Unde & *Math. 11.* dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terrâ.*
4. Hanc Lutheranorum doctrinam specialiter de immensitate urgent Ubiquistæ asserentes, Christi Humanitatem esse ubique locorum. Probant *primò* ex sacris litteris *Math. 18. Ubi sunt duo, vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et *Math. 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Item 4. *ad Ephes. capite*, ubi Christus dicitur, *ascendisse supra omnes Cœlos, ut*
5. *impleret omnia. Secundò.* Si enim Christi Humanitas non esset ubique, sequeretur, alicubi esse
6. hominem, & alicubi non esse hominem. *Tertiò.* Si enim Christi Humanitas non esset ubique, tunc moveri posset de loco in locum. At ex duobus unitis non potest moveri unum, quin vel alterum extremorum secum deferat, vel desinat esse unitum. At prius repugnat immutabilitati Verbi Divini, posterius autem adversatur inseparabili Verbi cum Humanitate unioni, cujus ratio exigit, ut ubicunque est una res unita, ibi sit & altera.
7. Ex opposito Catholicorum concors est sententia, formalem attributorum Divinorum denominationem non convenire Humanitati, sed supposito Christi. *An verò, & in quo sensu verificetur de Christo homine Divinitas abstractè* inter ipsos etiam Orthodoxos controvertitur.
8. Suarez *præs. disp. 35 sect. 2.* existimat; hanc propositionem, *Homo est Deitas*, esse legitimam; non verò istam, *Deitas est Homo.* Fundamentum est. Nam subjectum in prædicationibus stare solet *Materialiter* pro supposito, prædicatum verò *Formaliter.* Unde in hâc propositione, *Deitas est Homo*, significatur, Humanitatem, quæ est formale significatum hujus Termini *Homo*, esse ipsam Deitatem. Hoc autem est hæreticum, & falsum. Econtra verò in istâ enunciatione, *Homo est Deitas*, per *tò Homo* importatur Verbum Divinum. Hoc autem *identicè* est Divinitas. Ergo in *sensu saltem identico* verificatur in Christo, quod *Homo sit Deitas.*

Joannes à Sancto Thomâ *præs. q. 16. art. 5. dub. un. n. 10.* asserit, Deitatem verè, & *formaliter* prædicari de homine Christo. Fundamentum est. Nam licèt *Ly Homo* de formali significet Humanitatem, tamen de Materiali significat suppositum Divinum, & supponit pro illo. Unde illius propositionis, *Homo est Deitas*, redditur sensus, quòd *suppositum Divinum sit Deitas.* 9.

Cardinalis de Lugo *præs. disp. 22. sect. 1. n. 94.* docet, illam propositionem, *Homo est Deitas*, in rigore esse omnino falsam. Fundamentum est. Nam aliquæ sunt propositiones, in quibus ex modo enunciandi fit sensus formalis. Unde non sufficit identicus sensus ad earum veritatem. Ejusmodi verò propositiones sunt, in quibus explicatur exercitium alicujus actionis, vel quasi actionis: cujusmodi sunt *Deitas spirat, Deitas generat, Deitas terminat naturam Humanam.* At verò in hâc quoque propositione; *Homo est Deitas*, explicatur exercitium terminandi naturam Humanam, tribuiturque Deitati. Est autem falsum, quòd Deitas sit terminans naturam. Illa ergo propositio, *Homo est Deitas*, non est vera in rigore, sed simpliciter falsa. 10.

Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 16. disp. 2. art. 3* tenet, enunciationem prætactam esse falsam in sensu etiam identico. Fundamentum est. Nam sicut in istâ propositione, *Deus est Paternitas*, significatur identitas Deitatis, cum Paternitate; sic in hac, *Homo est Deitas*, significaretur identitas Humanitatis cum Deitate. At talis identitas Humanitatis nullo modo subsistit. Ergo propositio illa ne in sensu quidem identico stat cum veritate. 11.

Nos circa istam, quæ non tam de re, quàm de modo loquendi procedit, controversiam parum soliciti, cuiq; liberum relinquimus, cui duxerit sententiæ adhærendum, ad unum duntaxat intenti. Qualiter Divinorum attributorum immediatam respectu Humanitatis communicationem solidè refutemus non ex Authoritate duntaxat, sed ratione etiam Fundamentali. 12.

Conclusio.

Immensitatis, aliorumque Divinorum attributorum formalitates non communicant Humanitati suum formalem quasi effectum, sed illorum denominationes Homini Christo *Concretè* spectato ratione suppositi duntaxat conveniunt. 13.

Probatur ex *Joannis 11.* ubi Christus Dominus ait, *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Et *Marci ult.* de Christo, ubi à mortuis resurrexit, ait Angelus: *Non est hic.* Ex quibus evidenter evincitur, Christum quà hominem non esse ubique, nec adeò Immensitatis formalitatem Divinam communicari Humanitati, sed per communicationem Idiomatum convenire Christo homini ratione suppositi duntaxat.

Dicunt Ubiquistæ. Illos sacros textus intelligi debere de Christi præsentiâ visibili; non autem invisibili, secundùm quam Christum eatenus esse ubique, ut tamen secundùm visibilem præsentiam alicubi non sit. 14.

Contra.

15. Contra. Nam Christum Dominum perambulasse, transisse, descendisse ad inferos, ascendisse ad Cœlos, testatur fides Divina. At istæ locutiones in proprietate verborum indicant motum localem. Unde Sophronius in *Epistolâ approbatâ in VI. Synodo. act. 11. & 13.* ait, *Christus ex loco secundùm nos ad locum commigrabat, quia circumscriptionem carnis suscepit.* At verò motus localis supponit, mobile non esse in loco illo, ad quem fit motus. Oportet igitur, Christum quà Hominem non esse ubique, Divo Augustino *tract. 78. in Ioan.* sic differente de Christo: *ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat: Ibat per id, quod uno loco erat; manebat per id, quod ubique erat.*

16. Replicabis. Ipsum Verbi Divini *Esse* tribuere Humanitati Christi formale existendi effectum. Cur non igitur Immensitas, Omnipotentia &c. Personæ filij Dei se communicaret *formaliter* Humanitati ad formalem suum effectū eidem tribuendū?

17. Contra. Nulla enim forma potest formalem suum effectum communicare alicui, nisi habenti intrinsecam potentialitatem ad illam. At Humanitas Christi per se ipsam non est actuata in ratione suppositi, sed in ratione naturæ. Unde per Verbum est actuabilis secundum subsistendi ac existendi effectum, non verò secundùm rationem naturæ. Atqui Omnipotentia convenit secundùm rationem naturæ: sicut & Immensitas vim mediante operatione in creaturas illabendi importans, est attributum Naturæ Divinæ. Ejusmodi proinde naturæ Divinæ attributa formalem suum effectum communicare non possunt Humanitati Christi, eo ipso, quòd ista sit completa in ratione Naturæ, nec adeò sit *intrinsecè* actuabilis secundùm formalitates Naturæ Divinæ ut sic proprias. Verùm de his plura videre licet *supra q. 7. ar. 2. cont. 4.*

Responsio ad opposita Lutheranorum & Ubiquistarum Argumenta.

18. AD primùm *n. 2.* oppositum Lutheranorum Respondetur. Ex proximè dictis patere disparitatis rationem, cur hypostasis Verbi, non autem attributales Deitatis perfectiones se *formaliter* communicent Humanitati. Sicut enim naturas, sic earundem proprietates oportet in Christo adstruere inconfusas & impermixtas. Unde sanctus Augustinus *Serm. 191. de tempore* sic habet. *Illorum quoque execramur blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant Divinitatis, in Hominem demigrasse.*

19. Ad secundum Lutheranorum *n. 3.* oppositum Respondetur. Christum Dominum sedere ad dexteram Patris, secundum ipsa etiam attributa Deitatis, non Humanitati *immediatè*, sed ipsius supposito convenientia. Imò Humanitatem ex formali Hypostasis Verbi, ejusq; Increatæ existentiæ formali quasi effectu sibi *intrinsecè* communicato habere sanctitatem, in quâ fundatur absolutus latriæ cultus, secundùm quem Humanitas per Verbum Divinum suppositata sit æqualis Dignitatis, & comparis Adorationis, vi cujus adeò adorabilitatis dici, sedere ad dexteram Patris.

20. Ad primum Ubiquistarum *n. 4.* oppositum Respondetur. Aliam Christi Domini præsentiam esse corporalem, secundùm circumscriptionem loci, quomodò ipsum semper extitisse in aliquo determinato loco: aliam esse secundùm operationem, quomodò, sicut Angeli sunt in loco per operationem, sic quia Christus etiam quà homo Concilijs nomine suo congregatis gratiæ suæ actionibus assistit, suisque Fidelibus usque ad consummationem sæculi protectionis suæ dona largitur, atque suis miraculosis actionibus non terram duntaxat & mare, cæteraque Elementa dignatus est, sed in ipsos etiam cœlos ex gloriâ sui corporis lucem aliquam effundit; dici potest *secundùm distributionem pro generibus singulorum* omnia operationis suæ præsentiâ successivè implere.

Ad secundum Ubiquistarum *n. 5.* oppositum Respondetur. Illius propositionis. *Verbum Divinum alicubi non est homo*, sensum esse; quòd actio Verbi cum Humanitate unitiva, ipsaque Christi natura humana non habeat *ubi*, nisi in loco aliquo determinato, in quo Christi corpus circumscribitur. At hoc eatenus esse verum, ut consequenter citra ullam contradictionem subsistat, Christum esse alicubi hominem, & alicubi non esse hominem. 21.

Ad tertium Ubiquistarum *n. 6.* oppositum Respondetur. *Cur unitas extremis naturaliter unitis non possit moveri unum, quin alterum extremorum secum deferat, vel desinat, esse unitum; atque adeò ubicunque est una res unita, debeat ibi esse & altera.* Hujus rationem esse mutuam extremorum quoad statum tum *essendi*, tum *operandi* dependentiam. At verò Verbum Divinum absque ullâ sui *in essendo* & *operando* dependentiâ esse unitum Christi Humanitati, licèt hæc econtra quoad essendum *intrinsecè* pendeat ab illo. Unde tametsi Humanitas neque secundùm præsentiam circumscriptionis, neq; secundū præsentiā operationis possit alicubi esse, quin Verbum Divinum sui *Esse* attactu & influxu intimè illabatur; ipsum tamen Verbum Divinum potest existere in locis infinitis, quin Humanitas eidem unita debeat in ijs præsens esse. 22.

CONTROVERSIA II.

Utrùm Communicatio Idiomatum in Christo procedat non tantùm substantialiter, sed etiam denominativè.

PArs affirmativa videtur evinci *primò* ex sancto Thomâ *præs. q. 16. art. 4.* docente, quòd Christus dici possit homo Divinus. *Secundò* ex sancto Athanasio *serm. de sanct. Deiparâ* asserente, Christum rectè dici Deum carniferum. At *ly Divinus* & *Tò Carnifer* sunt nomina denominativa, seu adjectiva. Ergo communicatio Idiomatum in Christo videtur posse fieri nominibus etiam denominativis. Econtrario sanctus Thomas *cit. art. 3.* ex eo, quòd Dominus de Personâ Filij Dei prædicetur *essentialiter*, infert, non posse *denominativè* dici Dominicum. Pari ratione *ad 2.* negat, posse dici, quòd Christus sit *homo Deificatus*. Undè Joannes à S. Thomâ *hic art. 3.* arguit; omnia prædicata *denominativè* sumpta à naturâ Divinâ, etiam videantur importare distinctionem suppositorum, repugnare Mysterio Incarnationis. 1. 2.

Quare Vasquez *hic disp. 63. cap. 2. n. 12. ac seq.* tenet, Christum Dominum non posse dici hominem Divinum.

Conclusio.

3. EO ipso, quòd inter Divinam & Humanâ naturas in Christo sit substantialis hypostatica unio, nomina denominativa à Divinâ & Humanâ naturis desumpta non possunt verificari de Christo.

Probatur. Nam concreta denominativa, seu *Adjectivè*, non autem *Substantivè* posita, ex parte formæ, vel unionis important accidens. Atqui Mysterium Incarnationis consistit in substantiali Divinitatis & Humanitatis secundum Verbi Increati hypostasin unione. Ergo nomina denominativa ex parte significati formalis naturam Divinam, vel Humanam importantia, repugnant Mysterio Incarnationis.

4. Dices. Verbum Divinum denominari incarnatum. Ergo posse dici etiam Humanatum. Ergo nomen aliquod ab Humanitate desumptum posse *denominativè* dici de Verbo, seu supposito Christi.

5. Contra. Nam nomina denominativa non ipsâ Divinitatis, vel Humanitatis substantiâ, sed hujus accidentarias vel quasi accidentarias formas importantia, possunt etiam *denominativè* verificari de Christo, ac Verbo Divino. Sic etiam Verbum Divinum dicitur mortuum: Sic Christus homo *denominativè* seu *adjectivè* dicitur omnipotens, æternus &c. quòd, licèt omnipotentia & æternitas sit realiter ipsa Deitatis substantia, ad hanc tamen secundùm nostrû concipiendi modum se habeat instar accidentis. At verò *Tò incarnatus formaliter* importat actionem Verbi cum Humanitate unitivam, quæ est accidens respectu Christi, tanquàm Totius substantialis, qui ex humanitate & Deitate compositi. Pari ergo ratione si *Tò Humanatus* accipiatur, prout ex parte formalis significati importat Humanationem, (quo nomine Joannes Damascenus ipsam Verbi Incarnationem significat) tunc Deus verè dici potest humanatus, ut docet S. Thomas *cit. art 3. ad 2.* Si verò *Tò humanatus* accipiatur, prout ex parte formalis significati importat Humanitatem, nequit, de filio Dei prædicari denominativum nomen *Tò humanatus*, sed substantivum duntaxat *Tò homo*, eò quòd per istud substantialis, per illud verò accidentalis duntaxat Divinæ cum Humanâ naturâ unio significetur.

6. Instabis. Dominium Verbi Divini, æquè ac Omnipotentiam esse à parte rei quidem de substantiâ ac Essentiâ Verbi Divini, secundùm nostrum tamen concipiendi modum se habere ad istud per modum accidentis. Si ergo *Tò Omnipotens denominativè*, seu *adjectivè* dicitur de Christo, cur *Tò Dominicus* non possit *denominativè* dici de Christo?

7. Contra. Nam *Tò Omnipotens* eatenus importat Omnipotentiam Dei *adjectivè*, ut ipsum Dei suppositum importet in rectò. Econtra verò *Tò Dominicus* non ipsum Dei suppositum, sed aliud diversum *in recto* importat. Unde si Christus dicatur *homo Dominicus*, indicatur, suppositum hominis habere unionem non utique substantialem, sed accidentariam cum supposito, quod est Dominus Deus. At istud est hæresis Nestoriana. Patet proinde ratio, cur *Tò Omnipotens*, non autem *Tò Dominicus* possit *adjectivè* affirmari de Christo, quòd scilicet adjectiva denominatio non tantùm ex parte Dominij, sed ipsius etiam suppositi Divini significetur per *Tò Dominicus*, econtra verò per *Tò Omnipotens* significetur denominatio adjectiva ex parte duntaxat Omnipotentiæ, non verò ex parte suppositi.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD primum ex S. Thomâ petitum Argumentum Respondetur. Hoc nomen *Divinus Grammaticaliter* esse quidem adjectivum, at *Theologicè* esse substantivum, eò quòd denominatio *Divina* addita Essentiæ, vel personalitatibus Divinis sit substantialis seu essentialis, non autem accidentalis. Unde cum per illam prædicationem, quâ Christus dicitur homo Divinus, significetur persona, quæ *intrinsecè* ac *essentialiter* sit Divina, idcirco indubitanter subsistit enunciatio ejusmodi. 8.

Ad secundum ex S. Athanasio desumptum Respondetur. Illâ prædicatione, quâ Christus dicitur Deus Carnifer, non aliud significari, quàm suppositum Divinum, habens sibi substantialiter unitam carnem Humanam. Unde formale significatum nominis *Carnifer* in illâ prædicatione non habere rationem formæ accidentariæ, sed quæ respectu Christi sit essentialis, respectu verò Dei sit substantialis, id est in unitatem hypostasis Verbi substantialiter unita. Quare negandum esse, quòd *Tò carnifer* in illâ prædicatione stet *denominativè*. 9.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊)(❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

Utrùm istæ prædicationes, Deus est Homo, & Homo est Deus, sint per se, & in materiâ necessariâ, ac essentiales, vel accidentales & in materiâ contingenti?

ILlas propositiones esse *per se*, & in materiâ naturali, seu necessariâ, negant Divus Bonaventura *in 3. à dist. 7. art. 1. q. 1.* Scotus *ead. dist. q. 1. n. 7.* Gabriel *ibi. dub. 3.* Durandus *dist. 4. n. 2.* Marsilius *in 3. q. 6. ad 5.* Mastrius *in 3. dist. 2. q. 11. artic. 1. nu. 287. & 292.* Vasquez *hic disp. 68. cap. 2.* Card. de Lugo *pref. disp. 23. sect. 2. nu. 41.* Fundamentum primum circa propositionem, *Deus est homo*, à Mastrio ex subtili suo Doctore deductum est. Nam aliter se habent illæ propositiones, si spectentur *metaphysicè*, aliter verò se habent, si considerentur *logicè*. Quare ut propositio *metaphysicè* non sit *per se*, sed *per accidens*, importat prædicatum se habere respectu subjecti ut accidens, quatenus opponitur substantiæ, atque adeò subjecto uniatur per accidentalem unionem & inhærentiam, ex 5. *Metaph. cap. de Ente & Uno.* At homo in Mysterio Incarnationis accedit Deo non per unionem accidentalem & inhærentiam, sed Humanitas tanquàm vera substantia unitur cum Divinitate substantialiter in eodem supposito, constituuntque Christum ineffabili 1.

ineffabili modo unum *per se*. Ergo illa propositio, *Deus est homo*, *metaphysicè* non est *per accidens*, sed *per se*. Hinc tamen inferre non licet, eam propositionem esse *per se logicè loquendo*. Probatur istud subsumptum. Quia definitio accidentis logici est, esse id, quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione. Ejusmodi verò definitio potest convenire etiam substantiæ, quæ proinde habet quandoque rationem accidentis non quidem metaphysici, & prædicamentalis, sed logici & prædicabilis, cum aliqua substantia respectu alterius adesse & abesse queat præter subjecti corruptionem. Pari ergo ratione, licèt prædicatum homo faciat unum *per se* cum Verbo Divino seu Deo, cui *personaliter* & *substantialiter* unitur, quia tamen abesse potest à Verbo sine hujus corruptione, se habet ad ipsum ut accidens logicum, sicuti forma quoque substantialis, tametsi faciat unum *per se* cum materiâ, est tamen respectu istius accidens logicum, seu prædicabile.

2\. Confirmatur. Quia in propositione *per se* prædicatum vel est de essentiâ subjecti, vel hoc *intrinsecè* includit causam inhærentiæ ipsius prædicati. At Deus secundùm se nec includit *intrinsecè* prædicatum *Homo*: nec causam inhærentiæ prædicati, quod est Humanitas. Ergo illa

3\. propositio non est *per se logicè*. Quòd si cum Cajetano *præs. q. 16. artic. 1.* dicas, prædicatum *homo* convenire necessariò subjecto illius propositionis, nempe Deo, non *absolutè* spectato, sed prout in eâ supponit: siquidem, cùm dicitur, *Deus est homo*, *Ly Deus* supponat pro personâ Filij *determinatè*, non utcumque, sed ut subest duabus naturis. Sub quâ proinde consideratione Deo non convenire per *accidens*, sed *per se*, quòd sit homo.

4\. Contra opponunt Mastrius *citatus nu. 289.* & Cardinalis de Lugo *n. 12.* ex illâ responsione fore consequens, quòd nulla prorsus propositio esset contingens, sed omnes essent necessariæ ac *per se*: nam si in hâc propositione, *paries est albus*, *Tò paries* supponeret, prout subest albedini, ipsi ut sic non competeret contingenter albedo; imò juxta præadductam Cajetani responsionem, illius propositionis sensum fore, *Deus homo est homo*. At hunc sensum fore ridiculum.

Fundamentum secundum circa propositionem, *Homo est Deus*, à Mastrio *n. 292.* deductum est. Quia licèt Scotus fateatur, esse magis *per se*, quàm præcedentem, cùm naturâ prædicetur de proprio supposito, *per ly homo* ex parte subjecti eatenus importato, ut de ipso *Tò Deus per se* ac

5\. *essentialiter* dicatur. Nihilominùs quia *ly homo* non dicit Verbum *absolutè* sumptum, sed suppositum Divinum ut substans Naturæ humanæ, ideo ea propositio non erit in rigore *logicè loquendo per se* secundùm omnes partes, ex parte scilicet tam subjecti, quàm prædicati. Probatur istud assumptum. Quando enim unum advenit alteri, jam completo proprio Esse, non constituit in rigore cum ipso unum *per se*, sed unum *per accidens*. At licèt Humanitas sit *substantialiter* unita Verbo, non *accidentaliter*, advenit tamen Verbo jam completo in proprio Esse. Ergo solùm dici potest unum *per accidens*, non quidem *metaphysicè* & accidente prædicamentali, sed *logicè* & accidente prædicabili.

Econtrario illas prædicationes, *Deus est Homo*, & *Homo est Deus*, esse *per se* in materiâ necessariâ, non verò *per accidens*, seu in materiâ contingenti; affirmant Divus Thomas *præs. q. 16. artic. 1.* Cajetanus & Medina *ib.* Richardus *in 3. dist. 7. art. 1. q. 1. ad 3.* Ferrariensis *contra Gent. cap. 5.* Ysambertus Sorbonicus *ad cit. q. 16. disp. 4. art. 4.* Nazarius *ad eandem quæst. cont. un.* Alvarez *disp. 60.* Fundamentum ab isto Authore *n. 12.* deductum est. Quia licèt hoc nomen *Deus* ex vi suæ significationis possit supponere pro qualibet personâ Trinitatis, tamen ratione prædicati distrahitur & quasi restringitur, ut in illâ propositione supponat solùm pro Filio, cui convenit, esse hominem: sicut etiam in istâ propositione, *Deus generat*, subjectum supponit tantùm pro Patre, juxta illam regulam dialecticam, *talia sunt subjecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*. Unde quia *Generare* in Divinis solùm convenit Patri, ideò illa propositio, *Deus est Homo*, æquivalet huic, *Filius Dei est Homo*. Atqui hæc ultima propositio post Mysterium Incarnationis est *per se*, & in materiâ necessariâ. Ergo & illa. 6.

CONCLUSIO.

Illa propositio; *Deus est homo*, est quasi in secundo modo dicendi *per se*.

Probatur. Nam prædicatum dicitur de subjecto *in secundo per se in suo genere*, quando subjecto *intrinsecè* ac *essentialiter* convenit ratio principij, ut sic *radicaliter* in se continentis formalem prædicati rationem. Hinc enim proprietates *in secundo modo per se* dicuntur de suo subjecto, non aliam ob rationem, nisi quòd huic conveniat ex suâ essentiâ & quidditate, esse per modum radicalis principij *intrinsecè* determinatum ad proprietatum ex se emanationem. At verò Hypostasis Verbi Divini ex suâ infinitâ subsistendi eminentiâ habet *intrinsecè* ac *essentialiter* vim omnimodæ creabilis Naturæ terminativam. Unde actualis naturæ humanæ per hypostasin Verbi in Christo terminatio ad istam hypostasin se habet per modum effectûs quasi formalis, *Eminenter* contenti in ipsâ Verbi Divini formali terminandi ratione. Hæc igitur ut principium formale eminentiale mediante actione *Hypostatice* unitivâ est in Humanitatem profundens formalem subsistendi rationem. At verò in istâ prædicatione, *Deus est Homo*, supponit *ly homo* pro supposito eatenus subsistente in naturâ humanâ, ut talis subsistendi ratio non sit alia, quàm ex formali Hypostasis Verbi ad Humanitatem unione, & communicatione. Cùm igitur ista communicatio, quatenus ex Verbi Divini subsistentiâ *Exterius* derivatur in Humanitatem, sit radicata in formali Verbi Divini subsistendi ratione, consequenter in hâc propositione, *Filius Dei est Homo*, ex parte subjecti importatur ratio ad prædicatum *Formaliter* spectatum se habens per modum intrinseci formalis Eminentialis Principij. At eo ipso, quòd infinita subsistendi ratio *Formaliter* qua talis in hypostasi Filij Dei non sit alia, nisi ipsummet Dei ut sic *Essentialiter* constitutivum subsistens *Esse*, sequitur, quòd in istâ quoq; propositione, *Deus est Homo* ex parte subjecti importetur ratio principij, per sui eminentialem respectu omnium dæ-

7\.

creatæ naturæ terminandi formalitatem, *intrinsecè* præcontinentis actualem Humanitatis Christi ex Verbi hypostasi terminationem. Cùm igitur ista actualis per Verbum terminationis formalitas sit formalis ratio, quæ in istâ prædicatione, *Deus est Homo*, importatur ex parte prædicati, sequitur manifestè, talem propositionem esse *in secundò modo Dicendi per se*.

8. Dices ex S. Thomâ *cit. ar.* 1. *ad* 1. *Tò homo* prædicari de Deo, sicuti speciem de suâ hypostasi. At si ista propositio, *Deus est Homo*, esset *in secundo modo dicendi per se*, tunc hominem neque ut speciem posse prædicari de Deo, neque prædicationem fore univocam, tametsi prædicatum dici possit univocum. Et hinc omninò substituram doctrinam Scoti *cit. q.* 1. *n.* 5. docentis, *Tò homo* esse quidem univocum respectu Dei & nostri, cùm humanitas utrinque sit eadem, non tamen prædicari *univocè* de Deo.

9. Contra. Nam ut prædicatio sit univoca, sufficit, rationem formalem prædicati esse univocam, tametsi modus prædicandi ad subjectum determinativus & contractivus sit diversus: sic enim homo prædicatur *univocè* de Petro & Paulo, quòd, licèt, hypostasis, seu subsistentia Humanæ naturæ ad Esse individuum Petri, vel Pauli *positivè* determinativa sit diversa, atque adeò per copulam *Est* alius modus contrahendi significetur respectu Petri, & alius respectu Pauli; attamen formalis ratio prædicati *Homo* semper intelligatur una & eadem. At verò in illâ prædicatione, *Deus est Homo*, *ly homo* supponit pro supposito naturæ humanæ terminativo. Hæc autem ratio semper quoad speciem est una & eadem, sive de Deo, sive de homine prædicetur. Quare totâ differentia est in modo contractionis Naturæ humanæ ad *Esse* individuum determinativo. Hinc autem fit, quod *ly homo*, prout importat *Esse* subsistens ac individuum, Naturæ Humanæ *ultimatè* terminativum, eatenus possit comparari ad Deum, ut eo ipso verificetur, *Tò homo* prædicari de Deo sicut speciem de suâ hypostasi. Et hinc talis prædicatio est *omnimodè* univoca, licèt quoad modum contractionis prædicati ad subjectum subsit maxima differentia à modo contractionis, quo species & natura humana se habet ad hypostases connaturales.

10. Instabis. Prædicationem, quâ species prædicatur de suâ hypostasi, esse in *primo modo dicendi per se*. Ergo si *ly homo* prædicetur de Deo, tanquàm species de suâ hypostasi, non posse talem prædicationem esse *in secundo modo dicendi per se*.

11. Contra. Nam antecedens est quidem verum in prædicationibus spectantibus ad statū naturalem, non autē ad supernaturalē Hypostaticū ordinem. Probatur istud assumptum. Nam in prædicationibus, quæ intra ordinē naturalem se habent *in primo modo dicendi per se*, prædicatū eatenus comparatur ad subjectum, ut istud supra speciem ex parte prædicati importatā explicet Proprietatem individualem, atque adeò hypostasin in *Esse* individui *positivè* constitutivam. Hinc autem fit, quòd prædicatum eatenus se habeat respectu subjecti per modum Essentiæ, ut proprietas individuans ex parte subjecti se tenens, comparetur ad prædicatum tanquàm passio. Econ-
12. tra verò quatenus Naturæ Humanæ non *in abstracto*, sed *in concreto* spectatæ fit ad Dei subsistens *Esse*, sive ad suppositum Divinum comparatio, ut sic ex parte humanæ naturæ *concretè* consideratæ *saltem confusè* importatur ejusdem per hypostasin actuatio. At ista eatenus se habet ad Deum, sive purum subsistens *Esse*, ut in hujus eminentiali omnium creabilium naturarum terminativâ virtute contineatur per modum alicujus quasi proprietatis redundantis in naturam creatam. Eo ipso autem, quòd subjectum sit ratio prædicati *Radicaliter* præcontentiva, dicitur tale prædicatum de subjecto *in secundò modo dicendi per se*. Constat igitur, ex Eminentiâ Divini subsistentis *Esse* (quod non tam *radicaliter* sit præcontentum in aliâ *Virtualiter* se priori naturâ, quàm sit primum omnimodæ naturæ quà primæ substantiæ, seu quà *Formaliter intrinsecè* suppositatæ radicale, sive virtuale principium) provenire, quòd species humanæ naturæ de Deo quà suâ hypostasi, non *in primo*, sed in *secundo modo dicendi per se* prædicetur. 13.

Urgebis. Hinc inferri, quòd species humanæ naturæ non *univocè* dicatur de Deo, & puro homine, siquidem de hoc *in primo*, de illo verò *in secundo modo dicendi per se* prædicetur. 14.

Contra. Nam hoc discriminis est inter *univocationem*, & *modum Perseitatis*, quòd iste importet modum *Essendi*, ac *Prædicandi*, illa verò dicat *unitatem formalem prædicati*. At species hominis quà prædicabilis de singulis suis individuis, ex formali suâ ratione eatenus habet unitatem, ut sub eâdem specificâ naturæ humanæ formalitate intelligatur inesse: quamvis modus inessendi ut sic differentiæ individualis contractionem, & ex consequenti ultimatam in *Esse* substantiæ mediante hypostasi determinationem & actuationem importans, sit diversus. Et quia Personalitatis Verbi subsistens *Esse* non ad instar creatæ subsistentiæ potest *Esse* radicatum in naturâ humanâ, sed potiùs sub infinitæ ad omnem creabilem naturam sub ratione subsistendi *formaliter* communicabilis Hypostasis formalitate in se radicatam habet formalem Effectûs subsistendi in Christi Humanam naturam, mediante unione personali derivati communicationem: idcirco non potest non diversus *per se inessendi* modus respectu humanæ naturæ se tenere ex parte Divinæ Verbi, & creatæ propriæ subsistentiæ. Ex quo proinde diverso *Perseitatis modo Tò homo* est quidem aliter prædicabile de Deo, & aliter de puro homine, ut tamen ista diversitas non se teneat ex parte prædicati, nec adeò tollat univocationem, sed ex parte modi *inessendi*, ac *prædicandi* duntaxat, nec consequenter *simpliciter* dici queat, *Tò homo* non prædicari *univocè* de Deo, & homine, sed cum addito duntaxat dicere liceat, ex parte *modi prædicandi* non esse univocationem, quatenus *Tò homo* prædicatur de Deo, ac puro homine. 15. 16.

Conclusio.

Ista propositio, *Homo est Deus*, est in primo modo dicendi *per se*. 17.

Probatur. Nam subjectum hujus prædicationis importat suppositum Verbi Divini quà subsistentis in naturâ humanâ. At licèt humana natura quà per Verbi Divini hypostasin actuata, sive ista per unionem hypostaticam actuatio ad Divinum subsistens *Esse* se habeat *in secundo modo dicendi per se*, prædicatum tamen

Deus

Deus ad Verbum Divinum se habet *in primo mo-*
18. *do Dicendi per se.* Probatur istud subsumptum. Tum quia licèt formalitates Divinæ *virtualiter* distinctæ extra prædicationem sint *objectivè* à se invicem eatenus præscindibiles, ut sub tali præcisione objectivâ una *secundùm rationem ratiocinatam* sit *formaliter* extra aliam, nec una adeò sit de quidditate alterius: attamen in actuali inter formalitates Divinas prædicatione copula *Est* unitatem puro subsistenti Esse propriam importans, eatenus solvit illam objectivam mediante simplici Intellectûs apprehensione, inter formalitates divinas formatam præcisionem, ut consequenter non possit inter divinas formalitates subsistere aliqua prædicatio, quin sit essentialis, seu *in primo modo dicendi per se*, veluti patet ex deductis *to. 1. q. 13. ar. 1. cont. 1. n. 21.*
19. Tum quia licèt *Tò Deus* non significet præcisè Essentiam, sed naturam Divinam, hanc tamen sub formali etiam naturæ conceptu *Transcendentaliter* ac *Essentialiter* involvi in Verbi Divini hypostasi, ostendimus *in cit. cont. 1. n. 14.* Constat proinde, in prædicatione istâ, *homo est Deus*, duplici ratione verificari, quòd essentia prædicetur de subjecto. At primus modus *Essendi per se* est, quatenus Essentia prædicatur de subjecto. Ergo illa prædicatio verificatur *in primo modo dicendi per se.*

Responsio ad opposita fundamenta.

20. AD Scotistarum *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Logicum seu prædicabile Accidens esse, quod potest abesse a subjecto, non tam ex hujus eminentiali absoluto ac independente *Esse*, quàm ex eo, quòd in hujus *Esse* intrinseco non sit radicatum. At licèt Dei, ac Verbi Divini subsistens *Esse* possit per sui independentem Essendi eminentiam subsistere absque illâ ad naturam creatam Hypostaticâ unione; in suâ tamen infinitâ subsistendi actualitate eatenus habet radicatam communicationem, ut possit mediante unione hypostaticâ, naturæ creatæ tribuere subsistendi formalem quasi effectum. Quia ergo prædicatum, cujus effectus formalis est sub ratione saltem eminentiali *radicaliter* contentus in subjecti Essentiâ, *in secundo modo dicendi per se* prædicetur de tali subjecto, consequens est, in hâc prædicatione, *Deus est Homo, Tò homo*, quoad formalem subsistendi actualitatem *formaliter* importatam, neque ut prædicamentale seu Metaphysicum, neque ut Logicum seu prædicabile accidens se habere ad *Tò Deus*, ceu subjectum illius propositionis.
21. Ad Confirmationem *n. 2.* oppositam Respondetur. Verum esse, quòd prædicatum in propositione *per se* vel debeat esse de Essentiâ subjecti, vel istud debeat *intrinsecè* includere causam Inhærentiæ ipsius prædicati. At eo ipso, quòd Dei subsistens in hypostasi Verbi Divini *Transcendentaliter*, & *Essentialiter* imbibitum Esse per sui infinitatem habeat vim Formalis ad omnes creabiles naturas *mediante hypostaticâ unione* communicabilitatis, sequitur; in hujus prædicationis, *Deus est Homo*, subjecto *Tò Deus intrinsecè* ac *essentialiter* includi Causam hypostaticæ existentiæ illius prædicati *Tò homo*. Ergo illa prædicatio est *logicè in secundo dicendi per se.*
22. Ad Scotistarum *n. 4.* oppositum Respondetur. In illâ prædicatione, *Deus est Homo, Tò Deus* eatenus non quidem *Explicitè*, sed *Implicitè* supponere pro personâ Filij quà subsistente in naturâ Humanâ, ut tamen ratio formalis illius subjecti *Tò Deus* sit *Esse* subsistens, prout est radicale Eminentiale Principium formalis subsistendi actuationis, quà in naturam Humanam derivabilis, ut sic *Formaliter* importatæ per illius propositionis prædicatum *Tò homo.* Hinc autem fieri consequens, quòd prædicatum & subjectum illius propositionis sint *Formaliter* distincta, atque adeò constituant prædicationem non *identicam*, sed *formalem*, & propriam *in secundo perseitatis genere.*

Ad Scotistarum *n. 5.* oppositum Respondetur. Illam propositionem, quâ dicitur, *quòd, cum unum advenit alteri jam completo in proprio Esse, non constituat in rigore cum ipso unum per se; sed unum per accidens*, indigere distinctione. Vera enim est, si ens in proprio Esse jam completo sit limitatum, ita ut essentialis suæ jam completæ rationem non possit alteri *formaliter* communicare. Secus verò est, de *Esse* purè subsistente eatenus completo, ut vi suæ infinitatis possit subsistendi actuationem Naturæ alienæ creatæ mediante hypostaticâ unione *formaliter* communicare. At verò humanitas eatenus advenit Verbo *in suo puro subsistente Esse* jam completæ hypostasi, ut hæc tamen per suam infinitatem possit subsistendi rationem *formaliter* communicare Humanæ Christi Naturæ. Ergo cum istâ constituit unum per se non tantùm *Metaphysicè*, sed etiam *Logicè.* 23.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀()❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA IV.

An sicuti verificatur ista Propositio, Deus factus est homo, sic verum sit, quòd homo factus sit Deus?

ISTam propositionem, *Deus factus est homo*, esse veram, eruitur ex illo *Joannis 1. Verbum Caro factum est.* Et ad Philip. 2. *Qui cùm in formâ Dei esset, in similitudinem hominum factus est.* Unde in Concilio Nicæno dicitur de Filio Dei ceu Deo vero. *Et homo factus est.* 1.

Econtra hujus propositionis, *Homo factus est Deus*; triplex ex Divo Thomâ *præsl q. 16. ar. 7.* distingui potest sensus. 1. enim *Tò factus* referri potest ad prædicatum. Et tunc perinde est, ac si diceretur, *Homo est factus Deus.* Hic verò verò sensus, si dicat Deum factum, est indubitanter falsus, si verò indicet, hominem eatenus esse factum, quatenus incœperit esse Deus, tunc ejus veritas discutietur *infra cont. 6.* 2. potest *Tò factus* cadere super compositionem prædicati cum subjecto; & tunc redditur sensus indubitanter verus, attamen improprius; quòd scilicet *factum sit, ut homo esset Deus.* 3. denique secundùm termini proprietatem potest illâ propositione *Tò factus* referri ad subjectum, & tunc perinde est, ac si diceretur, *Homo factus est Deus.* De quo proinde tertio sensu procedit præsens controversia, si tamen priùs deciderimus, *An prior illa prædicatio, quâ dicitur, Deus esse factus homo, subsistat in sensu proprio?* 2. 3.

Referuntur Sententiæ.

4. DIvus Bonaventura *diſt. 7. art. 1. q. 2.* negat, illam propoſitionem, *Deus eſt factus homo*, in ſenſu proprio tenere. Fundamentum eſt. Nam *Tò factum* importat mutationem. At Deus non potuit eſſe mutatus, dum factus eſt homo. Ergo propriè non poteſt dici, Deum factum eſſe hominem.

5. Econtra illam prædicationem ſubſiſtere in ſenſu omninò proprio, Angelici Doctoris *cit. q. 16. art. 6.* menti conformiter, tenent Thomiſtæ communiter, ſpeciatim Joannes à ſancto Thomâ *ibi. dub. un.* Card. de Lugo *cit. diſp. 23. ſect. 3. a. n. 57.* & Yſambertus *præſ. diſp. 5. art. 1.* Fundamentum ab iſto Sorbonico Doctore deductum eſt. Unumquodque enim cenſetur eſſe factum illud, quod de novo incipit prædicari de illo. At *eſſe hominem* incipit de novo prædicari de Deo ratione Incarnationis. Ergo verè & propriè prædicatur, *Deus factus eſt homo.*

6. Scotus *in 3. diſt. 7. q. 2.* cum ſuis diſcipulis, ſpeciatim Maſtrio *diſp. 11. n. 257.* affirmat, iſtam propoſitionem, *homo factus eſt Deus*, eſſe ſimpliciter veram. Fundamentum à Maſtrio deductum eſt. Quia ut verè & propriè dicatur, *homo factus eſt Deus*, ſufficit, quòd mediante actione Cauſæ efficientis contingat, ut *ſit Deus*, cum ante, & ſine tali actione non eſſet Deus. At per actionem Trinitatis, quâ Deus factus eſt homo, etiam homo factus eſt Deus, eſt enim in homine factio paſſiva in ordine ad *Faciens*, & in ordine ad *Eſſe.* Hinc namque Divus Auguſtinus *1. de Trinit. cap. 13.* ait: *Talis enim erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem fecerat, & hominem Deum.* Et Damaſcenus *3. de fid. cap. 11.* *Eodem modo*, inquit, *illud quoque dictum eſt, quòd Deus homo factus eſt, & homo Deus.*

7. Econtrario illam propoſitionem, *Homo factus eſt Deus*, in rigore & abſolutè eſſe falſam, docent Divus Thomas *cit. art. 7.* Cardinalis de Lugo *cit. ſect. 3. n. 69.* Joannes à ſancto Thomâ *præc. art. 7. dub. un.* Fundamentum ab iſto Authore deductum eſt. Quia ſubjectum in prædicatione accipitur *Materialiter*, prædicatum autem *Formaliter.* Unde ſenſus illius propoſitionis redderetur, ſuppoſitum homo cum ſuppoſito, quod eſt Deus, identificatum de novo accepit Deitatem. At iſte ſenſus eſt hæreticus. Unde Divus Cyrillus *lib. de Incarnat. Unigeniti cap. 11.* ait; *Dicimus, Deum factum eſſe hominem, non tamen hominem factum eſſe Deum.* Et Damaſcenus *lib. 3. de fid. cap. 2. circa finem.* *Non hominem*, inquit, *Deificatum dicimus, ſed Deum Humanatum.* Eſt autem perinde, fieri Deum, ac deificari, uti argumentatur Divus Thomas *citatus in arg. ſed contra.* Ergo falſa eſt propoſitio, *Homo factus eſt Deus.*

Conclusio I.

8. ISta propoſitio, *Deus factus eſt Homo*, eſt vera in ſenſu omninò proprio.

Probatur. Nam *Tò factum* dicit quidem factionem paſſivam, hæc tamen dupliciter poteſt ſe habere ad denominatum, ſcilicet *Terminativè* & *ſubjectivè*. At ſub iſtâ poſteriori duntaxat ratione, quatenus factio paſſiva *ſubjectivè* ſe habet ad aliquod ſubjectum, inducit in hoc mutationem. Econtra ſub hâc poſteriore ratione, prout factio paſſiva *ſolùm Terminativè* ſe habet ad denominatum, ceu ſubjectum denominationis duntaxat, ut ſic non arguit in hoc mutationem intrinſecam, ſed hujus duntaxat terminationem, quâ mediante citra ullam etiam mutationem ſit ſui *Formaliter* alteri communicativum. Sic proinde, quando Deus dicitur factus homo, *Tò Deus* non *ſubjectivè* per modum ſubjecti phyſici, ſed *terminativè* per modum ſubjecti *logici* duntaxat afficitur factione paſſivâ, habente rationem mutationis reſpectu Humanitatis, non verò reſpectu Dei, ſeu Divinæ Hypoſtaſis. Conſtat igitur, in ſenſu proprio verificari, Deum non quidem *ſubjectivè*, ſed *Terminativè* eſſe factum hominem, quin aliquam ſubierit mutationem. Et hinc patet reſponſio ad fundamentum *n. 4.* oppoſitum.

Conclusio II.

HÆc propoſitio, *Homo factus eſt Deus*, non eſt propriè, ac in rigore vera.

Probatur. Cùm enim in prædicatione ſubjectum accipiatur *Materialiter*, prædicatum verò *Formaliter*, oporteret, in iſtâ propoſitione *Tò* 9.
factum tum ſuper ſubjecti *Tò homo* materiale ſignificatum, atque adeò ſuper ſuppoſitum, tum ſuper prædicati ſignificatum formale, atque adeò ſuper Deitatem, eatenus cadere factionem paſſivam, ut iſtâ mediante deberet ſuppoſitum hominis Chriſti accepiſſe Divinitatem. At licèt verificetur, quòd Deus, ſeu ſuppoſitum Divinum mediante actione factivâ *Terminativè* ad tale ſuppoſitum ſe habente, acceperit *Terminativè* Humanitatem per *Tò homo Formaliter* ſignificatam, falſum tamen eſt, quòd ſuppoſitum hominis Chriſti acceperit Divinitatem per factionem, utpote ex ratione ſuâ formali excluſivam puriſſimæ Increatæ generationis, vi cujus unicū ſuppoſitum hominis Chriſti habet Conſubſtantialiter ſibi communicatam Deitatem. Quamvis proinde verum ſit, quòd Deus ſit homo factus, ſiquidem *Tò homo* tunc ex parte prædicati ſe habens, ſumatur *Formaliter* pro Humanitate, per factionem paſſivam verè unitâ ſuppoſito Divino, *Terminativè* ſe habenti ad talem paſſivam factionem: attamen falſum eſt, quòd homo ſit factus Deus, cùm vi iſtius propoſitionis ſignificetur, ſuppoſitum hominis Chriſti mediante factione paſſivâ, accepiſſe naturam Divinam: quod utpote hæreticum omninò anathematizandum eſt.

Ad Scotiſtarum *n. 6.* oppoſitum fundamentum 11.

REſpondetur, conceſsâ majore, negando Minorem. Etenim *ſimpliciter* falſum eſt, 10.
quòd mediante actione cauſæ efficientis, contingere potuerit, ut homo eſſet Deus. Nā quia *Tò homo* ex parte ſubjecti in prædicatione prææadductâ poſitum ſupponit pro ſuppoſito, oporteret, ſuppoſitum aliquod poſſe, mediante Cauſæ efficientis actione, eatenus fieri Deum, ut priùs non eſſet Deus. At quia nullum ſuppoſitum creatum eſt elevabile ad Hypoſtaticam cum Divinitate unionem, imò quia ſaltem de facto in
Chriſto homine non eſt Hypoſtaſis aliqua creata, 12.
ſed

sed Divinum duntaxat suppositum, evidenter sequitur, non potuisse tale suppositum ex vi generationis purissimæ ac æternæ *substantialiter* & *Essentialiter* Divinum, mediante Causæ efficientis actione eatenus fieri Deum, ut prius non esset Deus. Cùm igitur ad hoc, ut homo dici posset factus Deus, ex ipsomet præadducto Scotistarū fundamento requireretur, quòd mediante actione Causæ efficientis contigisset, hominem esse factum Deum; Consequens est, istam prædicationem *absolutè loquendo* esse falsam, nec nisi in *sensu complexo* procedere, ita ut *Tò factus* cadat super compositionem hominis Dei, reddaturq; adeò sensus, quòd factum sit, ut homo fieret Deus. In quo proinde sensu accipiendos esse sanctum Augustinum & S. Damascenum ex parte opposita citatos, constat ex Divo Thomâ *in cit. art. 7. ad 2. & 3.*

CONTROVERSIA V.

Utrùm Christus vel simpliciter, vel cum addito in quantum Homo, verè dici possit creatura?

1. Scotistæ *communiter* apud Mastrium *cit. q. 11. n. 318. circa finem.* negant, Christum dici posse creaturam. Fundamentum est. Quia creatura *strictè loquendo* significat id, quod est productum ex nihilo: siquidem creare sit, ex nihilo producere. At de Christo nequidem quà homine verificari potest, esse productum ex nihilo cum exclusione Causæ secundæ, & Efficientis & materialis, sed ad Christi quà Hominis productionem cooperata est Mater, quæ aliquam respectu Humanitatis causalitatem habuit. Ergo *strictè loquendo* Christus etiam cum addito *in quantum homo*, nequit dici creatura. An verò *latè loquendo*, prout nomen creaturæ significat quamcumque rem in tempore productam Christus in quantum homo dici possit creatura? Problematicè procedit Scotus *in 3. dist. 11. q. 1.* Scotistis tamen apud Mastrium *citatum communiter* negantibus, in hoc etiam latiori sensu posse Christum dici creaturam.

2. Adstipulantur cum Angelico Doctore *præs. art. 8.* Thomistæ, speciatim Capreolus *in 3. dist. 11. q. un.* Ferrariensis *4. contra gent. cap. 48* Joannes à S. Thomâ *ibi. dub. un.* Alvarez *præs. disp. 70. n. 14.* Ysambertus Sorbonicus *hic art. 3.*

Fundamentum est. Quia quando prædicatum aptum est convenire indifferenter Toti & Parti, non potest prædicari *simpliciter* & *absolutè* de Toto sine determinatione. At esse creaturam, potest indifferenter convenire etiam Toti scilicet supposito, & Parti, nimirum naturæ. Ergo cùm Christo conveniat solum ratione Naturæ humanæ esse creaturam, non potest *absolutè* & *simpliciter* dici de toto Christo, sed cum determinatione aliquà, videlicet ratione humanæ naturæ.

3. Thomistæ citati cum eodem Sancto Doctore *art. 10.* tenent, de Christo, cum addito *quà homine* in sensu non tantùm specificativo, sed etiam reduplicativo verificari, esse creaturam.

Fundamentum est. Quia quando aliquod subjectum habet plures partes, potest reduplicatio cadere super unam partem, & non super aliam. Unde sicuti istæ sunt veræ enunciationes. *Christus in quantum Deus, est creator.* Et, *Christus in quantum Verbum, est genitus per intellectum æterni Patris.* Sic poterit etiam circa Christum reduplicatio fieri ratione alterius componentis scilicet Humanitatis, ita ut, quod convenit *per se* Humanitati, prædicetur, reduplicando illam de Christo. In quo adeò sensus verificabitur, quod Christus *secundùm quod homo*, sit factus, & natus ex Virgine, & consequenter quòd *in quantum Homo*, sit quid creatum.

4. Cardinalis de Lugo *cit. disp. 23. sect. 4. n. 87.* cum aliis *ibi* allegatis tenet, *absolutè* etiam dici posse in sensu sano, Christum esse creatum, licèt propter periculum æquivocationis, & erroris Arriani non sit usurpanda illa locutio. Fundamentum ab eodem Authore *n. 93.* deductum est, Quia prædicata propria naturæ tribuuntur eidem naturæ *in concreto*, seu *supposito*, nisi obstet aliqua specialis ratio. Unde cum Humanitas Christi fuerit propriè creata, consequens erit, quòd Christus etiam *in concreto* possit in rigore dici creatus, nisi interveniret periculum supra explicatum. Unde præter alios Patres sanctus Ambrosius *serm. 5. in Psal. 118.* disserit in hæc verba. *Non vereor, ne quis dicat, creatum ergo Christum asseris? Respondebo, ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc est, factum ex Muliere, factum sub lege.* Et sanctus Hieronymus *in Epist. ad Ephes. cap. 2.* sic loquitur. *Nos, libere clamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam* (scilicet Christum) *quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem totâ spei nostræ fiduciâ confitemur.*

CONCLUSIO I.

5. Non tantùm ob periculum Arrianismi, sed secundùm ipsam rei veritatem nequit in rigore proprietatis Christus absolutè dici creatura.

Probatur. Hoc enim discriminis est inter prædicata denotantia aliquam passionem, seu actionem, & inter prædicatum significans *Esse* ex vi Divinæ causalitatis communicatum, quòd istud respectu substantiæ *immediatè ac per se primò* sit respiciens Hypostasin, illa verò *per se primò* respiciant naturam. Unde *Tò Crucifixus, Tò natus, Tò orans,* si in aliquà prædicatione *simpliciter* applicentur Christo, ex proprietate suæ significationis statim intelliguntur *per se primò* denominare naturam Humanam, ceu radicale sui Principium, vel subjectum *Quo*, ut *consequenter* duntaxat intelligantur denominare suppositum Christi. 6. E contra verò *Tò creatum* significat formalem creationis terminum. Hic vero est *Esse ut sic.* Unde *Tò creatum* importat *formaliter Esse.* Existentiæ vi Divinæ Causalitatis participatum. At *Esse* existentiæ in substantiâ *per se primò* convenit naturæ quà *positivè* individuæ, seu suppositatæ. Ergo *Tò creatum* in rigore sermonis *absolutè* applicatum Christo, significaret hujus suppositum habere *Esse* Existentiæ non per æternam Generationem *Essentialiter*, sed *participativè* ex vi Divinæ ad extra causalitatis. Ac hoc est Arrianismus. Quamvis ergo *absolutè* dici possit Christus crucifixus, nequit tamen dici creatus, eò quod illud, non verò illud prædicatum in rigore proprietatis

per

7. *per se primò* sit denominans suppositum. Unde si quandoque Patres Christum dicunt creaturam, debent teste Divo Thomâ *in 4. dist. 11. a. 1. ad 1.* eorum Verba non in rigore proprietatis intelligi, sed cum determinatione ad humanam naturam. Cujusmodi determinationem expressit Divus Augustinus *in Enchirid.* ad Laurentium *cap. 38,* sic differens. *Dominus noster Iesus Christus, in quantum Deus est, omnia per ipsum facta sunt, in quantum autem homo est, & ipse factus est, sicut Apostolus dicit: Factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Et hinc facilè patet responsio ad Card. de Lugo *n. 4.* oppositum fundamentum.

CONCLUSIO II.

VErè dicitur, quòd Christus in quantum homo sit creatura.

8. Probatur. Nam Christus quà homo duplici substat actioni. Altera est Deo *Formaliter* immanens, & *Virtualiter* transiens, præfinitiva & Effectiva non tantùm Humanitatis, sed ipsius etiam Christi, quà Totius ex Humana natura & Divinâ Verbi Hypostasi per unionem Hypostaticam resultantis. At ista Deo immanens actio per ipsummet Divinum subsistens *Esse formaliter identicè* specificata, est *Formalissime* creatio: ita ut vi talis Deum profiteamur Creatorem omnium. Unde cùm omni Enti extra Deum quomodolibet existenti conveniat intrinsecus ac Essentialis ordo ad talem Deo immanentem creatricem actionem, ex tali respectu rectè dicitur creatura. Ergo & Christus *quà homo* potest ex tali respectu humanitati tum *secundum se*, tum quà Verbo Divino unitæ competente *rigorosè* dici creatura. Altera proinde actio tum

9. humanitatis generativa, tum istius cum Verbo unitiva actio eatenus est dependens ex Virgine Deiparâ, ut sit tamen ipsius etiam Dei transiens operatio. Ut sic autem *strictè loquendo* non habet rationem creationis. Nequit ergo ex ordine ad istam ex Deo transeuntem actionem Christus etiam *quà homo* propriè dici creatura. Et hinc patet Responsio ad fundamentum ex parte Scotistarum *n. 1.* oppositum.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA VI.

An, & qualiter vera sit ista propositio, Christus incœpit esse?

1. ISTam propositionem in rigore esse veram, affirmant Scotus *in 3. dist. 11. q. 3.* Mastrius *cit. q. 1. n. 213.* & Scotistæ *communiter.* Fundamentum est. Quia proprietates creaturæ dicuntur de Christo ratione humanæ naturæ per communicationem Idiomatum, ut esse finitum, passibilem, mortalem. At quòd Christus dicatur incœpisse, indicatur per hoc proprietas humanæ naturæ. Ergo æquè verificatur, quòd Christus incœperit esse, ac quòd sit mortalis, finitus. Et hinc S. Fulgentius *lib. de Incarn. cap. 10.* ait, *Verbum incœpit esse Christus. Verbum tamen mansit æternum.* Et Leo Papa *serm. 3. Pentecost.* vocat Christum *temporaneum.*

Econtra Divus Thomas *præs. a. 9.* Cajetanus *ibi.* Capreolus *in 3. dist. 11. q. un. a. 1. concl. 2.* Joannes à sancto Thomâ *in præs. a. 9. dub. un.* Suarez *ibidem.* Alvarez *disp. 17* Vasquez *disp. 67. art. 3.* Ysambertus Sorbonicus *cit. disp. 5. a. 5.* Cardinalis de Lugo *cit. disp. 23. sect. 5. n. 107.* negant propositiones, *Christus incœpit esse*, vel *Hic homo* (demonstrato Christo) *incœpit esse*, in rigore proprietatis verificari, nisi apponatur reduplicatio, quòd scilicet Christus *in quantum homo incœperit esse*. Fundamentum per Joannem à sancto Thomâ *citatum n. 2.* deductum est. Quia nomina posita ex parte subjecti, si concreta sint, nunquam supponunt pro naturâ, sed semper pro supposito, & ut plurimum pro supposito, connotando naturam. Quamvis ergo *Hic homo* de formali significet naturam humanam, attamen prout denotat Christum, semper supponit pro supposito Divino. Ergo *absolutè* ac sine determinatione *in quantum homo*, nequit prædicatum *incœpit esse*, de Christo homine verificari. 2.

CONCLUSIO.

ISta propositio, *Christus*, vel *Hic homo* (demonstrato Christo) *incœpit esse*, non potest in rigore proprietatis *absolutè*, ac sine addito *in quantum homo*, verificari. 3.

Probatur. Nam inter prædicatum *Tò mortale*, vel *Tò finitum*, ac prædicatum *incœpit esse* hoc discriminis est, quòd, cum *Esse* in substantiis *per se primò* afficiat suppositum, consequenter prædicatum *Tò incœpit Esse* secundum Formalem suam significationem *per se primò* cadat supra suppositum. Econtra verò cum formale significatum nominis *Tò finitum* fundetur in potentialitate, ut sic radicatâ in materialitate *primò* afficiente naturam, & *Consequenter* derivabili in subsistentiam, in ipsâ *intrinsecè* radicatam: idcirco *Tò finitum*, sicuti & *Tò mortale per se primò* est afficiens naturam. Hinc autem fit, quòd, cùm subjectum in prædicatione supponat secundùm naturam prædicati, in tali propositione, *Christus est finitus*, *vel mortalis Tò Christus* ex parte subjecti pro supposito alioquin supponens eatenus distrahatur, ut ratio illius prædicati cadat supra naturam humanam in Christi supposito subsistentem. Econtrario autem, cùm prædicatum *Tò incœpit Esse* secundùm suam formalem rationem sit *primò* denominans suppositum, ideò in istâ prædicatione *Christus, vel Hic Homo* (demonstrato Christo) *incœpit Esse*, oporteret in rigore sermonis, istud prædicatum afficere Christum quà suppositum. Nisi ergo sub aliquâ determinatione, (velut in istâ enunciatione *Christus in quantum homo incœpit esse*) *Tò Christus* distrahatur ad significandam Humanitatem in Verbo subsistentem, nequit *Tò incœpit esse* verificari de Christo. Et hinc patet solutio ad fundamentum *n. 1.* oppositum, ut adeò Patres prææallegati, dum videntur affirmare Christum in tempore incœpisse, saltem *implicitè* insinuarint aliquod additum diminuens, vi cujus Christus non *absolutè*, sed *secundùm humanitatem* eatenus incœperit esse, quatenus per actionem Incarnationis in tempore acquisivit *Esse* subsistentiæ Verbi Divini. 4. 5.

COROL-

COROLLARIUM I.

1. Infertur 1. Qvaliter verificari possit hæc propositio, *Christus quà Homo est Deus*. Etenim ex Divo Thomâ *præs. a.11.* patet, duplicem formari posse sensum hujus propositionis. Primus in eo se tenet, quòd particula reduplicativa cadens super *Tò homo* intelligatur afficere suppositum hominis Christi. Quo modo indubitanter vera est illa propositio. Quæ equidem veritas teste Divo Thoma *hîc ad 3.* magis elucet, si Christus *secundùm quòd hic homo*, dicatur Deus, cum *Tò hic homo* apertè demonstret Hæcceitatem, atque adeò hominis Christi Hypostasin, cui *Essentialiter* convenit, esse Deum.
2. Secundus sensus ita formari potest, ut reduplicatio cadens super vocem *Tò homo* afficiat naturam humanam. Tunc autem perinde est, ac si dicatur Christo homini ratione Humanitatis convenire, quòd sit Deus. At per se notum est, hunc sensum in rei veritate non subsistere.
3. Infertur 2. Qualiter verificetur ista propositio, *Christus quà homo est persona*. Etenim ex Doctore Angelico *præs. a. 12.* triplex hujus enunciationis sensus formari potest. Primus ita se habet, ut Reduplicatio cadens super *Tò homo* intelligatur afficere suppositum. Tunc autem planum est, verificari propositionem, cùm rè verâ Christus homo quà suppositum dici possit Persona. Secundus sensus redditur, quatenus
4. reduplicatio cadit supra naturam humanam *secundùm se*, quasi præscindendo ab illo, quem de facto habet existentiæ statum, seu Formale nominis *Tò homo* significatum. Ut sic autem perindè est, ac si diceretur, naturam humanam Christi *de se* & *ex se* esse subsistentem. Ex hoc autem insinuaretur, quasi natura humana in Christo haberet propriam subsistentiam; quod dicere, foret hæresis Nestoriana. Tertius sensus
5. taliter formari potest, ut reduplicatio intelligatur quidem super naturam humanam Christi, non utcunque, sed prout *Exercitè* se habet in statu suæ actualis existentiæ. Ut sic autem foret perinde, ac si diceretur, Naturæ humanæ Christi competere, quòd sit subsistens in Personâ. Cujusmodi adeò sensum constat verificari.

Infertur 3. Vi communicationis Idiomatum, quà v. g. Christus dicitur finitus, & infinitus, mortalis & immortalis, nullam committi contradictionem. Ratio est. Nam eo ipso, quòd attributa Divina sint purissima Essendi actualitas, nec ullam adeò in se admittant Essendi negationem, nequit ulla formalitas creata posit va cum ipsis habere repugnantiam contradictionis, quin potiùs omnimoda creata formalitas, secundùm quod est positiva, ex Divinâ perfectione ideata habeat cum ista analogicæ in Essendo proportionis similitudinem. 6.
Etsi verò cujcunque creatæ formalitati conveniat habere in se radicatam plenitudinis Essendi negationem, non quidem ex Ideali Dei formatione derivatam, attamen ex Divinæ simplicis Intelligentiæ negativo judicio *Intelligibiliter* expressam, ac mediante Divino nolitionis Decreto sub vi quadam *Exercitivâ*, non autem *Effectivâ* in rebus creatis *Exercitè* positam: Ejusmodi tamen negatio tunc primùm posset respectu Dei habere contradictionis repugnantiam, si in ipsum seu subjectum cadere posset, siquidem contradictoria oppositio sit ejusdem de eodem affirmatio, seu positio, & negatio. 7.
Cùm igitur vi Communicationis Idiomatum eatenus fiat mutua Divinorum & humanorum attributorum de se invicem prædicatio, ut nulla tamen attributorum ejusmodi fieri possit confusio, sed cuique, Divinæ & Humanæ naturæ maneant sua attributa, impermixta & inconfusa, nec adeò Humana ex sui Essentiali in potentialitatem immersione, & hinc ortâ limitatione, quandam purioris Essentialitatis negationem subinferentia, possint vi communicationis Idiomatum attribui naturæ Divinæ; sicuti nec econtra Divina ex suæ purissimæ Essendi actualitatis ratione, omnimodæ imperfectionis, atq; adeò negationis *Formaliter intrinsecè* exclusiva attributa possunt per Communicationem Idiomatum intelligi appropriata Humanæ Christi naturæ. Idcirco manifestè evincitur, per Communicationem Idiomatum in Hypostaticâ Divinitatis & Humanæ naturæ unione fundatam non posse committi aliquam contradictionem. 8.

A X QUÆ-

QVÆSTIO DECIMA.

DE

SANCTITATE, GRATIA, DONIS ET VIRTVTIBVS CHRISTI.

1. CHristum in primo Conceptionis suæ instanti fuisse Sanctum, evincitur ex illo *Lucæ 1. Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc enim patet, ex eo statim fuisse Christum Sanctum, quòd esset Filius Dei. At ex primo suæ conceptionis instanti fuisse Christum Filium Dei, patet ex Fide Orthodoxâ, ostendimusque *superiùs*. Ergo statim, ac per primam conceptionem, seu substantialem ex purissimo Virginis Matris sanguine generationem Christus natus erat, fuit Sanctus, utpote filius Dei; insinuante istud Joanne Apostolo *1. cap.* ubi, cùm dixisset, quòd *Verbum esset Caro factum*, subjungit, *fuisse plenum*
2. *Gratiæ & Veritatis.* In quem adeò sensum ipsemet Christus *Joan.* 10. de se dixit. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Ex hoc namque constat, simul subsistere, quòd Christus à Patre sit missus, & Sanctificatus. At missus erat sub ipsâ Incarnationis Divinæ actione. Ergo ex
3. tunc erat etiam Sanctificatus. Unde patet, tum quòd Christus non tantùm quà Filius Dei, secundùm naturam Divinam fuerit Sanctus, sed habuerit Sanctitatem mediante actione Sanctificationis derivatam in ipsam adeò humanitatem: tum quòd Sanctitatis in Christi humanitatem ex Virgine Deiparâ prodeuntem derivatæ ratio specialiter reducatur in nominationem Filij Dei: tum denique quòd præter istam Filiationis Divinæ nominationem, & hinc communicatam Sanctitatem dicatur plenus gratiæ, uti-
4. que habitualis accidentaliter sanctificantis. Ex quibus proinde evincitur, duplicem in Christi humanitate adstruendam esse Sanctitatem, substantialem scilicet, ex unione ad Verbum Divinum seu Hypostasin Filij Dei, nec non accidentariam Gratiæ Habitualis. De hâc igitur duplici Christi Humanitatis sanctitate duos hic expediemus articulos, tertium subnexuri de Donis ac Virtutibus Christi.



ARTICULUS I.

DE

Substantiali Christi humanitatis Sanctitate.

HUmanitatem Christi ex unione ad Verbum Divinum esse substantialiter sanctificatam, evincitur ex Sanctis Patribus passim asserentibus, Divinitatem fuisse oleum, quo Christi humanitas fuerit uncta, & hinc Christum perinde esse ac unctum, non alio, quàm Divinitatis unguento. In quem proinde sensum Gregorius Nazianzenus *Orat. 2. de Paschate post med. §. Quocircà.* ita differit de Christo. *Perfectus autem fuit, non modò propter Divinitatem, quâ nihil est perfectius, sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam.* Et Joannes Damascenus *lib. 3. Orth. fid. cap. 3.* ita loquitur de Christo, *Ipse enim se ipsum unxit, ungens quidem ut Deus suâ Deitate: unctus autem ut homo. Nã ipse est hoc & illud, siquidem Deitas sit unctio humanitatis.* Hinc igitur oritur quadruplex controversia. 1. *An, & quomodò unio Hypostatica sit Formaliter sanctificativa Humanitatis Christi?* 2. *Utrùm, Hypostasis Verbi quà virtualiter distincta à Divinitate Formaliter sanctificet Christi humanitatem?* 3. *Utrùm, & qualiter Divinitas, & Sanctitas Dei attributalis sit Formaliter sanctificativa Humanitatis Christi?* Quibus tandem per modum corollarij subnectemus, *An, & quomodò verificetur, quòd Humanitas Christi simpliciter infinitè sanctificetur per Divinam Verbi Hypostasin?* 5. 6.



CONTROVERSIA I.

An, & quomodò unio Hypostatica sit Formaliter sanctificativa Humanitatis Christi?

ALiqui recentiores apud Cardinalem de Lugo *præf. disp. 16. sect. 2. n. 27. in fine.* tenent, unionem Hypostaticam modalem 7.
forma-

formaliter sanctificare Humanitatem Christi. Fundamentum est; Quia talis unio Hypostatica expellit peccatum actuale & Habituale, exigitque *connaturaliter* habitus supernaturales. Ergo magis sanctificat, quàm Gratia Habitualis.

2. Ergo *de se* est sanctitas formalis.

Econtra Vasquez *præs. disp. 41 cap. 4.* Card de Lugo *citatus n. 28.* Ysambertus Sorbonicus *de Myst. Incarn. ad q. 7. disp. 1. a. 3. circa finem.* tenent, unionem Hypostaticam, quatenus vel dicit actionem unitivam, vel formalem modalem humanitatis cum Verbo conjunctionem, non esse *Formaliter* Sanctificativam Humanitatis Christi. Fundamentum est, Tum quia licèt ista unio in suâ entitate sit perfectior Gratiâ habituali, hæc tamen habet *formaliter* divinizare subjectum, prout est natura Divina per imitationem & participationem. Et hinc constituit filium Dei, non quidem naturâ, sed Gratiâ, & adoptione, seu imitatione, sicuti etiam subjectum suum red-

3. dit Deum, non *Propriè*, sed *Imitativè*. Econtra verò unio Hypostatica, licèt sit via ad divinizandum subjectum, non tamen est *Formaliter* divinizans; cùm neque *formaliter*, neque *Imitativè* sit entitas Divina, sed conjunctio realis cum verâ Divinitate. Atqui Sanctificare *Formaliter*, est reddere subjectum *Formaliter* particeps Entitatis Divinæ. Ergo unio Hypostatica non est Formalis Sanctitas. Et hinc etiam est, habitus supernaturales non exigi, vel dimanare *Formaliter* ab istâ unione, ut à primâ radice, sed à Divinitate, vel Personalitate, quæ sunt *Entitativè* & *Formaliter* entitas Divina, quæ exigunt habitus proportionatos ad

4 operationis ordinis Divini. Tum quia licèt unio Hypostatica *Essentialiter* repugnet cum peccato, hinc tamen non evincitur, esse Formalem sanctitatem, cùm etiam actio, quâ producitur, vel conservatur illa unio, repugnet *Essentialiter* cum peccato, nec tamen *Formaliter* sanctificet, sed sit via ad sanctitatem. Pari ergo ratione unio Hypostatica expellit peccatum, non ut forma sanctificans, sed ut via in excellentiori genere Sanctitatis.

Conclusio.

5. VErum est, quòd unio Hypostatica Formalis *Formaliter*, actio verò unitiva per modum unionis quasi Causalis, *Causaliter ut Quo* duntaxat sit sanctificativa Humanitatis Christi.

Probatur. Nam unio Hypostatica Formalis nihil aliud est, quàm Humanitatis Christi per Verbi Hypostasin Formalis actuatio. Hæc verò actuatio Formalis non est modus substantialis inter Humanitatem & Verbum intermedius; sed est purissima subsistentiæ Verbi actualitas, sui ipsius mediante actione unitivâ, *Formaliter* communicativa naturæ creatæ. At ex *controv. sequenti* patebit, vi talis actuationis Formalem subsistendi quasi effectum Hypostasis Verbi proprium *Formaliter intrinsecè* communicantis naturæ humanæ, istam per Divinum subsistens *Esse Formaliter*, ac eatenus Divinizari, ut per hanc formalem sui Divinizationem sit *Formaliter intrinsecè* sanctificata. Verum igitur est, quòd unio Hypostatica Formalis sit *intrinsecè substantialiter* sanctificativa Humanitatis Christi. Secus verò est, de unitivâ Verbi ad humanitatem actione; nec non de formali modali (si inter Humanitatem & Verbum daretur tanquam media) unione.

Probatur istud assumptum. Etenim omni quidem entitati secundùm substantiam supernaturali eatenus convenit, esse Divinam, quatenus ex ipso quasi specifico Divinitatis gradu *in Quarto perfectatis genere per se Formaliter* est ideata; & ut sic specificata. Nihilominùs non ex istâ præcisè qualicunque Divini quasi specifici gradûs Ideatione ac specificatione subsistit perfectio Formæ sanctificantis; sed oportet, istam habere radicalem, vel Eminentialem omnimodæ sub gradu quasi specifico Divinæ participationis continentiam. At actio Verbi unitiva, seu Hypostatica modalis & intermedia (si daretur) unio per suam Essentiam ita est contracta sub formalitate Causalitatis, vel effectricis, vel Formalis ad Divini subsistentis *Esse* ex Verbo derivationem, Humanitati intrinsecè communicandam, ut neque sub ratione radicalis, neque sub ratione Eminentialis radicis in se *Virtualiter* sit præcontinens omnimodam ex Divino quasi specifico gradu ideatam perfectionem. Ergo talis unio Hypostatica, licèt sit *participativè* Divina, nequit tamen secundùm suam præcisè Entitatem intelligi *simpliciter* ac *omnimodè* perfecta esse in lineâ Divinæ quasi specificæ participationis. Ergo non habet rationem Formæ sanctificantis, sed viæ duntaxat *Essentialiter* connexæ cum Hypostasi Divinâ Verbi, quâ sui ad Formalem sanctificationis Effectum tribuendum, humanitati non *Informativè*, attamen *Formaliter intrinsecè* communicativâ.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Formam sanctificativam esse, peccati expulsivam, tùm quatenus habet Formalem oppositionem cum peccati habitualis maculâ, tum quatenus est Donum ex Dei dilectione Omnimodæ saltem radicalis Divinæ quasi specificæ participationis effectrice fluens. Et hinc ad Formam sanctificantem requiri, ut per sui communicationem seu subjecti actuationem sit *Formaliter* expulsiva peccati Habitualis. At verò unionem Hypostaticam modalem (si daretur) uti & actionem Verbi unitivam non *Formaliter immediatè*, sed *Imitativè* & *quasi Causaliter*, per modum viæ duntaxat, mediante Formali Verbi Divini per ipsam communicatâ sanctificatione, *ut Quo* esse peccati expulsivam. Ergo non pertingere ad perfectionem Formalis sanctitatis, nec adeò ex suâ præcisè entitate, utpote quæ sub illâ viæ personalem Verbi sanctitatem *ut Quo* communicantis formalitate sit limitata, posse in vi radicalis Principij habere connaturalem habituum supernaturalium exigentiam: sed istam supereminentialem Exigentiam, seu præcontinentiam competere duntaxat Formali per Increatam Verbi Hypostasin sanctificationi, quæ ad illam unitionem, seu unionem se habet *Terminativè*. 7.

Ad Cardinalis de Lugo *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo displicere 8.
1. Quòd unionem Hypostaticam modalem (si daretur) dicat *Entitativè* perfectiorem gratiâ Habituali

X 2

bituali. Contra hoc enim est, quòd Habitualis Gratia per suam Essentiam eatenus sit *Radicaliter* omnimoda Divinæ quasi specificæ participationis perfectio, ut ipsummet etiam lumen Gloriæ, ac Visionem Beatificam in se præcontineat, atq; adeò sub ratione dispositionis subjectum habituantis, habeat intrinsecam connaturalem proportionem cum intentionali Divini *in se* subsistentis *Esse* intelligibilis unitione, per visionem Beatificam consummandâ. At verò unioni Hypostaticæ Modali (si daretur) non *formaliter* secundùm suam propriam Entitatem, sed *Terminativè* ratione Sanctitatis Divinæ personalis, per ipsam ceu medium *Quo*, communicatæ posset illa ad omnimodam supernaturalem, seu Divinam quasi specificam participationem radicalis, sive Eminentialis Exigentia convenire. Nequit ergo actio Verbi unitiva, vel unio Hypostatica modalis in se *Formaliter* spectata (si detur) *quoad perfectionem Entitativam* excedere, vel etiam coæquare excellentiam gratiæ Habitualis.
9. 2. Displicere, tum quòd neget, actionem Verbi unitivam esse Entitatem *Formaliter participativè*, seu *Imitativè* Divinam, tum quòd in istâ Entitatis quà Divinæ formalitate statuat specificum formæ sanctificantis conceptum. Nam in contrarium est, quòd omni Enti *quoad substantiam* supernaturali ex ratione genericâ supernaturalitatis conveniat, esse Entitatem ex quasi specifico Deitatis gradu *in quarto perseitatis genere* specificatam & Ideatam, esseque adeò *Imitativè* Divinam. Cùm proinde unitio, seu unio modalis Hypostatica (si detur) sit *quoad substantiam* supernaturalis, nequit à ratione formæ sanctificantis ex eo præcisè deficere, quòd non sit Entitas Divina, sed quòd non omnimodæ quasi specificæ Divinæ participationis *Radicaliter*, vel *Eminenter* sit contentiva, sed per suam quidditatem coarctata ad Formalitatem viæ, per quam fiat communicatio Hypostasis Verbi Humanam Christi naturam *Formaliter* sanctificantis, uti mox explicabitur.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CONTROVERSIA II.

Utrùm Hypostasis Verbi quà virtualiter distincta à Divinitate, Formaliter sanctificet Christi humanitatem?

1. VAsquez in *3. p. disp. 41. cap. 2.* & Turrianus *tract. de Grat. disp. 1. dub. 6. & 7.* negant, Personalitatem Verbi, prout *Virtualiter* condistinctam à naturâ Divinâ, esse *formaliter* sanctificativam Humanitatis. Fundamentum est 1. Nam quod *formaliter* sanctificat, est *formaliter* constitutivum in ratione Filij Dei, facitque *formaliter* subjectum esse particeps naturæ Divinæ. At personalitas Verbi, prout intelligitur *virtualiter* condistincta à naturâ Divinâ, non est ut sic *Formaliter* natura Divina. Ergo ut sic non sanctificat *formaliter*, quia nec ipsa ut sic reddit Filium *Formaliter*.
2. 2. Quia illud, quod non est Sanctitas Formalis, non potest *formaliter* sanctificare. At Hypostasis Verbi ut sic non est *formaliter* sanctitas, cùm alioquin ut sic *formaliter* sanctificando Verbum, huic tribueret Formalitatem sive radicis ad Beatitudinem, sive actualis Beatitudinis.

Econtra affirmant Suarez *praes. disp. 18. sect. 5.* 3. Nazarius *ad praes. q. 7. ar. 1. cont. 1. concl. 4.* Vincentius *Relect. de Gratiâ Christi q. 1.* Ysambertus Sorbonicus *praes. disp. 1. art. 4.* Cardinalis de Lugo *disp. 6. de Incarn. sect. 2. n. 31.* cum Sancto Thomâ *q. 6. a. 6.* docente, Gratiam unionis esse ipsum Esse Personale. Fundamentum est. Quia personalitas etiam prout condistincta à Naturâ Divinâ est Entitas Divina. Et hinc Ecclesia in præfatione de Sanctissimâ Trinitate adorationem Latriæ exhibet ipsis etiam personalitatibus, seu proprietatibus personalibus. Ergo personalitas Verbi etiam ut sic *simpliciter* divinizat, atque adeò Sanctificat humanitatem, redditque eam consortem Divinarum perfectionum.

CONCLUSIO.

PErsonalitas Verbi etiam ut sic est *formaliter* Sanctificativa Humanitatis Christi. 4.

Probatur. Nam Sanctitas quatenus respondet nomini *Agios*, secundùm Divum Thomam *1. 2. q. 81. a. 8.* significat munditiam. At verò Personalitas Verbi ut sic *Formalissimè* importat *Esse* subsistens, ipsamque adeò Essendi puritatem. Hæc verò Essendi puritas *Formalissimè* communicatur per unionē Hypostaticam, ita ut humanitas Christi non aliam habeat Existentiæ actualitatem, quàm Increatam Verbi Divini. Ex hâc igitur convenit Humanitati Christi Formalis Sanctificatio.

Dices. De ratione Sanctitatis esse, quòd sit radix Beatitudinis supernaturalis. At Hypostasin Verbi ut sic *praecisè* tribuere Humanitati Formalitatem subsistendi, Ex hoc autem non posse statim intelligi, quòd sit radix supernaturalis Beatitudinis. Ergo non videri, quòd Hypostasi Verbi ut sic conveniat, esse *formaliter* Sanctificativam Humanitatis. 5.

Contra. Nam Hypostasis Verbi *transcendentaliter* ac *essentialiter* importando Divinam Essentiam, ipsumque adeò purissimum Dei subsistens *Esse*, fundat in se *formalissimè* intelligibilitatem purissimam sui ipsius *actualissimè* expressivam. In hâc autem purissimâ intelligibili subsistentis *Esse*, ipsiusq; adeò Essentiæ Divinæ actualissimâ expressione consistit *Formaliter* tum Natura Divina, tum beatitudo Dei Increata. Constat igitur, Hypostasin Verbi ut sic in se *quasi virtualiter* fundare beatitudinem sibi *realiter Formaliter* identificatam. Etsi verò Hypostasis Verbi Divini per sui cum Humanitate unionem personalem sit *Formaliter* communicativa sui *Esse* subsistentis, nequit tamen illius intelligibilis expressionis, ceu formalis beatitudinis effectum quasi formalem communicare Humanæ Christi naturæ, sed sub formalitate actualitatis Divinam Essentiam, ut est *in se*, purissimè repræsentantis, potest animæ Christi uniri solum *objectivè* per modum objecti *immediatè* attacti, non autem per modum formæ actuantis, *ut inf. sequent. demonstrabitur.* At verò, cùm hypostasis Verbi Divini per sui cum Humanitate unionem eatenus sit actuans Essentiæ humanæ in *Essendo* seu 6. 7.

existendo

existendo ac *subsistendo* potentialitatem, ut huic sub ratione Entis actualis tribuat Essendi formalitatem *essentialiter* Divinam, consequens est, vi talis unionis *connaturaliter* deberi Humanitati taliter in *Essendo* perfectæ modum operandi Divinum. Eo ipso autem, quòd natura humana non æquè in ratione Principij operativi radicalis, seu in ratione naturæ, ac in ratione Essentiæ sit *substantialiter* imperfecta, sive in potentiâ, sequitur; naturam humanam Christi non æquè per Divinæ beatitudinis Increatam operationem posse *formaliter intrinsecè* perfici, ac sit actuabilis per Divinæ Increati Verbi existen-
8. tiæ actualitatem. Hinc autem rursus fit, quòd cùm Divinæ Essentiæ expressio Intelligibilis, atque adeò Beatitudo Dei Increata non *formaliter physicè* sit unibilis cum Humanitate Christi, oporteat, istam eatenus saltem habere modum operandi Divinum, quatenus vi suæ per Divinam Verbi hypostasin Essendi perfectionis exigat *connaturaliter* operationem aliquam, per quam Verbi Divini in se purissimè subsistens actualissima Intelligibilitas ipsi uniatur *objectivè* ac *intentionaliter*. At ista intentionalis ad Divinam Essentiam quà objectum; *ut est in se immediatè* attactum unio est *formaliter* visio Beatifica, præexigens in subjecto lumen Gloriæ, nec non Habitualem Gratiam, tanquàm sui partim proximum, partim radicale principium. Constat igitur, qualiter Hypostasis Verbi *ut sic* Humanitati sibi unitæ ipsissimum Essentiæ Divinæ proprium *transcendentaliter* in ipsâ imbibitum subsistens *Esse* communicando, hancque adeò *formaliter* sanctificando, fundet jus ad beatitudinem.

Responsio ad opposita fundamenta.

9. AD *n.* 1. oppositum Respondetur. In hypostasi Verbi Divini intelligi duplicem *virtualiter* distinctam formalitatem, *Esse* nimirum subsistentis, ut sic *formaliter* importantis Essentiam, & intelligibilis *hujus Esse* expressionis ut sic *formaliter* importantis Naturam Divinam. Etsi verò hæc utraque formalitas sit *transcendentaliter* ac *impræscindibiliter* inclusa sub ratione Verbi, seu Filij Dei, ejusque adeò Hypostasis, ratio tamen *Esse* subsistentis *Esse* atq; adeò Essentiæ Divinæ à ratione naturæ *virtualiter* distincta per sui cum humanitate Hypostaticam unionem potest huic suum quasi formalem effectum communicare, quin sub formalitate naturæ sit *physicè* unibilis cum naturâ humanâ. Unde sequi, quòd natura humana Christi non quidem *formaliter physicè* sit particeps Divinæ naturæ, sit tamen *physicè*, non quidem *identicè*, vel etiam *informativè*, sed *formaliter hypostaticè* particeps Divini subsistentis ipsiusque adeò Divinæ Essentiæ. Hinc autem fieri, ut Divinæ quoque naturæ sub *Esse* intelligibili habeat unionem Intentionalem. Quare ex vi istius Intentionalis cum Divino Intelligibili Esse, *ut est in se*, unionis, Humanitatem Christi non tantùm beatificari, sed insuper sanctificari accidentariè, præsertim etiam ratione Habitualis ad illam *connaturaliter* prærequisitæ gratiæ, ac denique per Divinî subsistentis Humanitati *physicè* ac *hypostaticè formaliter* communicati *Esse* actuationem sanctificari *substantialiter*.

Ad *n.* 2. oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd personalitas Verbi non possit præscindi ab Essentiæ Divinæ, seu puri subsistentis *Esse* formalitate, habere ut sic formalitatem sanctitatis, utpote actualissimæ in essendo puritatis, ut sic *virtualiter* fundantis purissimam sui *in se* intelligibilem expressionem; ceu naturam Divinam & formalem beatitudinem. Manifestum igitur esse, quòd sub ipsâ etiam personalitatis Divinæ Verbi formali, ut sic Essentiam Divinam, seu actualissimum subsistens *Esse transcendentaliter* importantis ratione formali stet & ratio, sanctitatis & radicis primæ ac Increatæ Beatitudinis. 10

CONTROVERSIA III.

Utrùm, & qualiter Divinitas; seu sanctitas Dei attributalis sit formaliter sanctificativa Humanitatis Christi?

LOrca *præf. disp.* 3. *n.* 6. & aliqui recentiores tenent, Humanitatem Christi *formaliter* sanctificari per solam personalitatem Verbi, non autem per Divinitatem, eo quòd ista non *immediate physicè* uniatur Humanitati. Fundamentum esse potest. Quia si Deitas *formaliter* sanctificaret humanitatem, sequeretur, totam Trinitatem, omnesque tres Divinas Personas sanctificare *formaliter* humanitatem, siquidem effectus provenientes à Deitate, tribuantur toti Trinitati. 11

Cardinalis de Lugo citatus *nu.* 38. & 48. & Vasquez *cit. disp.* 41. *cap.* 4. tenent, Divinitatem; etiam prout condistinguitur *virtualiter* à personalitate, sanctificare *formaliter* humanitatem Christi *immediatè, immediatione* formæ, non tamen *immediatione* unionis. Fundamentum est. Nam sanctificare apud Patres perinde est ac Deificare. At Patres; speciatim Nazianzen. *orat.* 2. *de Paschate.* & Damascenus *lib* 3. *de Fide. cap.* 3. dicunt, Christi humanitatē esse Divinitate delibutam, seu Deitate unam, atque adeò Deificatam. Quamvis proinde Deitas non uniatur *immediatè* cum humanitate, sed solùm *mediatè*; quia tamen mediante istâ unione, est Deificativa Humanitatis, consequenter est hujus *formaliter* sanctificativa, ita ut ista sanctificatio sit quidem mediante Personalitate Verbi, tanquàm conditione necessariâ, non autem tanquàm formâ; sed licèt personalitas Verbi sit etiam forma sanctificans, est tamen per *accidens* ad hoc, ut Deitas *formaliter* sanctificet mediante unione personali. 12

Ysambertus Sorbonicus *cit. disp.* 1. *a.* 6. *prop.* 2. tenet, sanctitatem Humanitatis ex Divinâ Naturâ, ut illi *mediatè* unitâ, *propriè loquendo* non esse formalem, seu à Naturâ Divinâ, tanquàm à forma *propriè* dictâ. Fundamentum est. Quia illud omne reale, quod tanquàm forma, aut quasi forma propriè dicta facit subjectum aliquod *formaliter* tale, debet vel propriâ suâ Entitate illud informare per realem sui existentiam in illo, vel per intimam conjunctionem cum eo illud actuare, ut sic constituatur Formale principium illius formalis effectûs, quem ei communicat. Hinc enim personalitas Verbi Divini communicat huma- 13

nitati ſuum formalem effectum, qui eſt ſubſiſtere; quia illi intimè unitur, & cum eâ facit aliquid unum in genere ſubſiſtentis. Econtra verò attributa Dei Eſſentialia, quia non uniuntur *immediatè* humanitati, nec cum eâ faciunt aliquod unum, ſuos effectus formales ei non communicant. At verò natura Divina, quatenus ſanctificat humanitatem Chriſti, non informat illam per realem ſui exiſtentiam, non enim eſt illi *immediatè* unita, ſed impermixta & inconfuſa. Ergo ut *formaliter* ſancta ſanctitate radicali & eſſentiali, non eſt propriè forma, ſeu quaſi forma ſanctificans *formaliter* humanitatem.

4. Vaſquez præcitatus *n.* 24. putat, Humanitatem non *phyſicè*, ſed *moraliter* duntaxat ſanctificari per Deitatem. In quo Cardinalis de Lugo *nu.* 50 ait, eſſe quæſtionem de ſolo nomine, quamvis meliùs dicatur, ſanctificari etiam *phyſicè* per Deitatem. Fundamentum eſt. Quia ad hoc, ut humanitas dicatur *phyſicè* ſanctificari per Deitatem, non requiritur unio immediata cum Deitate, ſicut etiam deificatur *phyſicè* per Deitatem, licèt non *immediatè* ſibi unitam. Unde qui vocant hunc effectum moralem, ſolùm intendunt, Divinitatem habere talem, tantamque excellentiam, ut, licèt ſolùm *mediatè* uniatur cum humanitate, hæc tamen mediata unio adeò valeat in hominum æſtimatione, ut opera humanitatis ita digna ſint, ac ſi Deitas *immediatè* uniretur. Eſt igitur illa unio Deitatis *phyſicè loquendo* mediata, *moraliter* verò immediata.

5. Yſambertus citatus *propoſ.* 3. tenet, attributum Divinæ Sanctitatis, prout eſt moralis ſanctitas & certitudo Divinæ voluntatis, non ſanctificare *formaliter* in tali genere ſanctitatis Humanitatem Chriſti. Fundamentum eſt. Quia hæc ſanctitas, quatenus eſt in humanâ voluntate Chriſti, *formaliter* importat ejus conformationem cum lege æternâ, & cum voluntate Dei. At iſta rectitudo, ſeu conformatio non poteſt in voluntatem humanam Chriſti derivari *formaliter* ex morali voluntatis Divinæ voluntatis ſanctitate ac rectitudine. Probatur iſta minor. Nam iſta Divina ſanctitas moralis eſt ipſe amor, quo Deus ſe ipſum amat ut ſummè Bonum. At iſte amor, ceu vitalis Deo inmanens actus non eſt naturæ creatæ *formaliter* communicabilis. Ergo nec illa ſanctitas moralis Divinæ voluntatis.

Conclusio.

6. Deitas, prout præciſam importat Dei Eſſentiam, non verò quatenus dicit naturam Divinam, ſicuti neque ſanctitas Dei attributalis poteſt ſuum quaſi effectum formalem *phyſicè* tribuere Humanitati: nec adeò eſt hujus *ſimpliciter loquendo, formaliter* ſanctificativa, ſed cum addito *formaliter objectivè*, ſeu *appretiativè*.

7. Prior pars probatur. Nam in Deo ſunt *virtualiter* diſtinctæ duæ quaſi lineæ, altera importans rectitudinem *Eſſendi*, altera verò rationem *operandi*. Hæc verò *formaliter* ſpectat ad naturam, illa verò ad Eſſentiam Divinam. At verò in lineâ Eſſendi ſunt formalitas purè ſubſiſtendi ac exiſtendi, ut ſic Eſſentiæ Divinæ conſtitutiva, nec non attributales æternitatis v. g. Bonitatis, perfectionis &c. formalitates. In lineâ verò quaſi operandi ſunt Formalitas intelligibilis Divini *puriſſimè* ſubſiſtentis *Eſſe* in ſe expreſſionis, ut Naturæ Divinæ conſtitutiva, nec non hujus quaſi attributales, Intellectionis creaturarum in Eſſentiâ ſuâ Divinâ expreſſivæ, Amoris, Omnipotentiæ &c. formalitates. Eo ipſo autem, quòd nulla formalitas poſſit ſuum effectum formalem alteri communicando, cum ipſo conſtituere unum *per ſe*, dum hoc, quoad formalitatem eiuſmodi jam eſt in actu, ſequitur evidenter, nullam ex illis formalitatibus Divinis *formaliter* quoad ſuum quaſi proprium effectum formalem eſſe communicabilem Humanitati Chriſti, niſi hæc ſub tali fomalitatis genere non ſit ex ſe ipsâ actuata, ſed habeat adhuc aliquid potentialitatis. At verò natura humana, cùm ſit Ens in potentiâ, Eſſentialem adeò ad *Eſſe* ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ ſub formali etiam ſubſtantiæ ratione potentialitatem importans, idcirco ex Divinâ Increatâ ſubſiſtentiâ & exiſtentiâ eſt *formaliter* actuabilis.
Econtra verò cùm potentialitas Eſſentiæ creatæ intra lineam ſubſtantiæ non admittat formalitatem Durationis, nequit æternitas abſoluta *formaliſſimè* ſubſtantialis ſuum quaſi effectum formalem communicare Humanæ Chriſti naturæ. 8.
Deinde natura humana ſub formali naturæ ratione eſt per ſe ipſam in actu. Ergo nequit natura Divina ſuum quaſi formalem effectum *phyſicè* communicando, cum ipsâ conſtituere unum *per ſe*. Etſi verò natura creata ſe habens per modum primi intra ſuum ſuppoſitum principij operativi, ſit in potentiâ ad actualem operationem, eo ipſo tamen, quòd antecedenter ad omnem operationem, imò ad potentiam quoque operativam, intelligatur ſubſiſtens ac exiſtens, atque adeò in ratione primæ actualis ſubſtantiæ omnino completa, nequit habere potentialitatem ad formalem effectum alicujus operationis, vel potentiæ operativæ, niſi quatenus iſta ſe habet per modum accidentis etiam prædicamentalis. At verò omnimoda Divina operatio ac potentia operativa eſt eſſentialiter ſubſtantialis. Nequit ergo iſta ſuum quaſi effectum formalem *phyſicè* tribuere naturæ humanæ Chriſti. 9.
Quamvis proinde verum ſit, naturam humanam Chriſti eſſe per Dei ſuſiſtens *Eſſe*, atque adeò per Eſſentiam Divinam *formaliter phyſicè* deificatam, nequit tamen *formaliter phyſicè* dici ſanctificata & deificata per naturam Divinam, ſeu ſanctitatem attributalem. 10.

Poſterior pars probatur. Nam per hoc, quòd Humanitas Chriſti dicatur per Naturam Divinam, ejuſque attributalem ſanctitatem *formaliter objectivè* & *appretiativè* ſanctificata; ſolùm inſinuatur, vi hypoſtaticæ cum Verbo unionis, Chriſti humanæ naturæ competere appretiationis Dignitatem, Divinæ formali ac eſſentiali ſanctitati propriam. At ſicuti ex eo, quòd omnimoda creata quidditas ac perfectio ex Divinæ Eſſentiæ ac Bonitatis imitabilitate ſupereminentiali ſit ideata, convenit huic talis ad Divinam infinitam Bonitatem connexio, ut intuitu hujus tanquàm motivi formalis in tantùm ſit per Divinam voluntatem appetibilis, 11.

in quan-

in quantùm de Bonitatis Dei increatæ ideatione ac exemplatione est *analogicè* participans: sic oportet Humanitati Christi non tantùm ex sui immediatâ ad Divinum subsistens *Esse*, atque adeò ad Divinam quà personalitati Verbi *transcendentaliter* intrinsecam Essentiam unione Hypostaticâ, sed etiam ex mediatâ ad naturam Divinam, ac omnimodam Dei attributalem perfectionem unione accipit infinitam appretiabilitatis Dignitatem coram Divino etiam
12. conspectu infinitam. Probatur istud assumptum. Nam Divinum subsistens *Esse*, atque adeò Divina in Hypostasi Verbi *transcendentaliter* inclusa Essentia *formaliter physicè* est sanctificativa Humanitatis Christi. At hæc ipsa Divini subsistentis *Esse* ratio est *transcendentaliter* importata in naturâ quoque Divinâ, omnique attributali Dei perfectione, imò cùm ratio Bonitatis ac perfectionis, atque adeò appretiabilitatis fundetur super *Esse*, nequit etiam *virtualiter* alia Dignitatis appretiabilitas esse in Naturâ, & attributis Divinis, quàm in ipsâ Dei Essentiâ, seu purissimo subsistente *Esse*, ut sic in Verbi Hypostasi *transcendentaliter* importato, atque *Formaliter physicè* communicato humanæ Christi naturæ. Hinc autem fit consequens, quòd Humanitati Christi per unionem Hypostaticam *Formaliter physicè* sit communicata omnimoda Divinitatis, ac Divinorum attributorum appretiabilitas. Ex ista verò omnimodæ Deo inexistentis appretiabilitatis communicatione formali fit, quòd Humanitas Christi habeat in se Dignitatẽ, cujus intuitu moveri possit Deus ad omnimodæ & naturæ Divinæ *quasi specificè* spectatæ, & attributorũ Divinorum perfectionis Idealem communicationem. At hoc ipsum est, quòd insinuare volueramus, dum dicebamus, omnimodam naturæ Divinæ, & attributorum Divinorum perfectionem *appretiativè*, seu *Formaliter objectivè* inexistere humanæ Christi naturæ, ita ut ex hujus quà Verbo unitæ, & ut sic Deificatæ appretiabilitate moveri possit Deus ad sui quamcunque cujusvis perfectionis Divinæ exemplativam participationem. Dicendum igitur est, Humanitatem Christi per naturam Divinam *strictè* sumptam & sanctitatem attributalem non quidem *formaliter physicè*, attamen *formaliter objectivè* seu *appretiativè* sanctificari ac Deificari.

Responsio ad opposita fundamenta.

13. AD *n.* 1. oppositum Respondetur. Quamvis humanitas Christi *Formaliter physicè* sanctificetur per Essentiam Divinam, quia tamen ista non in se *absolutè* spectata, sed quà in Hypostasi Verbi *transcendentaliter* importata est Humanitati Christi *Formaliter* unita, idcirco non toti Trinitati, sed soli Personæ Verbi convenit, esse *formaliter* sanctificativam Humanæ Christi naturæ.

14. Ad *n.* 2. propositum fundamentum Respondetur. Sub nomine Deitatis posse intelligi tum Essentiam, tum Naturam Divinam *strictè* sumptam: Si proinde Deitas accipiatur pro Essentia Divinâ, debere allegatas Patrum locutiones in eo accipi sensu, ut per eam quà in Hypostasi Verbi *transcendentaliter* importatam Humanitas Christi dicatur *Formaliter physicè* deificata, cùm tamen per Deitatem quà naturam Divinam non nisi *Formaliter objectivè* dici possit deificatâ. uti probat Ysamberti *n.* 3. deductum fundamentum.

COROLLARIUM.

An, & quomodò Humanitas Christi dici possit simpliciter infinitè sanctificata per Divinam Verbi Hypostasin?

INfertur. In hac propositione subesse æquivocationem, atque adeò opus esse distinctione. Nam 1. *Tò infinitè* intelligi potest afficere sanctificationem Formalem, ipsamque adeò humanitatis Christi ex Verbi Divini Hypostasi, quà Formali sanctitate actuationem. At quia ista Formalis actuatio est *Formalissimè* per ipsammet Verbi Divini Hypostasin, utpote actum purum, nec adeò mediante unione creatâ, seu formali actione unibilem, idcirco Humanitas Christi quoad Formalem sui sanctificationem dicenda est *simpliciter infinitè* sanctificata. 2. *Tò infinitè* afficere potest sanctificationem quasi causalem, seu actionem Personalis Verbi Sanctitatis cum humanitate unitivam. At quia ista actio est in se finita, nequit quoad istum sanctificationis modum Humanitas Christi dici *simpliciter infinitè* sanctificata. Hinc 3. Quia, dum aliquid dicitur *simpliciter infinitè* sanctificatum, *Tò infinitè* sanctificationem tam formalem, quàm Causalem est denominans, nequit Humanitas Christi *absolutè loquendo* dici *simpliciter infinitè* sanctificata, siquidem per hoc insinuaretur, quod non duntaxat sub ratione sanctitatis, imò & sanctificationis Formalis, sed etiam sub ratione actionis sanctitatem ejusmodi communicantis esset *simpliciter infinitè* sanctificata, cùm tamen soli Personæ Divinæ conveniat, esse sanctam per processionem, non mediante Causalitate aliquâ effectivâ, atque adeò finitâ, sed vi processionis Sanctitatem Divinam Increatam *Formaliter identicè*, atque adeò *simpliciter infinitè* communicantis. Nihilominùs 4. Quia in illâ propositione *Tò sanctificata* importat actionem Increatæ Verbi Sanctitatis, non *Formaliter identicè* in vi puræ in Deo subsistentis emanationis, sed *Formaliter unitivè* in vi Causalitatis extra Deum transeuntis communicativam. Idcirco quando humanitas Christi dicitur per Verbi Divini Hypostasin *simpliciter infinitè* sanctificata, ex hâc ipsa voce *Tò sanctificata*, denotatur aliqua restrictio, atque adeò potest in vi talis restrictionis sustineri illa prædicatio.



ARTICULUS II.

DE

Habituali Christi Gratiâ.

GRatiam habitualem inexistere Christo, evincitur tum ex *Joan.* 1. *cap.* ubi dicitur plenus Gratiâ & veritate: tum ex *Isaiæ* 11. ubi asseritur, super Christum

stum requiescere Spiritum Domini. At ista Spiritûs Domini inhabitatio est per Charitatem, & Gratiam. Unde etiam *Math. 12.* de Christo accipitur illud *Isa. 42.* effatum. *Ecce puer meus, quem elegi, ponam Spiritum meum super eum.* At per hunc sacrum textum de Christo jam constituto ex subsistentiâ Verbi & humanitate asseritur, quòd sit ponendus super eum Spiritus Sanctus. Ne-

2. quit autem intelligi Spiritus Sanctus super aliquem positus, nisi in vi communicatæ sanctitatis. Cùm igitur ista Spiritûs Sancti super Christum positio insinuetur secundùm aliquam *naturæ scilicet posterioritatem* posterior Hypostaticâ Verbi ad humanitatem unione: consequens est, præter substantialem Christi Sanctitatem inexistere humanitati, sanctitatem quoque accidentalem, atque adeò gratiam Habitualem; mediante quâ *Act. 10.* dicitur Christus unctus Spiritu Sancto, & virtute, veluti *in cap. 11. & 42.* exponit etiam Sanctus Hieronymus.

3. Quam proinde Habitualem Christi gratiam *in genere morali* ex sui ad suppositum Divinum conjunctione, nemo dubitare potest, esse infinitè superiorem nostrâ gratiâ, attamen in genere physico esse ejusdem cum nostrate speciei, eò quòd *Rom. 8.* dicantur Prædestinati conformes fieri imaginis Filij Dei, & cohæredes illius. At hæreditas nostra radicatur in gratiâ Habituali. Cùm igitur Ius hæreditatis in prædestinatis fundetur super conformitate imaginis Filij Dei, oportet, in Christo fuisse gratiam habitualem, nostrati *ex specie suâ* similem, ut exinde prædestinatorum cum Christo conformitas subsistere possit. Et hinc Sanctus quoque Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* dixit de Christo ut homine, *accepisse Spiritum Sanctum*, quem ut Deus aliis (non nisi mediante Gratiâ habituali) dabat. De quâ proinde Habituali Gratiâ du-

4. plex hic venit decidenda controversia. Prima, *Quæ sit ratio, cur Gratia Habitualis præter substantialem Hypostaticam Verbi Sanctitatem fuerit in Christo necessaria?* Secunda: *Qualiter in Christo semper fuerit plenitudo Gratiæ; & an ista sit simpliciter infinita?*

CONTROVERSIA I.

Quæ sit ratio, cur Gratia Habitualis præter substantialem Hypostaticam Verbi Sanctitatem fuerit in Christo necessaria?

1. MEdina *præs. q. 7. a. 1. in fine.* cum Soto *lib. 3. de nat. & grat. cap. 6. & in 4. dist. 19. q. 1. a. 2.* item Vasquez *disp. 41. cap. 3. & 5.* docent, gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia, ipsum etiam actualis gratiæ auxilium supernaturale in Christi humanitate *simpliciter*, ne quidem in ordine ad merendum fuisse necessaria, sed tantùm secundùm suavem Dei Dispositionem, in ordine ad operationes supernaturalium bonorum meritorias *connaturaliùs* exercendas. Fundamentum est. Quia Humanitas Christi per Verbi Hypostaticam unionem fuit sancta. Ergo ad hoc, ut sanctificaretur, non indigebat Gratiâ Habituali. At ipsa etiam unionis personalis Gratia fuit multò excellentius Principium supernaturale operationum, quàm sit gratia habitualis, vel alius habitus infusus, seu actuale inhærens auxilium. Ergo de absolutâ potentiâ Dei potuisset Christus, in quantum homo ex vi Hypostaticæ unionis humanitatis cum Verbo elicere operationes supernaturales meritorias, etiamsi nullam creatam gratiam habuisset.

Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 7. disp. 3. a. 1.* negat quidem, potuisse Humanitatem Christi ut *Hypostaticè* unitam Verbo, exclusâ omni gratiâ habituali, omnique alio illam supplente, elicere actus *secundùm substantiam* supernaturales: attamen sine omni habituali Gratiæ Dono potuisse exercere actus *moraliter* bonos, *secundùm equitatem* naturales bonorum supernaturalium meritorios. Fundamentum est. Ad hoc enim, ut operationes sint meritoriæ, solùm requiritur, quòd sint operationes bonæ, & procedant à subjecto grato: juxta illud *Gen. 4. respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* At operationes humanæ Christi, etiamsi nullum habuisset supernaturale Gratiæ Donum, fuissent *in genere moris* bonæ, & processissent à subjecto propter Divinam Verbi Hypostasin *infinitè* grato. Ergo fuissent meritoriæ.

Econtrario Durandus *in 3. dist. 13. q. 1. n. 6.* Paludanus *ead. dist. q. 2. contra concl. 3.* Capreolus *ibidem q. un.* Alvarez *disp. 31. n. 19.* & alij ex S. Thoma *præs. art. 1. in corp. & ad 2.* concludunt, per nullam potentiam fieri potuisse, ut Christus verè & propriè mereretur præmiū supernaturalis ordinis absq; gratia habituali, vel absq; principio supernaturali inhærente saltem per modum motionis. Fundamentum ab Alvare deductum est. Etenim potentia merè naturalis nisi elevetur, & fiat supernaturalis per aliquam formam, vel motionem supernaturalem, non potest actus *quoad substantiam* supernaturales etiam de Potentiâ Dei absolutâ elicere. Hæc enim ratione 1. *p. q. 12. a. 5.* ostenditur, sine lumine gloriæ inhærente non posse intellectum creatum elevari ad videndum Deum per Essentiam. At intellectus, & voluntas animæ Christi absque dono gratuito inhærente essent potentiæ merè naturales *in Esse physico*, quamvis enim Verbum Divinum tribuat *Esse substantiale Divinum* toti Humanitati, quam sustentat & terminat, non tamen tribuit *immediatè* eidem humanitati, ut sit Principium formale *Quo* supernaturalium operationum. Non poterat ergo humanitas Christi sine aliquâ gratiâ per modum saltem motionis inhærente potentijs, elicere actus supernaturales. At verò nullum opus est propriè meritorium vitæ æternæ, vel alterius supernaturalis præmij, nisi per actum Charitatis referatur *formaliter*, vel *virtualiter* in Deum tanquàm authorem Gratiæ, uti habet Sanctus Doctor *in 1. 2. q. 114. a. 5.* Consequens igitur est, non potuisse Christum mereri sine inhærente aliquo Gratiæ Dono.

CONCLUSIO I.

GRatia habitualis, prout importat Formam Sanctificantem, *secundùm Quid* duntaxat, sive *Connaturaliter* erat necessaria in Christo ad actum supernaturalis Præmij meritorium. 4.

Proba-

Probatur. Quia meriti condignitas desumitur quidem *Formaliter* ex sanctitate subjecti, hoc tamen evenit, quatenus opus ex subjecto sancto emanans respicitur à Deo, sub quâdam talis operis in sanctitatem, ceu sui Principium *Quod*, vel radicale sui Principium *Quo* reflexione, *uti in praced. q. 5. a. 1. conc. 1.* ostendimus. At verò Hypostasis Verbi tribuit quidem Humanitati Christi formalitatem Principij operationum tam supernaturalium, quàm naturalium: nequit tamen eidem tribuere formalitatem Principij *Quo*. Probatur istud assumptum. Nequit

5. enim Hypostasis Verbi humanæ Christi naturæ tribuere aliquem effectum formalem, nisi in ordine ad istum Humanitas intra lineam substantiæ sit in potentiâ. At Christi Humanitas est quidem intra lineam substantiæ perfectibilis per actualitatem subsistendi ac existendi: attamen quoad Formalitatem radicalis *naturaliter* operativi Principij, atque adeò naturæ nullatenus est in potentiâ, sed *Essentialiter* completa; quoad Formalitatem verò proximi *naturaliter* operativi, nec non Radicalis *supernaturaliter* operativi principij est actuabilis per formam duntaxat accidentariam. Ergo Hypostasis Verbi unita Humanitati Christi, non potest huic tribuere Formalem tam radicalis, quàm proximi sive naturaliter, sive supernaturaliter operativi Principij effectum; sed oportet, ejusmodi formalem effectum convenire Humanitati Christi ex formâ aliquâ accidentariâ. At forma accidentaria conferens formalitatem radicalis *supernaturaliter* operativi Principij est gratia sanctificans: Forma verò accidentaria tribuens Formalitatem proximi *supernaturaliter* operativi Principij est auxilium supernaturale per modum habitûs, vel motionis transeuntis animæ inhærens. Cùm igitur nullum dari possit opus præmij supernaturalis condignè meritorium, nisi sub quâdam talis operis in subjecti sanctitatem, ceu sui Principium radicale *Quo* reflexione, Hypostasis autem Verbi nequeat Humanitati per sui cum ipsâ unionem tribuere Formalem Radicalis *Quo* supernaturalium actuum operativi principij effectum, manifestè evincitur, non potuisse operum supernaturalium valorem respectu præmij supernaturalis de condigno meritorium in Christo subsistere sub aliquâ sui in principium Radicale *Quo* reflexione, nisi humanitati Christi infusa fuisset gratia Habitualis. At connaturale est omni actioni ex potentiâ aliquâ seu Facultate operativâ elicitæ, ut reduci debeat in connaturale Radicale Principium *Quo*. Ergo Gratia Habitualis in Christi humanitate in ordine ad supernaturales operationes fuit saltem necessaria ex ratione connaturalitatis.

CONCLUSIO II.

6. GRatia Habitualis, prout dicit vim supernaturaliter operativam, *simpliciter* de absolutâ etiam Dei potentiâ erat in Christo necessaria ad actum supernaturalis præmij meritorium.

Probatur. Nam Hypostasis Verbi Humanitati Christi communicat quidem Formalem Principij *Quod* quasi effectum. Nihilominùs nequit *Formaliter* tribuere potentiæ vitaliter operativæ Formalem effectum, *uti praced. concl. ostensum est*. At vis *supernaturaliter* operativa in Intellectu & Voluntate cujusvis animæ, est necessaria per modum formæ potentias ejusmodi elevantis & actuantis, atque ut sic constituentis *Formaliter* in *Esse* supernaturalizatæ vitaliter operativæ facultatis. Hinc autem fit, quòd, 7.
cùm actus vitalis per suam quidditatem debeat Immanenter esse procedens à potentiæ vitalis cum tali actu *intrinsecè* proportionatâ activitate, implicet, actum supernaturalem liberum vitaliter emanare ab Humanâ Christi voluntate, nisi hæc *intrinsecè* & *formaliter* sit actuata per vim sive Habitualem, sive transeuntem *supernaturaliter* operativam. At verò ad actum præmij supernaturalis de condigno meritorium *Essentialiter* requiri, ut sit in substantiâ supernaturalis, constat ex dictis *in to. praced. ar. 1. concl. 3.* Cùm proinde Essentiæ rerum sint omninò immutabiles, nequit per absolutam Dei potentiam in humanitate Christi absque supernaturali intrinsecâ per modum habitûs, vel transeuntis motionis inexistente virtute dari actus præmij supernaturalis de condigno meritorius.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD fundamentum *n. 1.* oppositum Respondetur: Non posse Verbi increati Hypostasin Humanæ Christi naturæ tribuere aliquem effectum Formalem, nisi in ordine ad istum sit ex parte Humanitatis potentialitas per substantialem Verbi actualitatem perfectibilis. At eo ipso, quòd natura Humana Christi sub Formali naturæ, atque adeò Principij *Quo Radicaliter* operativi ratione sit per se ipsam completa, non posse per Verbi Divini Hypostasin substantialiter actuabilem esse, nisi quoad primæ substantiæ, seu suppositi *actualiter* Existentis, atque adeò Principij *ut quod* operativi Formalem effectum. Hinc autem fieri consequens, quòd nequeat Humanitati Christi tribuere Formalem virtutis supernaturaliter operativæ effectum. Quare in humanâ Christi naturâ omninò opus fuisse gratiæ auxilio supernaturali, ut posset elicere actum *in substantiâ* supernaturalem, atque adeò Præmij supernaturalis *Condignè* meritorium. 8.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Ut Hypostasis Verbi actionibus naturalibus *Moraliter* bonis à Christi Humanitate, & voluntate elicitis tribueret valorem præmij supernaturalis *condignè* meritorium, debuisse ex suâ entitate habere proportionem alicujus *Connaturalitatis* non cum præmio duntaxat supernaturali, sed cum ipsâmet Verbi Divini Hypostasi tanquam Principio *Quod*, secundùm ipsummet suum quasi specificum gradum spectato. At licèt Hypostasis Verbi Divini supplendo creatam Humanitatis subsistentiam, naturæ humanæ Christi tribuat Formalem Principij *Quod* actuum tam naturalium, quàm supernaturalium operativi effectum. In hoc tamen duas *Virtualiter* venire distinguendas formalitates, ita ut sub unâ Verbi Divini Hypostasis creatam subsistentiam supplendo secundùm quasi genericum subsistendi gradum, sit in ordine ad actus naturales Humanitatis *in Esse principij Quod* constitutiva, sub alterâ verò Formalitate Humanam Christi naturam 9.

turam elevando *Formaliter* ad specificum Divinum subsistens *Esse*, sic in ordine ad actus supernaturales *participativè specificè* Divinos Humanitatis in ratione Principij *Quod* constitutiva. At verò Hypostasin Verbi non esse *Formaliter* Dignificativam moralium humanitatis Christi actuum nisi sub illo ordine, sub quo intelligitur Humanitatem constituere in *Esse* Principij *Quod*. Cùm igitur respectu actuum Naturalium in ordine Divinæ quasi genericæ participationis duntaxat communicet Humanitati Formalitatem Principij *Quod*, non posse tribuere valorem *Condignè* meritorium nisi in isto ordine, ac lineâ. Ergo actus naturales Morales ab Humanâ Christi voluntate elicitos non posse ex Verbi Divini sanctitate accipere condignitatem respectu Præmij supernaturalis.

CONTROVERSIA II.

Qualiter in Christo semper fuerit plenitudo Gratiæ, & an ista sit simpliciter infinita?

1. CAjetanus *præs. q. 7. a. 11. & 12.* Nazarius *in eund. ar. 12. cont. un.* & alij docent, tantam in Humanitate Christi semper fuisse Gratiæ plenitudinem, ut neque per absolutam Dei potentiam augeri posset. Fundamentum desumitur tum ab authoritate, tum ex ratione Divi Thomæ *cit. a. 12.* taliter differentis. *Sicut aliarum formarum est determinata mensura, & propria ex Divinâ Sapientiâ, ita & gratia. At mensura cujuslibet formæ est per ordinem ad suum finem. Finis autem Gratiæ est unio rationalis creaturæ ad Deum. Non potest autem esse, neque intelligi major unio, quàm quæ est in Personâ. Et ideò Gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quòd gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ.* Et in *3. ad Anibaldum dist. 13. q. un. a. 4.* ita differit. *Ideo gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit ejus capacitas, ultra quam augmentum esse non potuit remanente naturâ humanâ, seu naturâ creatâ, & Deus non potest facere aliquam capacitatem increatam.*

2. Huic sententiæ suffragantur Major *in 3. dist. 13. q. 3.* Almaynus *ead. dist. q. 1. §. istis suppositis*, & alij præsertim recentiores affirmantes, Christi gratiam esse *infinitè* intensam. Fundamentum est. Quia non repugnat gratia infinitè intensa. Ergo debuit dari propter Verbi Dignitatem.

3. Econtrario non tantùm Thomistæ, sed cæteri plerique Theologi, speciatim Suarez *disp. 22. sect. 1.* Vasquez *disp. 46.* Ysambertus *præs. disp. 4. a. 3.* Cardinalis de Lugo *disp. 16. sect. 6.* negant, Habitualem Christi Gratiam esse *intensivè* infinitam. Fundamentum potissimum desumitur ex repugnantiâ hujus infinitatis.

4. Hinc gratiam Habitualem Christi in suâ physicâ entitate spectatam de absolutâ Dei potentiâ potuisse augeri, docent Capreolus *in 3. dist. 13. q. 2. a. 1. concl. 2.* Medina *hic ar. 12.* Suarez *cit. cap. 2.* Vasquez *disp. 47. cap. 3.* Alvarez *disp. 36.* Ysambertus *cit. disp. 4. a. 7.* Joannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 9. a. 1.* desumiturque ex Divo Thomâ *in 3. p. q. 10. a. 4. ad 3.* sic differente. *Dicendum, quòd non potest esse major gratia, quàm gratia Christi, per respectum ad unionem ad Verbum. Idem etiam est de perfectione Divinæ visionis; licèt absolutè considerando, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem Divinæ potentiæ.* Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *à n. 14.* deductum est. Nam gratia considerari potest tum ex parte formæ, tum ex parte subjecti. At ex parte formæ gratia est accidentalis participatio Divinæ naturæ. Sicuti autem Divus Thomas *1. 2. q. 24. a. 7.* arguit de Charitate, quòd, cùm sit participatio infinitæ Charitatis, quæ est Spiritus Sanctus, possit ob cujuscumque datæ creatæ participationis, utpote finitæ, à charitate infinitâ participabili distantiam infinitam *syncategorematicè* in infinitum crescere. Sic consequenter dicendum erit de accidentali Divinæ naturæ participatione, quæ est Gratia Habitualis: Deinde subjectum gratiæ respicit hanc secundùm potentiam obedientialem. At potentia obedientialis creaturæ, licèt sit finita *Entitativè Categorematicè*, & *in actu*: cùm tamen potentiæ passiva commensuretur activæ, potentia autem obedientialis sit potentia ad obediendum infinitæ Dei potentiæ; idcirco talis obedientialis potentia est *syncategorematicè* infinita. Ergo nec ex parte subjecti repugnat, Gratiam Habitualem augeri *syncategorematicè* in infinitum. 5.

Nihilominùs Ysambertus præcitatus *ar. 4.* & Alvarez *ubi supra concl. 2.* docent, quòd Habitualis gratia vi moralis habitudinis, quam existens in Christo habet ad suppositũ Verbi, sit infinita, nec adeò possit secundùm dignitatem moralem in *Esse* gratiæ per potentiam Dei absolutam produci major gratia, quàm sit gratia Christi. Fundamentum est. Nam moralis dignitas rei alicujus attenditur penes dignitatem eorum, ad quæ res illa habet necessariam habitudinem. Atqui habitualis gratia Christi ut existens in illo, habet necessariam habitudinem ad Verbum Divinum, ut suppositum animæ, in quâ est. Ergo habitualis gratia Christi erit infinita per ordinem ad suppositum Verbi, quod est infinitum. 6.

CONCLUSIO I.

IN Christi humanitate à primo statim conceptionis instanti erat plenitudo Gratiæ, tum *quoad Esse physicum* Respectivè summa, quâ secundùm Ordinariam Dei potentiam major dari non posset: tum *Quoad Esse Morale* absolutè maxima, quâ in creaturâ rationali secundùm Dei potentiam etiam absolutam major non esset possibilis. 7.

Explicatur & probatur. Nam *primò* alia Gratiæ plenitudo est Extensiva. Hæc autem, si omnimodè perfecta sit, importat quandam vim effluxivam in omnes gratiæ effectus. At verò nullus ab instanti lapsûs Adami, ejusque posterorum datur in ullo homine gratiæ gradus, vel effectus, quin fluat ex meritis Christi tum *Effectivè Radicaliter*, tum *Dignificativè Formaliter* à Christi gratiâ Habituali per infinitam Verbi Hypostasin in *Esse* Gratiæ *infinitè* perfectâ promanantibus. Hinc autem *secundò*, quia effectûs perfectio commensuratur perfectioni Causæ, 8. sit consequens, Gratiam Habitualem Christi

etiam

etiam *in Esse physico* spectatam tantæ fuisse perfectionis, ut suâ intensione adæquaret omnes etiam *collectivè* sumptos gradus Gratiæ hominum, imò & Angelorum, utpote quorum Christus quoque Caput esset, influendo in ipsos saltem accidentaria aliqua supernaturalia Dona.

9. Cujus equidem ratio est. Nam quia Deus diligit Christum non solùm plus, quàm totum humanum genus, sed etiam magis, quàm totam creaturarum universitatem, sequitur, majus etiam bonum ei voluisse, ex sancto Thomâ *1. p. q. 20. a. 4. ad. 1.* Hæc autem major Dei erga Christum præ universis creaturis dilectio non tantùm fuit in ordine participationis Naturalis, sed etiam supernaturalis. Dicendum proinde, quòd intensio Gratiæ Habitualis in Christo tanta fuerit, ut adæquaret omnes Gratiæ gradus Angelorum & Hominum, etiam *collectivè* sumptos, uti præter alios probat Alvarez *præf. disp. 37.*

10. Ex quo proinde *Tertiò* infertur, quòd, sicut in sole datur plenitudo lucis tum Extensiva, quatenus omnium syderum lumina exinde promanant, tum Intensiva, quatenus lucis soli inexistentis oportet, tantam esse perfectionem, ut ab intrinseco sit commensurata cum omnibus ex ipsâ in universa Corpora tam sublunaria, quàm superlunaria emanantibus splendoribus: Sic Christus, cum quo Principium erat in splendoribus Sanctorum, à primo statim suæ existentiæ statu constitutus sol Justitiæ, in omnes Dei Electos influens sanctitatis radios, habebat etiam intensivam gratiæ plenitudinem, ita ut *secundum ordinariam Dei potentiam* augeri non posset.

11. Cujus equidem ratio est. Nam intensio *secundum potentiam Dei ordinariam* augeri non potest, quando adæquat totum gratiæ sanctificantis ordinem, Divinâ providentiâ definitum. At eo ipso, quòd de plenitudine Christi omnes accepimus, oportuit, totum Gratiæ sanctificantis ordinem cum omnibus inter sanctos divisis gradibus *Collectivè* etiam spectatis adæquari per intensionem Gratiæ Habitualis Christi. Dicendum proinde, talem gratiæ in Christo plenitudinem eatenus summam esse, ut *secundùm Dei Ordinariam potentiam* augeri non possit.

12. *Quartò*. Tametsi omne accidens Christi humanitati existens, ex sui cum supposito Christi tanquàm subjecto *Quod* unione trahat Dignitatem infinitam adorabilitatis, seu cultûs etiam Latriæ: attamen Gratia habitualis Christi ex sui ad unionem Verbi conjunctione crescit sub formali moralis Meritorum Christi Dignificativi valoris formalitate. Hic autem valor est proprius formæ sanctificantis. Unde non sub transcendentali duntaxat accidentis subjecto per infinitam Verbi Hypostasin suppositato-inhærentis formalitate, sed sub suâ specificâ etiam propriâ formæ sanctificantis ratione, non quidem *physicè*, sed *moraliter* in infinitum crescit Habitualis Christi humanitati inexistens gratia. Quare ex tali morali ad Hypostasin Verbi unione dici potest, Gratiam Habitualem Christi in *Esse* Gratiæ esse *moraliter simpliciter* infinitam.

CONCLUSIO II.

IMplicat physica intensiva Gratiæ Habitualis infinitas.

Probatur. Nam intensio nihil aliud est, quàm actio qualitatis *Causaliter* unitiva sub majori quâdam actuationis, mediante tali actione in subjectum derivandæ participatione. At implicat, ex formâ *Essentialiter* finitâ posse in subjectum derivari actuationem *simpliciter* infinitam. 13.

Imò sub hâc ipsâ formali actuationis ratione subsistere deberet quædam Divinæ perfectionis participatio. At hæc *Formaliter* in suâ entitate non potest intelligi quà infinita, quin ejus Essentia ut sic importet ideationem ex Divinâ Essentiâ *intrinsecè* infinitam. Hæc ipsa verò Essentiæ quà infinitam Divinæ Ideationis communicationem importantis formalitas & actualitas, omnimodam potentialitatem, utpote ut sic infinitæ ex Divinâ imitabilitate Ideationis *Formaliter* exclusivam deberet exuere. Ergo deberet esse actus purus. At implicat actus purus extra Deum. Ergo implicat Gratiæ Habitualis, aliusque formæ creatæ intensio *simpliciter* infinita. 14.

Dices. Ex hoc argumento saltem non probari implicantiam Intentionis, si hæc non tam in actuationis per formam mediante actione ejusdem unitivâ in subjecto exercitæ formalitate, quàm in additione gradûs ad gradum constituatur. 15.

Contra. Nam licèt non repugnent Gradus Gratiæ *Numericè* ac *Individualiter* discreti syncategorematicè infiniti, attamen implicat, Gratiæ gradus sive discretos, sive continuos eatenus crescere, ut actu *Categorematicè* infiniti simul existant. 16.

Probatur istud assumptum. Nam ista simultas vel importaret rerum creatarum ordinem ad unum instans æternitatis; vel diceret formalitatem Durationis in se infinitas res creatas *intrinsecè* afficientis, vel importaret rerum infinitarum actu existentium ad unum Principium, seu mensuram pro uno indivisibili *Nunc* subordinationem, sive earundem rerum sub Exercito Existentiæ statu coordinationem. At licèt in mensurâ æternitatis sint omnia simul; ita ut infinitæ per æternitatem futuræ hominum volubiles cogitationes possint ex æternitate denominari simul existentes, attamen si quæ Duratio creata posset per modum unius indivisibilis formalitatis *actu* infinitas res creatas afficere, oporteret, istam in se *Formaliter*, esse actualitatem eo ipso exclusivam omnimodæ potentialitatis, quòd sub ratione actualitatis haberet in suâ Essentiâ infinitatem. 17.

Deinde si infinitarum rerum actu existentium posset esse subordinatio ad unum principium, seu mensuram creatam, oporteret, in hâc esse commensurationem ad res infinitas quà actu existentes. At ista commensuratio non esset potentialitatis, sed diceret proportionem actualitatis ad infinitas *actu* existentes res *intrinsecè* commensuratæ. Ergo sub ratione actualitatis staret *formaliter* infinitas omnimodæ adeò potentialitatis exclusiva. Ergo foret actus purus. 18.

Similiter infinitæ res actu existentes sub *exercito Existentiæ statu* quà tali, si intrinsecam inter se haberent coordinationem, oporteret, in singulis ejusmodi rebus esse actualitatis ipsum Existentiæ statum *intrinsecè* contingentis proportionem cum infinitis rebus, quà *actu* existentibus. 19.

Etsi verò non repugnet, quamlibet rem creatam sub statu existentiæ habere intrinsecum ordinem ad infinitum Dei *Esse*, ejusmodi tamen ordo importat duntaxat analogicam proportionem, 20.

nem, non autem aliquam sub eâdem Essendi lineâ *æquiparantiæ* commensurationem. At quatenus rebus infinitis *actu* existentibus conveniret intrinseca inter se simultatis coordinatio, deberet in aliquâ intrinsecâ istarum rerum formalitate esse commensuratio non *analogica* duntaxat proportionis, sed *actualis* sub eâdem *Essendi* lineâ coordinationis ad infinitas res quà actu existentes. Ejusmodi verò commensuratio deberet in se quoad proprium suum Essendi statum eo ipso infinita esse, quòd in suâ formali Essentialitate importaret actualem cum rerum infinitarum *Exercito* Existentiæ *statu* commensurationem omninò coæquatam. Quare tali actuali commensurationi inexisteret infinitas actualitatis, esset que adeò actus purus. At implicat, ullam formalitatem creatam habere rationem actûs puri. Ergo implicat, infinitas res creatas, atque adeò infinitos Gratiæ gradus, sive continuos, sive discretos *actu simul* existere.

21. Ex quo proinde etiam fit, quòd, cùm Gratia humanitatis Christi *quo ad intensionem* non possit *physicè* esse infinita, consequenter *de absolutâ Dei potentiâ* posset *Syncategorematicè* in infinitum augeri. Nihilominùs quia *secundum potentiam ordinariam* à primo statim suæ existentiæ instanti Christus tantam habebat gratiæ plenitudinem, ut *secundùm potentiam Dei ordinariam* augeri non posset. Ideirco quando Christus *Luc. 2.* dicitur *profecisse ætate, & sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines*, debet istud incrementum accipi nô de augmento habituum, sed de actibus, qui crescente ætate, non quidem *intensivè*, ac *specificativè*, vel etiam *moraliter Dignificativè*, sed *Extensivè* quoad perfectiorem in externa opera redundantiam virtuosiores ac perfectiores edebantur in lucem & conspectum tùm hominum, tum majoris Gloriæ Dei. ex Divo Thomâ *præs. art. 12. ad 3.*

Responsio ad opposita Fundamenta.

22. Ad *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur 1. Ex primo textu Divi Thomæ solùm evinci, quòd ratione unionis ad Verbum competat Humanitati Christi Gratia habitualis, quæ secundùm mensuram à Divinâ Sapientiâ impositam sit summa. At hinc concludi duntaxat, quòd Gratia habitualis *secundùm potentiam* duntaxat *ordinariam* in Christo augeri nequeat, eò quòd sapientia Divina omnis Gratiæ in creaturis rationalibus diversorum graduum mensuram coagmentatam posuerit in Christi humanitate tanquàm Exemplari, de cujus plenitudine universi accipere deberent. Unde plus evinci non posse, nisi quòd tanta in Christi humanitate propter unionem ad Verbum esset Gratiæ intensio, quanta juxta ordinem Divinæ sapientiæ deceret Christum hominem, ceu Caput universæ creaturæ rationalis. At verò istam Gratiæ plenitudinem sufficienter adstrui, si asseratur, Christi habitualem Gratiam suâ intensione coæquare omnes hominùm, & Angelorum Gratiæ gradus etiam *Collectivè* sumptos Respondetur 2.

23. Ex secundo sancti Doctoris textu evinci duntaxat, quòd habitualis Christi gratia *quasi concretè secundùm moralem* sui cum personali Verbi unione *conjunctionem* spectata, non verò *secundùm* creaturæ *capacitatem*, vi absolutæ quoque potentiæ Divinæ nequeat magis augeri. Et hinc gratiam Habitualem non præcisè in ratione *Physica sua Entitatis* sed sub ratione gratiæ in *Esse* morali *quoad sui* cum Hypostasi Verbi ejusdem *Formaliter* dignificativâ *conjunctionem* esse infinitam.

Ad *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Non esse in quocumque genere intelligibile infinitum *simpliciter*, nisi sub aliquâ actualitate potentialitatis *infinitè* exclusivam. Ejusmodi verò formalitatem fore actum purum, atque adeò Omnipotentiæ Divinæ non solùm *Syncategorematicè*, secundùm potentiam, sed actu *Categorematicè* coæquatam. Unde fore etiam consequens, si Deus posset in creaturis producere infinitum *simpliciter*, in unicâ talis creaturæ productione non minùs adæquandam, atque adeò exhauriendam fore Omnipotentiam Divinam, atque in productione unius Verbi, utpote Actûs puri sit coæquata, & sic exhausta potentia Verbi Divini generativa. Ex quo proinde capi e Théologis ac Philosophis solenne esse, quòd exinde demonstrent, non posse extra Deum dari infinitum *actu* categorematicum. 24.

ARTICULUS III.

De

Donis, ac Virtutibus Humanitatis Christi.

Duplex Gratiæ genus distingui solet, Gratiæ scilicet gratis datæ, & gratum facientis. Sub primo genere veniunt etiam Dona Spiritûs sancti, ac virtutes uti *per se* connexæ cum Gratiâ Habituali sanctificante. Et quidem in Christo fuisse omnia septem Dona Spiritûs sancti, evincitur tum ex illo *Isaiæ 4. Apprehendent septem mulieres virum unum*; id est, uti Glossa habet, septem dona Spiritûs sancti Christum: tum ex illo *Luca 4. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane, & agebatur à Spiritu in desertum.* At verò Donorum Spiritûs sancti proprium est, quòd animæ potentias quasi ab intrinseco sub quâdam Divini operandi modi connaturalizatione moveant ad sublimiores virtutum actus, uti *praced. 10. q. 1. art. 3.* docuimus: tum denique ex illo *Isaiæ 11. Requiescet super eum*, scilicet Christum, *Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & Intellectûs, Spiritus scientiæ & pietatis, Spiritus consilij & fortitudinis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Ex hoc enim sacro textu elucet, Donum quoque timoris Domini inditum fuisse animæ Christi. Est autem hujus Doni actus primarius, quatenus anima reveretur Divinam Majestatem, ejusque potentiam infinitam, ut ex suo absoluto Dominio mali pœnalis inflictivam, & mali culpæ permissivam. Ex cujusmodi ideò reverentiâ oritur duplex fuga Reverentialis, altera per imperium voluntatis excitata in intellectu, quatenus sub ipsâ Divinitatis contemplatione, perspiciendo Majestatis Divinæ supereminentem Gloriam, reveretur ingredi Divinitatis abyssum, ne ab immensâ ejus Gloriâ opprimatur, atque adeò sub quâdam in Deum reflexivâ luce fatetur mentis suæ quantumvis lumine Gloriæ elevatam aciem *infinitè* super-

superexcedi à splendore Divinæ Majestatis. Quæ proinde reverentialis fuga habebat locum etiam in Christo homine, utpote non habente comprehensivum Divinæ Majestatis intuitum; sicuti etjam Angeli ad Divini splendoris supereminentiam respectu luminis Gloriæ *infinitè* excessivam protestandam, *stantes in conspectu Throni Isaia 6.* leguntur *alis velasse facies suas.*

3. Altera igitur reverentialis ex timore Domini excitata fuga se tenet ex parte voluntatis, quatenus infinitæ Dei Bonitati immersa, reveretur malum peccati præsertim Divinæ Majestatis offensivum, & ut sic à Deo per Mysticam affectionem super omnia appretiati aversativum. Etsi verò in Christo ob sui intrinsecam impeccabilitatem non posset habere locum fuga peccati, quà ipsius animæ Christi à Divinitatis suavitate separativi, attamen in ipso subsisterat fuga peccati ab humano genere contracti, quà ipsius Divinæ Majestatis super omnia appretiatæ offensivi, ex affectuosâ Mysticè per Charitatem in animâ Christi excitatæ cum Divinitate unionis suavitate detestativa. Insuper in

4. animâ Christi, omnium humani generis culpas pœnalibus ex Divino Majestatis Decreto infligendis tormentis eluendas in se recipiente, poterat esse fuga malorum ejusmodi pœnalium, sub debitâ tamen ad Divinam Majestatem, ejusque Decretum ac præceptum humilitatis ac resignationis incurvatione inefficaciter aversativâ. Constat proinde, qualiter actus Doni Timoris Domini habuerint etiam locum in Christi Domini, Verbo licèt Divino unitâ animâ.

5. Sub secundo gratiæ scilicet gratis datæ genere veniunt, Dona supernaturalia *principaliter* instituta ad alios homines *ministerialiter* reducendos in Deum. Ejusmodi verò Dona sunt, quæ enumerat Paulus 1. Corinth. *12. Alij*, inquiens, *per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatũ in uno spiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* At verò omnes istas gratias fuisse in Christo homine, evincitur tùm ex authoritate Divi Thomæ *præf. q. 7. a. 7. & 8.* necnon Divi Augustini *Epist. 57. ad Dardanum* asserentis, *quòd sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerint*

6. *omnes gratiæ.* Tum ex inductione per singulas gratiæ gratis datæ species. Nam 1. Sermo sapientiæ nihil aliud est, quàm Mysteriorum fidei ex causis altissimis deducta notitia cum facultate Mysteria ejusmodi ad captum aliorum benè ac expeditè explicandi. At de Christo legitur *Lucæ 2.* quòd, dum *in medio Doctorum sedens* interrogabat eos, *stupebant omnes, qui eum audiebant super prudentiâ*, sive ut Græca versio habet, *super intelligentiâ profundorum fidei* & sacræ scripturæ Mysteriorum tunc expositâ. Cujus equidem suæ intelligentiæ radios proferebat in sermone, quo *Matthæi 22.* confundebat Saducæos & Pharisæos, adversùs istos Divinitatem, contra illos verò Resurrectionem mortuorum demonstrando.

7. 2. Sermo scientiæ est de rebus creatis, quà Divino supernaturali lumini subjectis perspicax notitia, earumque ex causis inferioribus sub tali lumine Divino demonstrativa cognitio, cum facilitate quadam eas alijs explicandi. At in his ce rebus Christus homo suos radios emisit, disertè docendo, obedientiam Magistratibus & parentibus exhibendam. 3. Gratia fidei est firma in Deum fiducia ad effectus Divinos, etiam 8.
miraculosos precibus impetrandos in confirmationem cœlestis doctrinæ. Atqui talem fiduciam fuisse in Christo Domino, evincitur ex *Joan. 11.* ubi Christus Lazarum ex mortuis suscitaturus dixit, *Gratias tibi ago, ego autem sciebam, quia semper me audis.* 4. Gratia sanitatum & opeatio virtutum est vis quædam effectuum hominibus salubrium, & quandoque miraculosorum operativa, de quâ disseremus infra *q. 13. a. 5.* ubi disseremus de hominis Christi potentiâ. 9.

5. Discretio spirituum est speciale donum Dei importans vim in alijs dijudicativam, quo quisque spiritu impellatur ad liquid dicendum, vel faciendum. Hujus Doni radij ex Christo resplendescebant, dum agnovit *Matth. 22.* Pharisæos quæstionem de censu reddendo Cæsari proposuisse, ut eum caperent in sermone. 10.

6. Interpretatio sermonum est peritia ad reconditos Sacræ Scripturæ sensus eruendos. Quam equidem fuisse in Christo, passim constat ex Evangelio, elucebatque quàm maximè, dum discipulis euntibus in Emaus aperiebat scripturas. 7. Genera linguarum, sub quibus diversorum Idiomatum notitia venit, convenisse Christo quoad habitum, non verò quoad actum seu Exercitium, docet sanctus Thomas *præf. a. 9. ad 3.* quòd nimirum, cùm Christus *juxta Matth. 15. cap.* ad unam solam Judæorum Gentem personaliter missus esset, non esset oportunitas, aliarum nationum Idiomate utendi. Verùm Ysambertus Sorbonicus *præf. disp. 7. a. 6. circa finem.* putat, hunc diversarum linguarum usum in Christo inde conijci posse, quòd locutus sit etiam Gentilibus v. g. Chananææ mulieri, vel alias ad diem Festum Pentecostes ex omni Natione convenientibus Hierosolymæ. 8. Prophetiæ Dona in Christo adhuc Viatore fuisse, evincitur ex illo *Deuteron. 18. Prophetam de gente tuâ, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* At istum sacrum textum accipi de Christo, patet ex Petri Apostoli expositione *Act 3.* probatque Eusebius *l. b. 1. demonstrat. Evang. cap. 2.* Unde ipsemet etiam Christus de se dicebat *Matth. 13.* & *Joan. 4 Non est Propheta sine honore, nisi in Patria suâ.* Etsi verò Prophetia non habeat locum in Beatis, hujus tamen ratio non inde petenda est, quòd cognitio Prophetica *Essentialiter* importet obscuritatem, sed quòd sit de rebus à statu, in quo Propheta se habet, remota. Hinc enim quia à statu Comprehensoris Beatorum proprio non est aliena notitia rerum etiam futurarum, vel absentium, utpote in Verbo æterno sibi repræsentatarum, idcirco Prophetica cognitio in ipsis locum habere non potest. At verò Christus ita erat Comprehensor, ut simul esset Viator. Undelicèt omnia haberet perspicua in speculo Divinitatis, attamen factâ ad statum Viatoris comparatione, intelligi poterat ejus de futuris, & absentibus notitia tanquam *secundùm naturam rei* remota, & alienâ ab isto Viatoris statu. Ex quo adeò respectu Prophetiæ nomen sortiebatur ipsius notitia, per quam prædixit Antichristi v. g. adventum, Hierosolymæ excidium, & similia. Quibus proinde breviter expositis, supersunt tres hic decidendæ Controversiæ. 1. *An, & quæ virtutes Theologales?* 2. *An, & quæ morales per se infusæ competant Christo homini?* 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

mini? 3. Utrùm in Christo sint, vel fuerint virtutes etiam naturales acquisitæ?

CONTROVERSIA I.

An, & quæ Virtutes Theologales conveniant Christo homini?

1. DE Charitate Theologali, utpote quæ teste Paulo, ne in Patriâ quidem excidat, sed inexistat etiam Beatis, convenire Christo homini, est indubitatum inter Theologos. De fidei autem Theologico habitu, quòd repugnet Christo Domino, probat Divus Thomas *præs. q. 7. art. 3.* Etenim fides *Essentialiter* nititur obscuro Divinæ revelationis lumine. At obscuritas Divini luminis pugnat cum statu claræ Divinorum Mysteriorum in Verbo Visionis. Cùm igitur Christus Dominus à primo conceptionis suæ instanti plenè viderit Deum per Essentiam, & in hac ceu Verbo æterno, & speculo omnigenæ Veritatis revelatæ clarè repræsentativo habuerit perspicua omnia Fidei mysteria, consequens est, non potuisse fidei actum, & habitum in Christo locum habere, quamvis in ipso fuerit Fidei meritum, non quidem *Formaliter*, sed *Eminenter*, ut habet sanctus Doctor *citatus ad 2.* Superest igitur solum difficultas 1. *Quodnam fuerit istud Eminentiale in Christo meritum fidei? 2 Utrùm per Dei saltem potentiam absolutam potuisset Christus habere fidei habitum? 3. Utrùm in Christo fuerit spes Theologica?*

Referuntur Sententiæ.

2. NOnnulli ex Thomistis apud Alvarem *præs. art. 3. n. 1.* existimant; Eminentiale fidei meritum fuisse in Christo, quatenus in animi præparatione habebat fidem. Quibus annumerari possunt aliqui recentiores ab Ysamberto *præs. disp. 5. art. 2.* relati, qui docent, in Christo fuisse piam circa res creditas affectionem, per modum habitûs dantis ei promptitudinem ad credendum fidei Mysterijs propter Divinam authoritatem, si eorum intuitiva cognitio & evidentia defuisset. Fundamentum desumi potest ex illo *Isaiæ. 11. Erit fides cinctorium renum ejus*, scilicet Christi. Cùm igitur fides *Formaliter* non fuerit in Christo, debuit in hoc extitisse *saltem Virtualiter*, in habitu scilicet piæ affectionis, habentis, quantum est de se, Virtutem actûs Fidei *quoad Exercitium* excitativam.

3. Verùm Ysambertus *citatus* negat, talem piæ affectionis habitum fuisse in Christo. Fundamentum est. Nam denegato Principali habente rationem finis, denegari debet etiam minùs principale, habens rationem medij ad finem. At pia voluntatis ad credendum affectio, seu ejus habitus ponitur, ut determinet intellectum ad credendum rebus fidei, haberque rationem medij ad actum fidei tanquàm finem. Ergo quia Christo homini repugnabat fides, consequenter non poterat in ipso locum habere actus, seu habitus piæ ad credendum affectionis.

4. Alvarez *ubi supra n. 3.* tenet, in Christo fuisse *Eminenter* meritum fidei, quatenus per scientiam infusam, ceu eminentialem fidei cognitionem, agnoscebat Mysterium Trinitatis, & alia Gratiæ per fidem nobis cognita Sacramenta. Quam equidem cognitionem fuisse hoc ipso *Eminenter* meritum fidei, quòd fuerit libera, habueritque omnes conditiones ad meritum requisitas.

Circa secundum nonnulli Thomistæ apud Alvarem *citatum* sentiunt, potuisse animæ Christi fieri revelationem obscuram eorum, quæ non videbat in Verbo, v. g. alicujus possibilis creaturæ ex his, quas non cognoscit per scientiam beatam. Tunc ergo potuisse habere cognitionem obscuram talis Mysterij, atque adeo fidem supernaturalem. 5.

Fundamentum est. Quia obscura Divina Revelatio est ratio formalis *sub Qua* fidei. Atqui habitus specificatur ex ratione Formali, *sub quâ* objectum attingitur. Ergo in præadducto casu, quo animæ Christi fieret Divina circa aliquod Fidei secundarium Mysterium revelatio obscura, verè existeret in Christo Fidei cognitio.

Verùm Alvarez *n. 4.* negat: talem cognitionem fore actum fidei. Fundamentum est. 6. Nã deficiente objecto Primario alicujus habitûs, non potest talis habitus permanere, eòquòd habitus specificetur ex objecto primario. At Deus ipse, seu Veritas prima obscurè revelans est objectum primarium nostræ Fidei, ex S. Thomâ 2. 2. *q. 1. art. 1.* Ergo cùm Christus per scientiam beatam evidenter cognoverit Deum, seu primam Veritatem, impossibile est, ipsum habuisse habitum Fidei.

Circa tertium Suarez *in præs. a. 4. explicatione.* Coninch *2. 2. disp. 19. dub. 11.* docent, in Christo fuisse verum habitum spei, imò actum illum, quo Christus adhuc mortalis desiderabat beatitudinem, seu Gloriam sui corporis, nominisque sui exaltationem, fuisse actum veræ spei Theologicæ. Fundamentum est. Quia hæc objecta habebant omnes conditiones requisitas in objecto spei: erant enim honesta & supernaturalia, erant pro illo tempore, quo Christus adhuc mortalis extiterat, futura, erant insuper ardua juxta illud *Luc. ult. Oportebat pati Christum, & ita intrare in Gloriam suam.* 7.

Divus Thomas *præs. a. 4.* & *ibi.* Medina, Alvarez, ac Thomistæ *communiter*, Ysambertus *cit. disp. 5. a. 4.* negant, habitum, seu actum spei Theologicæ fuisse in Christo. Fundamentum ab Ysamberto deductum est. A quo enim abest Essentialis ratio specificativa alicujus habitûs, ab eo penitus abest & habitus illi correspondens, cùm nihil possit esse sine suo Essentiali constitutivo. Atqui Essentialis specifica habitûs spei Theologicæ ratio est ipse Deus ut possidendus, & fruendus. Hæc autem ratio semper abfuit à Christo, cùm à *primò* conceptionis suæ instanti fuerit beatus. Ergo habitus spei Theologicæ non poterat in Christo locum habere. 8.

CONCLUSIO I.

EMinentiale Fidei meritum in Christo erat actus Religionis, quo sub Fidei Mysterijs per scientiam infusam, & in Verbo per scientiam beatam clarè cognitis, ex respectu primæ Veritatis voluntas humana 9.

humana Christi se ac potentias sibi subordinatas ordinabat in ejusdem primæ Veritatis obsequium.

Explicatur & Probatur. Nam sub ipsâ Mysteriorum Fidei per Increatum Dei Verbum *clarè ac Intuitivè* cognitum intelligibili expressione repræsentabatur tanta primæ Veritatis Reverentia & Majestas, ut in sui obsequium exigeret sibi subjectam omnimodam Christi humanitatis Intelligentiam. At sub istâ Divini Primæ Veritatis proprij Juris exigentiâ repræsentabatur honestas, ac Decentia moralis, ad omnimodas Intellectûs humani per dona sapientiæ & intellectûs, nec non scientiam infusam in Christo instructi vires excitandas ad sui Exercitium, ceu quandam illius Divini Primæ Veritati congrui Juris ac Reverentiæ eidem debitæ recognoscitivam protestationem. In tali igitur primæ Veritatis Reverentiali per Donorum Spiritûs sancti, nec non scientiæ infusæ, ex Virtute Religionis excitatum exercitium exhibitâ recognitione, situm erat Eminentiale meritum Fidei, utpote importantis Obedientiam Divinæ primæ Veritati exhibitam in credendis fidei Mysterijs; juxta illud *ad Rom. 1. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus in nomine ejus.* Cujusmodi proinde obedientia non quidem *Formaliter*, sed *Eminenter* se tenebat in illâ erga primam Veritatem Reverentiali Mysteriorum fidei Recognitione.

10. Dices. Imperium hujus Reverentialis Mysteriorum fidei recognitionis excitativum ex ratione sui objecti Formalis non videri specie diversum à piâ credendi affectione.

11. Contra. Nam ista pia homini intra obscurum ac ænigmaticum fidei lumen constituto inexistens affectio, in Intellectu ad fidei obsequium captivando importat *Essentialiter* indifferentiam, atque adeò defectibilitatem ex vi talis piæ affectionis determinabilem, non tantùm *Quoad Exercitium*, sed etiam *Quoad Specificationem.* At verò illud Donorum Spiritûs sancti Intellectualium, ac scientiæ infusæ, ad Reverentialem Mysteriorum fidei sub Primæ veritatis jure ac exigentiâ recognitionem, excitativum Religionis imperium in Christo non tantùm non supponebat, sed *Essentialiter* excludebat ex parte Intellectûs Christi Defectibilitatem, seu indifferentiam determinabilem *Quoad specificationem.* Quare *quoad Exercitium* duntaxat poterat in Intellectum humanum Christi, ejusque supernaturalia Intellectualia Dona ex illo Religionis imperio dimanare determinatio ad Reverentialem Fidei Mysteriorum Primæ veritatis Juri *Quoad specificationem* debitam recognitionem Negandum proinde, quòd illud religionis in Christo imperium fuerit ejusdem rationis cum piâ, prout est in nobis, ad cre-

12. dendum affectione.

Et hinc patet Responsio ad Fundamentum *n. 2.* oppositum; adeò, ut sub Fide, quæ renum Christi cinctorium dicitur, Intelligi debeat vel illud Religionis ad omnes Donorum Spiritûs Sancti Intellectualium in animâ Christi sub Reverentiali Primæ Veritatis recognitione excitativum imperium, vel (uti Ylambertus *præf. art. 1.* ex S. Hieronymo tradit) moralis Fidelitatis erga Deum à Religione indistincta virtus.

CONCLUSIO II.

DAtâ alicujus possibilis creaturæ, quam Christi anima non videt in Verbo, Revelatione Divinâ, posset in Christo existere verus Theologicæ fidei actus, & habitus. 13.

Probatur. Quia objectum Primarium, & formale fidei eatenus est Deus, quatenus sub obscurâ revelatione ex jure Primæ veritatis, ejusq; appretiabilitate infinitâ est applicabilis ad objectum taliter revelatum. Tunc enim ex Vi talis obscuritatis penes Revelationem Divinam; sive penes Deum non quà in se spectatum, sed quà obscuro revelationis lumine vestitum se tenentis, eatenus ex jure Primæ Majestatis potest se incurvare voluntas, ut in obsequium primæ Veritatis captivare debeat Intellectum tam *ex parte Exercitij*, quàm *ex parte Specificationis* habentem indifferentiam, ac defectibilitatem mediante piâ ad credendum affectione determinabilem. At dato illo casu, quòd Deus humano Christi intellectui *Intelligibiliter* in se ipso unitus, extra Verbum faceret Christo obscuram alicujus possibilis creaturæ revelationem, tunc Deus sub istâ Revelationis obscuritate in ordine ad tale objectum eatenus posset ex primæ Veritatis revelantis jure, mediante credibilitatis prudentialis evidentiâ, applicari ad Christi humanâ Voluntatem; ut hæc in ejusdem primæ Veritatis obsequium se liberè ac piè subijciendo, vi piæ hujusmodi affectionis ad credendum captivaret etiam intellectum, qui licèt *Quoad specificationem saltem* non admitteret aliquam indifferentiam, seu defectibilitatem, ejusmodi tamen *Quoad specificationem* determinatio non foret ex vi *objecti formalis* tali et applicati, sed ex *vi subjecti* per unionem cum Verbo omnimodæ defectibilitatis moralis exclusivi. Consequens igitur est, nihil defuturum, quò minùs talis Revelationis Divinæ obscuræ à Christo præstitus assensus *ex parte sui specificativi*, atque adeò *Essentialiter* haberet completam Fidei Theologicæ rationem. Et hinc facilè patet Responsio ad Alvacis *n. 6.* oppositum Fundamentum.

CONCLUSIO III.

DE facto, non tamen Essentialiter repugnabat Christo homini virtus Theologicæ spei.

Probatur. Quia ista virtus ex parte sui objecti Formalis *Essentialiter* importat arduitatè Divinæ quà nobis applicabilis, tum *Finalizativæ*, tum *Effectivæ* Causalitatis. At cùm Christi Humanitas in speculo Divinitatis omnia sui desiderij, & voluntatis objecta sibi perspecta habens, in nullo discordaret à Divinâ Voluntate, non poterat in ipso stare desiderium alicujus objecti, nisi quatenus esset à Deo volitum. Eo ipso autem, quòd Dei Volitio sit rei volitæ insuperabilis effectio, nec non ejusdem Finalizativa causatio, idcirco in ordine ad objecta desiderata non poterat humanitati Christi esse aliqua ex parte Divinæ ad se applicabilis tam *Finalizativæ*, quàm *Effectivæ* causalitatis arduitas, quin potiùs ista Dei Causalitas 14.

ſilitas eſſet ad nutum humanæ Chriſti voluntatis, utpote in omnibus conformatæ ad Divinam voluntatem. Ergo de facto non poterat reſpectu humanitatis Chriſti locum habere objectum Formale ſpei. Ergo nec actus, nec habitus iſtius
15. virtutis erat in Chriſto. Unde negandum eſt, quòd deſideriũ Gloriæ Corporis, & Exaltationis nominis in Chriſto fuerit actus ſpei, quòd, licèt in ejus conſecutione ſibi parandâ opus eſſet paſſione ac morte, in hac tamen ſuperandâ nulla eſſet arduitas ex parte Divinæ Chriſto homini ſemper ad nutum paratæ efficacis Cauſalitatis. Unde ex parte duntaxat ſubjecti ſuberat difficultas, & arduitas inflictiva moleſtiæ alicujus ſenſibilis, non autem à ſubjecto excluſiva Certitudinis, ac de Divinâ ad nutum Cauſalitate ſecuritatis: cujuſmodi equidem de Divinâ Cauſalitate ſecuritatis à ſubjecto ſpei capaci excluſio eatenus fundat arduitatem objecti formalis ſpei ſpecificativam, ut tale ſubjectum in Divinæ duntaxat Cauſalitatis efficaciâ & infallibilitate ſpei ſuæ ſecuritatem ac firmitatem, ſeu fiduciam ponere debeat, non in ſeipſo, ſive in aliquâ ſui ad iſtam infallibilem Cauſalitatis Divinæ efficaciam quaſi radice, ſeu debito ejuſdem *Connaturaliter*
16. quaſi exactivo. Quare cùm talis ad Divinam Cauſalitatem reſpectu omnimodi à Chriſti humanitate concupiti objecti ſecuritas eſſet radicata in humanæ Chriſti naturæ ad Verbum unione perſonali, conſequens erat, ex vi hujus unionis *Connaturaliter* fuiſſe à Chriſti humanitate excluſam Theologicæ ſpei virtutem & actum, licèt caſu, quo Deus præter illam Connaturalitatis exigentiam noluiſſet, ut Chriſti humanitas reſpectu objecti ſupernaturalis haberet illam Divinæ Cauſalitatis ſecuritatem proximam & Formalem, tunc arduitas Divinæ quâ Chriſto homini applicabilis Cauſalitatis eatenus potuiſſet in ipſo locum habere, ut conſequenter ipſi non repugnaret actus, & habitus ſpei Theologicæ.
17. Et hinc patet Reſponſio ad *n.7.* oppoſitum, quòd ſcilicet Deſiderium gloriæ Corporis & Nominis Exaltationis in Chriſto, quatenus pro ſuo Formali motivo habebat ipſius Divinæ Hypoſtaſis Humanitati *Perſonaliter* communicatæ Excellentiam, habuerit rationem actûs Charitatis Theologicæ, utpote cui *ex parte* quidem *objecti Materialis* Humanitas, ex parte verò *objecti formalis* reſponderet Increata Perſonæ Verbi appretiabilitas, tanquàm Finis *Cui*.

CONTROVERSIA II.

An, & quæ Virtutes morales ſupernaturales, ac per ſe infuſæ conveniant Chriſto homini?

1. IN Chriſto homine fuiſſe Virtutes morales per ſe infuſas, probatur argumento Divi Thomæ *præſ. q.7. a. 3.* Etenim ſicut Gratia reſpicit eſſentiam animæ, ita virtus reſpicit potentiam ejus. Unde oportet, quòd, ſicut potentiæ animæ derivantur ab ejus Eſſentiâ, ita virtutes ſint quædem derivationes gratiæ. At verò quantò aliquod principium eſt perfectius, tantò magis imprimit ſuos effectus. Chriſti autem gratia fuit perfectiſſima. Ergo ex ipsâ proceſſerunt Virtutes ad perficiendas ſingulas potentias, quantum ad omnes animæ actus. Ergo Chriſtus habuit omnes Virtutes Morales ſupernaturales per ſe infuſas.

Ex quâ univerſali Divi Thomæ illatione difficultas oritur de Virtute pœnitentiæ, ac continentiæ. Etenim hanc non extitiſſe in Chriſto, Sanctus Doctor *citatus ad 3.* probat ex eo, quòd Virtus Continentiæ ſupponat in ſubjecto pravas concupiſcentias, quas ipſa moderetur. At verò pœnitentiæ Virtutem non extitiſſe in Chriſto docet, idem Angelicus Doctor *3.par. q.84.a.7. ad 4. & in 3. diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſt. 1. ad 1. & in 4. diſt. 22. q. 2. a. 3. quæſt. 3. ad 2.* Cujus ratio per Alvarem *præſ. a. 2. n. 2.* deducta eſt, quòd pœnitentia præſupponat peccatum in eodem ſubjecto, cùm ſit dolor de peccatis proprijs, aſſumptus propter Deum. Unde author *citatus* concludit, præadductam Divi Thomæ concluſionem intelligendam eſſe de Virtutibus, quæ non præſupponunt in ſubjecto aliquam imperfectionem. 2.

Econtrario autem, quòd pœnitentiæ Virtus extiterit in Chriſto, tenent Argentinas *in 4. diſt. 14. q. 1. a. 1. in fine.* Amicus *præſ. diſp. 16. n. 32.* Fundamentum ab iſto authore deductum eſt. Nam pœnitentia, ſicut & quævis alia Virtus pro primario objecto reſpicit bonum aliquod honeſtum. At iſtud eſt honeſtas Compenſationis Juris Divini, ad quod illæſum ſervandum hæc virtus *per ſe primò* ordinatur: Fuga verò, & deteſtatio peccati ſpectat ad pœnitentiæ objectum duntaxat ſecundarium. Quare pœnitentiæ virtus ante ullum peccatum affectu complacentiæ verſari poteſt circa primum objectum, ut jus Divinum ſervetur illæſum: poteſt inſuper actu doloris verſari circa objectum ſecundum, deteſtando peccatũ ab alijs commiſſum. At verò in Chriſto poteſt eſſe affectus complacentiæ ſervandi jus Divinum illæſum, nec non deteſtatio peccati ab alijs commiſſi. Ergo poterat in eo eſſe virtus pœnitentiæ. 3.

Conclusio.

VIrtus pœnitentiæ ex ratione ſuâ individuali verſans circa ſubjecti ſui peccatum, non habebat locum in Chriſto homine.

Explicatur & probatur. Nam virtutis cujuslibet ratio alia eſt ſpecifica, alia verò individualis. At iſta petitur ex ſubjecti conditionibus materialibus, nec non objecto materiali, illa verò ſubſiſtit per ſpecificationem ex objecto ſuo formali. Eſt autem pœnitentiæ Virtutis objectum formale honeſtas ſervandi Jus Divinum illæſum, & ſi læſum fuerit, reparandi. Hæc ipſa verò juris Divini illæſi ſervandi honeſtas ſub duplici ſpecificâ formalitate ſpectari poteſt, ita ut una ſtrictæ erga Deum Juſtitiæ ſpecificativa conſiſtat in morali cum jure Divino æqualitate: altera verò Religionis Virtutis, ceu latæ ac minùs rigoroſæ erga Deum Juſtitiæ ſpecificativa conſiſtat in recognitione Juris Divini, quà per morales creatæ intelligentiæ actiones inadæquabilis. At verò utraque iſta Juſtitia ſub diverſis individuantibus 4.

duantibus rationibus eatenus inexistit tum Christo, tum puris hominibus justis, ut in istis subire possit rationem pœnitentiæ, non verò in Christo Domino. Probatur istud assumptum:

5. Etenim Christi Domini morales actiones secundùm suum in Verbi Hypostasin reflexivum, & ex hujus infinitâ personali sanctitate derivatum valorem spectatæ, important perfectam cum Jure Divino increato æqualitatem, eædem verò actiones secundùm suam præcisè Entitatem physicam consideratæ, important quandam moralem Divini supremi juris recognitionem, hujus tamen increatæ seu infinitè excellentiæ jure infinitù inferiorem. Potuit ergo Christus offerendo Deo Patri suas morales actiones, sub physicæ Entitatis intrinsecâ formalitate *præcisè* spectatas, *signatè* intendere Divinæ Majestatis recognitionem sub morali aliquâ ad Jus Dei Increatum inæqualitate. Ut sic autem subsistebat specifica Religionis virtutis Honestas.

6. At verò Christus Dominus easdem morales actiones secundùm suum in Verbi sanctitatem ac Dignitatem reflexivum, & hinc infinitum valorem non *exercitè* duntaxat, sed *signatè* offerendo Deo Patri, ut sic *formaliter* in *actu signato* intendebat moralem cum Divinæ Majestatis Jure æqualitatem. Quare sub tali signatâ formalitate subsistebat signata rigorosæ erga Deum Justitiæ honestas. At verò hæc utraque Virtus sub inferiori tamen individuali perfectione puris etiam hominibus in gratiâ constitutis inexistit.

7. Probatur istud subsumptum. Nam homines possunt meritorum Christi valorem infinitum, non quidem tanquàm ex proprio suo supposito derivatum, sed ex Christi Domini liberali concessione potestati ac dispensationi suæ relictum, tam *ex opere operato* in Sacramentis, quàm ex *opere operantis*, mediantibus suis meritis offerre Deo Patri, ceu æqualem cum Divinæ Majestatis Jure increato perfectè commensuratum. Ut sic autem puris etiam hominibus ex participatione Christi Domini, convenire potest perfectæ ac rigorosæ erga Deum Justitiæ Virtus. At hæc ipsa virtus, licèt ejusdem sit speciei cum Justitiæ Christo inexistentis virtute, attamê oportet, ipsam esse inferioris perfectionis individualis, eo ipso, quòd respiciat subjectum, cui valoris illius infiniti sit potestas, non ex propriâ suâ conditione, ac dignitate, sed ex liberali duntaxat Christi meritorum suorum dispensationem & applicationem alijs hominibus concedentis permissione. Cùm igitur Virtutis ratio individuans sit partim ex subjecto, partim ex objecto materiali, illa verò rigorosæ ad Deum Justitiæ Virtus, prout ex Christi participatione puris hominibus in gratiâ constitutis inexistit, ex propriâ suâ entitate eatenus supponat indigentiam in subjecto, ut istud non ex se ipso, sed ex Christi duntaxat liberalitate possit habere objectum virtutis illius specificativum, nec adeò objectum materiale valoris æqualitatem jure Divino condignam importantis, ac Virtutem illam specificantis quasi susceptivum habere valeat ex propriâ suâ Dignitate, sed ex alienis duntaxat Christi meritis; consequens est, Justitiæ rigorosæ virtutem, prout per participationem est in puris hominibus, esse quidem ejusdem speciei cum Justitiâ Christi, esse tamen diversæ inferioris individualis perfectionis.

8. Deinde Religionis Virtus in nobis eatenus respicit nostrarum actionum moralium cum Jure Divino in æqualitatem, ut ex suppositi sui Dignitate ne quidem *exercitè* habere possint æqualitatis cum Divino jure condignitatem. At verò Christi morales actiones secundùm suam physicam *præcisè* entitatem spectatæ, eatenus *signatè* considerari ac intendi possunt sub moralis cum Divino Jure inæqualitatis Honestate, ut tamen *exercitè* semper habeant in se infinitum in hypostasin Verbi reflexivum, & ex hujus infinitâ sanctitate derivatum valorem. Ex hoc autem fit, quòd Religionis Virtus, prout Christo, seu Humanitati Verbo unitæ inexistere potest, exigat tum subjectum, tum objectum materiale diversæ rationis, quàm illa religionis Virtus, quæ puro homini inesse potest: siquidem tam ex parte actionum moralium, quas intendit, quàm ex parte suppositi, à quo tanquàm Principio *Quod* procedit, & in ipso tanquàm subjecto *Quod* subjectatur, respiciat Hypostasin increatum ut sic *exercitè* concurrentem ad morales ex Religionis quà Christo inexistentis virtute procedentes operationes. Hinc verò rursus fit, quòd religionis Virtus, prout Christo inexistit ex suâ ratione individuali *per se*, & non tantùm *per accidens* ad naturam quà Divinâ hypostasi suppositatam se habens, per intrinsecam suam individualem perfectionem non sit elicitiva actûs doloris ac detestationis circa proprium talis suppositi peccatum versantis. At verò Pœnitentia ut sic *formaliter* importat virtualem propriorum suppositi sui peccatorum, ceu Divinæ Majestatis ac Juris offensarum ac læsionum moralium detestativam. Quamvis igitur pœnitentiæ virtus non sit *specificè* diversa à Virtute Religionis; hæc tamen sub individuali suâ ratione non sortitur Formalitatem pœnitentiæ, nisi in subjecto peccati capaci. Ergo quia Christi humanitas per sui cum Verbo unionem personalem est ab *intrinseco* impeccabilis, nequit Religionis virtus Christo homini inexistens sortiri nomen, & rationem pœnitentiæ.

Et hinc patet *primò* Responsio ad fundamentû *n. 3.* oppositum. Siquidem pœnitentiæ Virtutis eatenus sit, Jus Divinum servare illæsum, ut hujus tamen Increati Juris illæsi servandi Honestas pro pœnitentiæ individuali ratione objectivâ constituendâ, supponere debeat in subjecto defectibilitatem, vi cujus deviare possit à morali Juris Divini æqualitate. Unde cùm talis Defectibilitas pugnet cum infinitâ Humanæ Christi naturæ sanctitate personali, consequenter repugnat, Christo homini inexistere Virtutem pœnitentiæ. 10.

Patet *secundò*, Christi humanitati inexistere quidem Temperantiæ, non autem Continentiæ Virtutem, eò quòd ista ex suâ individuali ratione respiciat concupiscentiarum adversùs rationem insurgentium moderationem, illa verò non tam passiones rationi repugnantes moderetur; quàm rationi perfectè subordinatas teneat. ex sancto Thomâ *citato a. 2. ad 3. in fine.* 11.



CONTROVERSIA III.

Utrùm, & quomodò in Chriſto homine fuerint Virtutes naturales acquiſitæ?

1. NEgant Lorca *præſ. diſp. 38. n. 22.* & alii inſinuati ab Yſamberto *præſ. diſp. 6. art. 2.* Fundamentum eſt. Nam Virtutes morales acquiſitæ ſunt in appetitu ſenſitivo ad moderandas exorbitantes paſſiones. At ejuſmodi paſſiones ſunt effectus fomitis, qui non erat in Chriſto, ex Divo Thomâ *1. 2. q. 60. artic. 2.*

2. Econtra affirmant Yſambertus *citatus*, Alvarez *cit. a. 2. n. 3.* Cardinalis de Lugo *diſp. 16. ſect. 7. n. 119.* cum alijs à ſe relatis. Fundamentum eſt. Nam in primis parentibus in ſtatu Innocentiæ fuerunt hujuſmodi virtutes *per accidens* infuſæ; in quibus tamen ſub illo ſtatu nulla erat immoderata paſſio. Unde virtutes morales acquiſitæ præcipuè ponuntur ad eliciendam perfectam electionem, ſecundùm Electionem circa proprias materias, & ex conſequenti duntaxat ſunt moderativæ paſſionum, ſi eas ſcilicèt inveniant in ſubjecto. Quamvis proinde in appetitu ſenſitivo Humanitatis Chriſti propter conjunctionem cum Verbo nulla potuerit eſſe immoderata paſſio, poterant tamen in ipſo locum habere virtutes morales acquiſitæ.

3. Nonnulli ex Thomiſtis apud Alvarem *diſp. 12. n. 4.* exiſtimant, Virtutes morales naturales non fuiſſe in primo Conceptionis inſtanti *per accidens* infuſas Chriſto, ſed proprijs ejus actibus acquiſitas. Fundamentum eſt. Quia Chriſtus propriâ induſtriâ acquiſivit ſcientias naturales, ex ſancto Thomâ *infra q. 9. art. 4.* Ergo & Virtutes morales naturales proprio actuum exercitio ſibi comparavit.

4. Econtrario Virtutes illas fuiſſe Chriſto *per accidens* infuſas, cum alijs docet Alvarez *citatus*. Fundamentum pro puncto præſenti deſumitur ex diſcrimine inter ſcientias & Virtutes morales naturales. Etenim ſi ſcientiæ naturales fuiſſent Chriſto in primo ſtatim conceptionis inſtanti *per accidens* infuſæ, tunc ipſius intellectus Agens fuiſſet perpetuò otioſus, utpotè nullam unquàm ſpecierum ex phantaſmatibus abſtractionem faciens. At verò cùm naturalis vis voluntatis unà cum Virtutibus *per accidens* infuſis potuerit elicere actus *naturaliter* honeſtos, non erat futurus otioſus, etiamſi à primo ſtatim conceptionis inſtanti habuerit illas Virtutes ſibi *per accidens* infuſas.

CONCLUSIO I.

IN Chriſto erant etiam Virtutes morales naturales.

5. Probatur. Nam licèt per Charitatis aliarumque ſupernaturalium Virtutum actus tota Voluntatis creatæ in Chriſto vis eſſet quaſi expleta; nihilominus per ſpecialem potentiarum animæ Chriſti confortationem ex Divinæ Verbi Hypoſtaſis connaturali exigentiâ in eas redundantem factum eſt, ut naturalis cujuſque humanæ Chriſti potentiæ vis maneret expedita ad ſuas connaturales functiones obeundas. At verò Voluntatis creatæ naturalis inclinatio vel maximè propendet tum in Deum quà ultimum Finem, ſub naturalis luminis abſtractione ſibi repræſentatum, tum conſequenter in omnium Humanitatis virium puritatem ac Honeſtatem, cum Deo quà ultimo naturali Fine proportionatam. Quare in Chriſti Humanitate manebat expedita vis ejuſmodi moralis puritatis ac honeſtatis ſpecificæ proſecutiva. At verò ejuſmodi puritas & Honeſtas in diverſas ſpecificas differentias diſpertita, eſt virtutum moralium naturalium ſpecificativa. Ergo iſtæ Virtutes omninò habebant locum in Humanitate Chriſti, adeò ut earundem actus eſſent quidem *intrinſecè*, etiam *quoad modum* naturales, attamen quia procedebant ex imperio Charitatis aliarumque ſupernaturalium Virtutum, ideò *imperativè ſecundùm participationem extrinſecam* eatenus erant ſupernaturales, ut ſub tali ſupernaturalitate etiam ſuperinducerent infinitam ſanctitatis perſonalis Verbi Dignitatem, atque adeò præmiorum quoque ſupernaturalium meritorium valorem infinitum.

CONCLUSIO II.

NOn eſt improbabile, quòd Virtutes naturales morales in Chriſto non fuerint *per accidens* infuſæ, ſed acquiſitæ. 6.

Probatur. Nam iſtæ Virtutes morales ſtetiſſent otioſæ, niſi infuſæ ſimul fuiſſent ſpecies intelligibiles ad judicium prudentiale, materiæ Virtutum ejuſmodi propriæ repræſentativum. Hinc autem ſequeretur, quòd Intellectus agens ſaltem quoad partem practicam circa materias morales fuiſſet omni tempore otioſus. Si ergo ratio Alvaris ſuperiùs *n. 4.* deducta efficax eſt ad probandum, quòd ſcientiæ naturales non fuerint in Chriſto *per accidens* infuſæ, ſed acquiſitæ, videtur idem eſſe dicendum de Virtutibus moralibus naturalibus.

COROLLARIUM.

INfertur *primò*. In Chriſto fuiſſe quidem paſſiones, perfectè tamen ſubordinatas rationi tam naturali, quàm ſupernaturali, ex S. Thoma *infra q. 15. art. 4. ac ſeq.* Ratio eſt. Quia cùm in Chriſto fuerit vera natura humana, conſequenter omnium eidem connaturalium, atque adeò ſenſitivarum quoque virium actus, præciſis tamen imperfectionibus moralibus, ipſi competebant. Et hinc fuiſſe in Chriſto triſtitiam, patet ex illo *Matth. 26. Triſtis eſt anima mea usque ad mortem.* Inſuper in ipſo extitiſſe Timorem, conſtat ex illo *Marci 14. Cœpit IESVS pavere ac mœſtus eſſe.* Denique in eodem fuiſſe iram, evincitur ex *Joan. 2.* ubi dicitur in Chriſto impletum, quod *Pſal. 68.* de ipſo habetur: *Zelus domus tuæ comedit me.* Verùm quia ejuſmodi paſſiones, non niſi ad Imperium rationis non tantùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis inſurgebant, Leone 1. *Epiſt. 2.* definiente, quòd *ſenſus corporei in Chriſto vigebant ſine lege peccati, quòdque Veritas affectionum ſtabat ſub moderamine Deitatis & mentis*: Idcirco tales 7. 8.

tales Christi Domini affectiones non *simpliciter* dicendas esse passiones sive propassiones, quæ nimirum in appetitu sensitivo inchoatæ non se extenderent ad rationem, seu ad impressionem aliquam rationi faciendam, uti ex S. Hieronymo advertit Divus Thomas *in fine cit. art. 4.*

9. Infertur *secundò* In Christo homine non fuisse locum fomiti. ex S. Thomâ *cit. q. 15. art. 2.* Ratio est, Hic enim Fomes est vis appetitiva quà potens excitare passiones rationi adversantes. Atqui appetitus sensitivus in Christo tam perfectè erat subordinatus rationi tam naturali, ejusque moralibus virtutibus, quàm supernaturali ac Virtutibus infusis, ut nullus etiam indeliberatus motus in appetitu sensitivo insurgeret adversus rationem, quin potiùs ista per lumen ipsius etiam Verbi increati, sub visione beatificâ sibi intelligibiliter uniti jugiter excitata, super omnes Inferiorum potentiarum motus perfectum teneret Dominium ac Imperium. In quem adeò sensum Leo I. *in cit. epist.* I. ad Julianum Episcopum Loensem ita scribit de Christo. *Nihil carni sua habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum, sensus corporei vigebant sine lege peccati, & Veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injurijs.*

QUÆSTIO UNDECIMA.

DE

SCIENTIA CHRISTI HOMINIS.



1. Hugo de Sancto Victore *to. 3. l. de sapientiâ Christi.* & Joannes de Ripâ apud Capreolum *in 3. dist. 14. q. 1. a. 2.* existimabant, Christi animam fuisse sapientem ipsâ Verbi Divini Increatâ sapientiâ. Verùm istam sententiam reiecimus *in to. 2. q. 2. a. 1. cont. 3.* Quibus sequentem superaddimus discursum. Etenim nulla actualitas potest suum formalem effectum communicare alteri, nisi hoc sit in potentiâ ad talis formalitatis actuationem. Hinc enim fit, quòd secundùm doctrinam Divi Thomæ non possit Humanitas per subsistentiam suam creatam actuata uniri ad Increatam alicujus personæ Divinæ Hypostasin, cùm tamen econtra Humana natura per Verbi Divini Hypostasin terminata posset etiam uniri cum Patris ac Spiritûs Sancti Personalitatibus, eò quòd in istis non sit alia subsistendi actualitas, quàm in hypostasi Filij, sed differant solùm sub formalitate *Esse ad*, sive *Correlationis.* Unde dùm una creata natura *Hypostaticè* terminaretur per omnes tres Divinas personas, non sequeretur, quòd tali naturæ per Hypostasin v. g. Patris actuatæ superveniret alia subsistendi actualitas; sed unicâ duntaxat subsistentiæ formalitate, triplicem licèt *correlationis* Incommunicabilitatem in se continente, actuaretur. Similiter cùm Humana Christi natura in *Esse* naturæ, seu substantialis radicalis Principij *Quo* sit per seipsam actuata, nequit in *Esse* naturæ, seu talis Principij actuari per Naturam Divinam. Pari ratione in creatis dum una quantitas per aliquam præsentiam circumscriptivam, seu extensionem in ordine ad locum jam est actuata, nequit esse susceptiva circumscriptivæ præsentiæ importantis *formaliter* actualitatem extensionis in ordine ad alium locum. Patet proinde, præallegatam maximam subsistere, quòd nulla actualitas possit suum formalem effectum communicare alteri, nisi hoc sit in potentiâ ad talis formalitatis actuationem. Unde, licèt hypostasis Verbi, seu Divinæ substantiæ ac gloriæ Patris imago & splendor consubstantialis, *Transcendentaliter* importet Naturam Divinam, ipsumque adeò Divinum subsistens *Esse* in seintelligibiliter expressum, attamen nequit suum formalem quasi effectum Humanitati, seu animæ Christi tribuere, nisi quoad illam formalitatem, in ordine ad quam anima seu Humanitas intra lineam substantiæ est incompleta, atq; adeò in potentiâ. Atqui Humanitas Christi in *Esse* substantiæ Primæ, & intra lineam substantialem omninò completa eatenus perficitur per Increatam Verbi subsistentiam, ac existentiam, ut nihil supersit potentialitatis ad formalem alicuj substantialis actuationis effectum. Unde non nisi per formas *prædicamentaliter* accidentales ex tunc est actuabilis ac perfectibilis. At verò scientia Dei Increata nullam aliam, quàm *Esse* Divini subsistentis essentiam importans non posset suum formalem sub actualitate scientiæ effectum communicare Humanæ Christi naturæ, quin sub tali formalitate hanc actuaret intra lineam substantialem. Cùm igitur substantiæ creatæ per subsistendi ac existendi actualitatem intra lineam substantiæ omninò completæ ac terminatæ repugnet, esse in potentiâ ad ulteriorem substantialem formalitatem, sed non nisi respectu formalitatis prædicamentaliter accidentariæ possit esse in potentiâ, evidenter infertur, implicare, quòd Christ. Humanitas per Increatam scientiæ Divinæ *essentialiter* substantialem actualitatem haberet formalem sciendi effectum. 2. 3. 4. 6.

7. Quibus proinde taliter constitutis, superest, creatam animæ Christi scientiam indagare. Hæc autem in triplici est differentiâ; scientiæ nimirum Beatæ, Infusæ, & Acquisitæ. De quibus adeò tribus scientiæ Christo Homini competentis generibus disseremus per tres subsequentes articulos.



ARTICULUS I.

De
Scientiâ Beatâ Animæ Christi.

8. CUm anima Christi à primo creationis suæ instanti fuerit in statu specifico Divinæ elevationis per sanctitatem non duntaxat accidentariam Habitualis gratiæ, sed etiam per substantialem hypostasis Verbi sanctitatem Increatam: debebat ex consequenti ipsi convenire operatiò non quidem in primo *perseitatis* genere *formaliter identicè*, seu *essentialiter* Divina, cùm, hoc implicare, superiùs sit demonstratum, sed quæ in Quarto *perseitatis* genere *specificativè*, & *formaliter participativè* spectaret ad specificum Divinitatis gradum.

9. Ejusmodi verò operatio in Quarto *perseitatis* genere *specificativè* & *formaliter participativè* Divina, est vel maximè Visio Divinæ Essentiæ menti creatæ *intelligibiliter* unitiva, importans ultimatam, & consummatam in supernaturali operationis secundùm quartum *perseitatis* modum Divinæ lineâ perfectionem, ut sic *formaliter essentialiter* beatificativam. Hæc igitur beatificativa Divinæ Essentiæ intuitiva visio, eo ipso pro primo creationis animæ instanti debebat huic inexistere, quòd pro tali instanti jam haberet statum consummatum sanctitatis tam substantialis per unionem Verbi personalem, quàm accidentariæ per Gratiam Habitualem.

10. De quâ proinde beatificâ scientiâ, statim ac Verbum erat Increatum, Christi animæ communicatâ insinuationem facit Sanctus Ioannes in sui Evangelij *1. cap. Vidimus*, inquiens, *gloriam ejus, quasi unigeniti à Patre*, id est, gloriam ex Hypostasi Unigeniti à Patre æterno Filij propriâ, ceu sanctitate personali eatenus derivatam in Verbi Incarnati animam, ut hæc per Divinæ Essentiæ intelligibilem unionem ac visionem intuitivam glorificata, à nobis sub Transfiguratione videretur etiam in Corpus derivasse gloriam, Unigeniti à Patre Hypostasi ejusdem corporis

11. terminativæ convenientem. Unde Christus de hac suâ claritate, & gloriâ tam corporis, quàm animæ præsertim meminit *Joan. 17. Volo*, inquiens, *ut, ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Et hinc *Joan. 8.* dixit. *Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.* In quem adeò sensum Eusebius Cæsariens. *lib. 10. Demonst. Evang. cap 8.* applicat illud *Psal. 21. De ventre matris meæ Deus meus es tu*; taliter disserens de Christo. *Cùm adhuc intra cellam me in utero gestantis laterem, te tamen Deum meum videbam.*

De hac igitur Beatâ Christi hominis scientiâ duæ restant hic decidendæ controversiæ. 1. *Utrùm omnia saltem futura viderit in Verbo?* 2. *An, & quomodo per scientiam Beatam in speculo Divinitatis viderit infinita?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm omnia saltem futura Christus viderit in Verbo?

NOn posse omnes entitates, & formalitates creabiles sive ex Divinâ substantiâ derivabiles, in hac *intuitivè* visâ penetrari, quin essentia Divina *totaliter* & *Comprehensivè* esset cognita, demonstravimus *in 1. tom. q. 4. a. 4. cont. 2.* Etenim totalis seu comprehensiva cognitio est secundùm adæquationem cognoscibilitatis objecti & cognitionis. Hæc verò adæquatio in eo sita est, quòd objecti *intuitivè* attacti cognoscibilitas, seu forma intelligibilis ita uniatur intellectui, ut tanquàm motivum specificativum determinet ad omnis non tantùm *formaliter* sibi inexistentis realitatis, sed omnimodæ ex se & in se intelligibilis veritatis intellectionem. Atqui talis inter cognoscibilitatem objecti, & modum cognoscendi adæquatio præsupponit lumen intellectuale commensuratum intelligibilitati objecti. Oportet igitur, lumen intellectuale infinitum esse in eo, cujus intellectus Divinæ substantiæ infinito, atque adeò comprehensivo modo unitur. 1.

Ex quo proinde fit consequens, quòd, cùm repugnet forma creata infinita, atque adeò lumen Gloriæ ac Visio Divinæ essentiæ comprehensiva nequeant omnes possibiles species in Divina Essentiæ imitabilitate activâ *eminenter* contentæ, & per Idealem formationem in Divino intellectu earundem *formaliter* formativo *objective* ac *repræsentativè* expressæ per Beatam Christi animæ scientiam in Verbo esse cognitæ. ex S. Thoma *præs. q. 10. a. 2.* Quare difficultas procedit duntaxat *de omnibus actu aliquando existentibus, seu etiam cogitationibus, & futuris contingentibus?* 2.

Referuntur Sententiæ.

NOnnulli ex antiquis, & partim ex modernis Hæreticis, nominatim Gnostici, referente Irenæo *lib. 1. cap. 14.* perfidè asserebant, Christum non omnia cognovisse, sed ignorantiâ in multis laborâsse. Fundamentum adstruere, sed falsò ac perperam conantur ex illo *Lucæ 2. IESUS autem proficiebat ætate ac sapientiâ.* At nequit proficere in sapientiâ, qui omnium rerum notitiam habet. Item ex eo, quòd Christus Dominus *Joan. 11.* interrogarit de Lazaro, *ubi posuistis eum?* Ergo ignorabat, ubi esset positus. 3.

Aliqui etiam ex Catholicis apud Tostatum *ad cap. 24. Matth. q. 209.* existimant; Christi animam ignorare diem Iudicij. Fundamentum desumitur ex illo *Marci 13. De die autem illâ, vel horâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* 4.

Amicus *præs. disp. 14. sect. 2. n. 24.* cum alijs à se allegatis existimat, implicare, quòd anima Christi actu, dearticulatè, & distinctè videat omnia futura absoluta. Fundamentum est. Quia omnia futura absoluta, utpote per totam æternitatem sine termino futuras Beatorum & damnatorum cogitationes, ac volitiones comprehendentia sunt infinita. At implicat, infinita videri actu, & distinctè per cognitionem finitam. 5.

Econtrà

6. Econtrario Theologi communiter cum S. Thomâ *cit. art.* 2. imò & Patres Orthodoxi, speciatim Hilarius *lib.* 9. *de Trinit.* Ambrosius *de fide. lib.* 5. *c.* 8. Hieronymus *ad cap.* 24. *Matth.* in illa verba: *De die autem illâ.* Fulgentius *resp.* 3. *ad Ferran. Diacon.* Beda *ad cap.* 13. *Marci* in illa verba. *De die autem illâ.* Bernardus *tract. de duobus gradibus humilit. & superb.* Item *homil.* 2. *super Missus est.* Damascenus *lib.* 3. *Orthod. fid. cap.* 21. Isidorus Pelusiota *lib.* 1. *epist.* 117. docent tanquàm omninò certum, quòd Christus Dominus omnia aliquando extitura sciverit, nec ulla adeò in ipso fuerit ignorantia. Fundamentum est. Quia *Joan.* 1. ubi Verbum dicitur incarnatum esse, statim subjungitur, *Et Vidimus ipsum plenum gratiâ, & Veritatis.* At ubi est plenitudo Veritatis, ibi non habet locum ullius Veritatis ignorantia. Et hinc *Joan.* 16. dicebant discipuli ad Christum: *Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget.* Et *Joan.* 21. dixit Petrus ad JEsum. *Domine tu omnia scis, tu scis, quia amo te.* Item *Joan.* 2. ita habetur. *Non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Item *ad Colos.* 2. dicitur de Christo. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

CONCLUSIO.

7. ANima Christi videt in Verbo omnia aliquando existentia, seu futura, imò quidquid positivum Deus videt scientiâ Visionis.

Probatur. Nam quilibet Beatorum videt in Verbo, quidquid ejus interest, uti *ex Concil. Senon. decret. fid. cap.* 13. ostendimus *in* 1. *tom. q.* 4. *a.* 5. *cont.* 2. Etsi verò tota creationis linea, quoad omnimodas ad ipsam spectantes realitates sit definita antecedenter ad Christi, seu Verbi Divini incarnati præfinitionem, ac prævisionem: attamen in signo, quo Divini Verbi Incarnatio per Voluntatem Dei fuit decreta, fuit Christus homo vi talis decreti positus tanquàm finis universarum creaturarum, aliquando existentium, omniaque proinde ad ipsum, ceu finem erant ordinata. Atqui Volitio Divina ejus est efficaciæ, ut respectu rei per ipsam *absolutè* Volitæ sit causalitas tam finalizativa, quàm etiam effectiva. Unde Volitio Incarnationis Divinæ præfinitiva, respectu universarum ad lineam primæ etiam creationis spectantium formalitatum eatenus habebat efficaciam causalitatis tum effectivæ, tum finalizativæ, ut consequenter Christus vi talis efficacis decreti positus esset ut principium omnimodæ creaturæ, utpote sibi ex tunc sub pedibus subjectæ, in suique gloriam & exaltationem ordinatæ finalizativum.

8. Et hinc etiam de Christo homine, seu sapientiâ incarnatâ accipitur illud: *Ab initio creata sum.* Item, *Dominus possedit me in initio viarum suarum:* sive ut alia versio habet, *Initium* (principium scilicet finalizativum) *viarum suarum*, quarumlibet nimirum Dei ad extra emanationum. Quia ergo vi decreti Incarnationis Divinæ præfinitivi omnia erant in Christo, ceu in fine suo recapitulata, consequenter Christi anima istud Divinum decretum intuendo in Verbo, vidit in hoc omnimodam quovis tempore extituram creatam formalitatem.

Dices. Ex hoc discursu Videri consequens, quòd Christi anima *comprehensivè* ac *totaliter* videat Divinam Visionis scientiam. 9.

Contra. Nam ut ista Divina scientia per beatificam animæ Christi Visionem *Comprehensivè* penetraretur, oporteret, ejusdem objectum non tantùm materiale, sed etiam formale specificativum *totaliter* cognosci. At objectum scientiæ visionis Dei specificativum est ipsa Divina essentia, quà per decreta sua libera *Causaliter* se profundens in res creatas actu aliquando existentes. Deinde objectum ejus materiale adæquatum non tantùm complectitur universas res creatas, sed possibilium nunquam exciturarum negationes omnimodas, utpote ex ipsius Essentiæ Divinæ independente, ac omnimodè per se subsistente *Esse* per Nolitionis Divinæ efficaciam sub actuali *non Esse* positas. At verò nec istas negationes omnimodas, utpote ad statum Christi, quà rerum *positive* futurarum duntaxat, vel ex istarum causalitatibus *indirectè* profluentium negationum Finalizativum *proportionaliter* Principium non pertinentes, saltem universas Christi anima videbat in Verbo; nec Essentiam Divinæ Increatæ Dei scientiæ Visionis specificativam poterat *Comprehensivè* penetrare Beata Christi animæ scientia seu Visio beatifica. Ergo licèt Christi anima viderit in Verbo omnes res creatas aliquando existentes, nec non negationes, præsertim moralitatem aliquam culpabilem importantes, non tamen penetrabat *Comprehensivè* Divinam Visionis scientiam. 10. 11.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n.* 3. oppositum fundamentum Respondetur 1. ex D. Thomâ 3. *p. q.* 7. *a.* 12. *ad* 3. quòd Christus profecerit in sapientiâ Infusâ secundùm actum, & acquisitâ secundùm habitum: in Beatâ autem, utpote uniformi & (*ut tom.* 1. *q.* 4. *a.* 5. *cont.* 4. *demonstravimus*) omninò invariabili scientiâ profecisse non secundum *incrementum intrinsecum*, sed exterioris duntaxat exhibitionis *extrinsecum augmentum.* In quo adeò sensu S. Damascenum *lib.* 3 *orthod. fide. cap.* 22 disserere in hæc verba: *Proficere autem sapientiâ, & ætate, & gratiâ, idcirco dicitur, quòd ætate quidem cresceret, per ætatis autem incrementum sapientiam eam, quâ præditus erat, in lucem proferret, ac præterea, quòd hominum in sapientiâ & gratiâ progressum, Paternaque Voluntatis expletionem, hoc est, hominum pietatem, ac Dei cognitionem & salutem, profectum suum duceret, atque ubique quoad nostrum erat, sibi asciscerel.* 12.

2. Ad locum *Joan.* 11. de Lazaro Respondetur ex S. Gregorio *lib.* 8. *epist.* 42. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, taliter disserente. *Si Agnoita negant, scisse Dominum, ubi fuerat Lazarus sepultus, atque adeò requisisse; procul dubiò compellerentur fateri, quia nescivit Dominus, in quibus locis se Adam, & Eva post culpam absconderant, cùm in Paradiso dixerit; Adam ubi es? aut cùm Cain corripuit dicens, Abel ubi est frater tuus? Qui si nesciebat, cur protinùs adjunxit: Sanguis fratris tui de terrâ clamat ad me?* Quare causam & rationem illius de Lazaro interrogationis aptiorem assignavit D. Thomas *lect.* 5. *super cit. cap.* 11. *Joannis*, quòd, dum à popu- 13.

a populo sepulchrum sibi ostendebatur, vellet eos consiteri Lazarum mortuum & sepultum, ut sic miraculum ab omni suspicione eriperet.

14. Ad n. 4. oppositum fundamentum Respondetur. Christum etiam quà hominem, cùm sit Judex Vivorum & Mortuorum, omninò scivisse diem Judicij, uti habetur *ex Epist.* Sophronij Patriarchæ Hierosol. ad Sergium Patriarcham Constantinopol. *Act.* 14. Verùm dici, nescisse illum diem, tum quoad scientiam alijs communicabilem, uti ex S. Augustino *lib. 1. de Trinit. cap. 12.* & *lib. 83. quæst. q. 6.* tradit S. Thomas *in compend. Theolog. cap. 242.* tum quòd (uti S. Basilius *in Epist. ad Amphilochium* habet) neque ut Deus, neque à fortiori ut homo sciret illam diem scientiâ, quam haberet a se, sed à Patre duntaxat. In quo adeò sensu dixisse *Joan. 14. Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me Patris.*

15. Ad Amici *n. 3.* oppositum Respondetur. Cùm scientiæ Beatæ in Christo specificativum sit Divina sub infinito puro subsistente *Esse* in quaslibet actuales creaturas se profundens essentia, consequenter non repugnare, vi talis scientiæ, licèt *formaliter intrinsecè* finitæ, attamen *formaliter terminativè* ac *specificativè* infinitæ, attingi omnes per totam æternitatem futuras infinitas realitates.

❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II

An, & quomodò anima Christi per scientiam Beatam in Verbo viderit infinita?

1. Divus Thomas *præs. q. 10. a. 3.* docet, animam Christi per scientiam quasi simplicis intelligentiæ cognoscere infinita, omnes scilicet effectus latentes in virtute causarum secundarum, de facto aliquando existentium, attamen per scientiam Visionis non cognoscere nisi finita, eò quòd creaturæ actu existentes non sint nisi finitæ. Ex quâ doctri-
2. nâ triplex oritur difficultas hic discutienda. Prima per Card. de Lugo *præsent. disp. 19. sect. 2. n. 30.* excitata difficultas in eo se tenet. Etenim in Virtute causarum secundarum de facto existentium non continentur species possibiles infinitæ. Oporteret igitur, in harum causarum comprehensivâ per Visionem Beatam penetratione videri infinita individua possibilia. Atqui ad comprehensionem causæ non oportet, cognoscere sigillatim omnia individua, quæ ab eâ possunt produci, eò quòd Virtus causæ productivâ non respiciat ea in particulari, sed solùm secundùm communem speciei rationem.
3. Ad quam proinde difficultatem Lugo *cit. n. 39.* resolvit; collectionem causarum de facto existentium continere *adæquatè* in suâ virtute infinitos effectus possibiles, non diversos specie, sed numero. Etsi verò isti non videantur distinctè in singulis causis partialibus, utpote in quibus non contineantur *adæquatè*; attamen in eâ collectione causarum videri posse, utpote in quâ contineantur *adæquatè*.
4. Secunda per citatum de Lugo *n. 45.* mota difficultas est, quòd hic author arbitretur, Christi animam videre de facto infinitos specie diversos, non quidem substantiales, sed accidentales effectus. Fundamentum est. Nam Christus videt in Verbo *Comprehensivè* omnes virtutes causarum secundarum de facto existentium. Atqui datur aliqua causa creata cum tali virtute, quæ in se contineat infinitas species effectuum possibilium. Minor probatur. Nam Intellectus Angeli se solo potest cognoscere substantiam Angeli, concurrente Angelo per modum objecti. At hic intellectus potest cum tali cognitione *reflexè* cognoscere istam primam cognitionem. Hæc verò secunda reflexa cognitio differret specie à primâ, cùm prima pro objecto directo Angelum, posterior autem haberet pro objecto directo cognitionem Angeli specie differentem ab Angelo. At vero tali modo posset facere etiam tertiam cognitionem reflexam, quâ cognosceret secundam, quæ tertia cognitio itidem specie differret à secundâ, & sic deinceps in infinitum. Cùm igitur in Virtute Angelici Intellectûs contineantur infinitæ specie differentes cognitiones, consequens est, animam Christi *Comprehensivè* penetrando in Verbo istam Angelici intellectûs Virtutem, videre infinitos accidentales possibiles effectus.

Tertia Difficultas per Capreolum *in 3. dist. 14. q. 2.* Ferrariensem *1. contra gentes cap. 69.* Alvaren *præsent. disp. 55. n. 21.* mota ita se habet: Quòd, si sermo sit de accidentibus successivis, de cogitationibus nimirum per æternitatem futuris, Anima Christi per scientiam Visionis videat in Verbo infinita actu. Fundamentum est. Etenim anima Christi per scientiam beatam Visionis cognoscit in Verbo omnia, quæ Deus *Intuitivè* cognoscit; ex Divo Thomâ *præsent. q. 10. a. 6.* At ea, quæ Deus scit scientiâ Visionis, sunt actu infinita. ex eod. S. Doctore *1. p. q. 14. a. 12.* Ergò anima Christi per scientiam beatam in Verbo cognoscit actu infinita. 6.

CONCLUSIO I.

Anima Christi non videt in Verbo infinitos etiam accidentales possibiles effectus specie differentes, sed numero duntaxat ac individualiter diversos. 7.

Prior pars probatur. Nam ratio specifica effectûs continetur in Virtute causæ, quatenus hæc secundùm quartum *perseitatis* modum sub formali principij ratione dicit intrinsecam ac essentialem cum tali effectu commensurationem. At eo ipso, quòd cujusvis secundùm gradum specificum spectatæ substantiæ quidditas sit Essentialiter finita, nequit sub istâ formali suæ speciei ratione in quarto *perseitatis* genere habere cũ infinitis effectuum ex se producibilium speciebus commensurationem essentialem. Eo ipso autem, quòd Virtus substantiæ per modum passionis propriæ sit in secundo *perseitatis* genere *per se* connexa cum formali specificâ substantiæ ratione, sequitur, neque virtutem alicujus creatæ substantiæ posse habere activitatis proportionem ac commensurationem cum infinitis specie diversis effectibus. Unde cùm causarum secundarum de facto existentium collectio sit finita, nequeat autem singulis causis secundis esse

Virtus,

Virtus, nisi finita ad definitos specie effectus, sequitur evidenter, non posse in solâ collectione causarum de facto existentium contineri nisi finitos specie effectus. Consequens proinde est, Animam Christi omnium causarum secundarum de facto existentium Virtutes in Verbo *comprehensivè* penetrando, non videre nisi finitas species etiam accidentarias.

8. Et hinc contra Cardinalem de Lugo, *n. 5.* allegatum negari debet, quòd Angelici Intellectûs Virtus possit se extendere ad infinitas possibiles specie differentes reflexas cogitationes. Etenim specifica cogitationum differentia desumenda est ex diversitate luminum Intelligibilium, ut sic diversas rationes *sub quibus* fundantium. At intellectus Angelicus eatenus habet infusas intelligibiles species quarumlibet existentium substantiarum repræsentativas, ut sub talis intelligibilitatis lumine objectivo applicentur omnimoda intra substantiæ quidditatem radicata & *Virtualiter* seu *Eminenter* contenta acciden-

9. tia. Et hinc negandum est, quòd illæ in infinitum possibiles reflexæ cognitiones in Angelo essent diversarum specierum, utpote uno intelligibili lumine nitentium, nec adeo ex parte objecti formalis, sed parte objecti duntaxat materialis differentium.

10. Posterior pars probatur. Quia ratio individui in effectibus substantialibus spectat ad lineam essendi ac subsistendi; in accidentalibus verò effectibus ex essentiali ad subiectum subsistens, ac existens, atque adeò Hæcceitatum ordine. At eò ipso, quòd nulli causæ secundæ possit convenire, quòd ejus ratio tum *formaliter* in primo *perseitatis* modo constitutiva, tum effectuum ex ipso emanantium in quarto *perseitatis* genere specificativa sit *Esse* subsistens, sive *Esse* Hæcceitatis ut sic, nequit ratio individuationis in effectibus creatis reduci in causas secundas, nisi quatenus istæ sub ratione suæ activitatis habent intrinsecam potentialitatem mediante Divinâ, tum immanente, per *Esse subsistens* in primo *perseitatis* modo *formaliter identicè*, tum transeunte per idem *subsistens Esse* in quarto *perseitatis*

11 genere *formaliter terminativè* specificatâ causalitate determinabilem. Eo ipso autem quòd ista activitatis causarum secundarum propriæ per Divinam causalitatem determinabilis potentialitas per Animam Christi *Comprehensivè* videatur in Verbo, tunc istius purissima intelligibilitas est sui ipsius ad Christi intellectum eatenus unitiva, ut illam ipsam essentiæ suæ Divinæ actualitatem, per quam infinita cujuslibet Causæ secundæ ad effectus numero infinitos potentialitas determinabilis est, in ordine ad omnimodos tales possibiles effectus in se exprimendos actualiter manifestet animæ Christi. Consequens proinde est, non ex præcisâ causarum secundarum comprehensione, sed ex harum in Verbo comprehensivâ penetratione fieri, quòd Christi anima videat infinitos possibiles numero distinctos in causis secundis latentes effectus.

CONCLUSIO II.

12. Anima Christi per scientiam Visionis videt in Verbo omnes creaturas aliquando existentes, quæ actu infinitæ sunt *causaliter*, non autem *formaliter*.

Probatur. Nam quia omnis creatura aliquando existens est in Verbo, seu Decreto Divino, nec non Divinâ Visionis scientiâ, tanquam sui causalitate effectrice, consequenter omnes ut sic sunt *actu causaliter*. At verò istæ ipsæ creaturæ in propria suâ existentiâ & durationis mensurâ *formaliter* spectatæ sunt quidem quoad numerum cogitationum & volitionum volubilium eatenus augendæ per æternitatem, ut tamen actu semper sint finitæ, nec nisi partim in potentialitate causarum æviternitate mensuratarum; partim in sui causalitate effectrice, partim in sui intelligibili intra Christi animam v. g. expressâ repræsentatione contineant quandam infinitatem, quæ ipsis adeò non sit intrinseca, sed sub extrinsecâ duntaxat denominatione se habeat ad eas.

ARTICULUS II.

DE

Scientiâ Christi infusâ.

Hypostasis Verbi omnimodæ creatæ subsistentiæ actualitatem & formalitatem in se *Eminenter* continens tribuit humanitati Christi non Divinum duntaxat subsistendi, ac existendi formalem quasi effectum, sed humanitatis Christi est *formaliter* elevativa ad *Esse* individuum, sive subsistens *Esse*, quod *Eminenter* sit & humanum, & Angelicum. Hinc verò fit, quòd sub aliquâ Connaturalitatis exigentiâ ipsi competat vis operandi *modo* non tantùm *humano*, ut sic radicato in ipsâ Humanitatis naturâ, sed *modo* etiam *Angelico* per luminis alicujus Angelico Intellectui sub ideali quasi exemplatione secundum quartum *perseitatis* genus quodammodò commensurati infusionem. De hoc igitur Christi infuso Angelicum intelligendi modum imitante lumine, per duas controversias hic disseremus, quæsituri. 1. *Quale sit lumen scientiæ Christi infusæ?* 2. *Quænam sint hujus scientiæ objecta?*

CONTROVERSIA I.

Quale sit lumen Scientiæ Christo infusæ?

Nomine scientiæ Christo infusæ venit lumen substantiarum creatarum, non per formationes ex sensibilibus abstractas, seu ut sunt in seipsis, sub proprijs speciebus cognoscitivum. Ad intelligendum autem duplex requiritur lumen, *intellectivum* scilicet, se habens ex parte potentiæ intellectricis, & lumen *intelligibile*, se tenens ex parte objecti. Quod utrumque adeò lumen in ordine ad substantias creatas etiam spirituales, ut sunt in seipsis *quidditativè* vel *Intuitivè* cognoscendas necessarium, in præsenti controversiâ investigabimus.

Referunt

Referuntur Sententiæ.

2. Circa lumen intellectivum pro scientiâ Christi infusâ necessarium Cabrera *præs. q.* 11. *disp.* 6. cum alijs existimat, non esse *simpliciter* unum, sed distinctum in plures supernaturales *realiter*, ac *specie* diversos habitus. Fundamentum est. Nam habitus intellectuales distinguuntur secundùm diversa motiva, & diversas rationes sciendi, sicut etiam ex diversitate objectorum formalium distinguendæ sunt diversæ Virtutes morales supernaturales. At motiva formalia,& rationes formales *sub quibus* respectu luminis intellectivi pro infusâ supernaturali Christi scientiâ necessarij, sunt æquè diversa, ac respectu Virtutum moralium sint specie distincta objecta formalia, eò vel maximè, quòd sub illam Christi infusam scientiam cadant entia tam naturalia, quàm supernaturalia.

3. Econtra Alvarez *præs. a.* 6. *n.* 1. Medina *ibi.* Suarez *disp.* 29. *sect.* 3. Ysambertus *ad præs. q.* 11. *disp.* 1. *art.* 7. & alij tenent; illud lumen esse unam scientiam *specie* atomam, & unum habitum judicativum. Fundamentum ab Ysamberto deductum est. Quotiescumque enim aliqua qualitas habet se per modum potentiæ, & est una communis ratio attingendi plura objecta etiam specie diversa, talis qualitas est tantùm una numero. Atqui habitus scientiæ infusæ Christi ad instar reliquorum habituum supernaturalium est qualitas, se habens per modum potentiæ, dans *simpliciter posse*, cui sit communis quædam ratio attingendi omnia hujus scientiæ tam naturalia, quàm supernaturalia objecta. Minor probatur. Quia ratio attingendi objecta in hac scientiâ est, manifestare evidenter potentiæ intellectivæ sua objecta modo aliquo elevatiore, ac perfectiore, independenter scilicet à corpore; & insuper causare in ipsâ potentiâ assensum circa hæc objecta. Hæc autem est una & eadem respectu omnium objectorum, mediante infusâ Christi scientiâ noscibilium. Ergo & habitus istius scientiæ est unus.

4. Etsi verò Vasquez *præs. disp.* 52. *cap.* 1. existimet, scientiam Christi infusam, quatenus versatur circa objecta naturalia, esse in *substantiâ* naturalem, utpote non diversam ab eâ, quam haberet anima separata circa eadem objecta. Nihilominùs sententia opposita, quòd scilicet scientia illa sit *quoad substantiam* supernaturalis, communiter adstruitur à Theologis, uti videre est apud Alvarez *disp.* 65. *n.* 7. & Card. de Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 4. Fundamentum est. Cum enim Gratia habitualis animam Christi per modum radicis elevet ad superiorem ordinem, seu statum supernaturalem, oportet, etiam scientiam infusam *quoad modum operandi* elevare Christi intellectum ad statum supernaturalem.

5. Circa species intelligibiles infusæ Christi scientiæ inservientes Richardus *in* 3. *dist.* 14. *a.* 4. *q.* 2. Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. Ysambertus *præs. disp.* 2. *a.* 1. & alij arbitrantur, species Christi scientiæ infusæ deservientes esse universaliores speciebus Angelorum. Fundamentum est. Quia species debent correspondere tâ principio elicienti cognitione; quàm cognitioni, cùm species & potentia faciant unum totale cognitionis principium. Atqui intellectus animæ Christi, ut est principium elicitivum actuum scientiæ infusæ, elevatus est ad statum supernaturalem, ac superiorem conditione intellectûs Angelici. Ergo & species debent esse perfectiores, atque adeò universaliores Angelicis speciebus.

Econtra Thomistæ communiter cum Divo Thomâ *præs. a.* 6. existimant; illas pro Christi scientiâ infusâ necessarias species minùs esse Universales Angelicis speciebus. Fundamentum à S. Doctore *citato in corp. a.* 6. *& ad* 1. insinuatum est. Quia scientia animæ Christi infusa, licèt sit perfectissima, & excedens Angelorum scientiam, quantum ad id, quod consideratur ex parte Dei influentis, attamen est infra scientiam Angelicam, quantum ad modum recipientis. Unde scientia infusa animæ Christi habuit modum animæ humanæ connaturalem. At connaturale est animæ humanæ, ut recipiat species in minore Universalitate, quàm Angeli, atque adeò diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat. Cùm igitur species intelligibiles scientiæ Christi infusæ inservientes fuerint naturæ humanæ proportionatæ, consequenter minùs erant Universales, quàm intelligibiles Angelicæ species. 6.

7. Ex quo proinde fundamento Medina *in præs. a.* 6. & alij tenent, istas species esse in *substantiâ* naturales. Fundamentum est. Nam etiam fides, licèt sit habitus supernaturalis, utitur tamen speciebus naturalibus. Ergo idem dicendum est de scientiâ animæ Christi infusâ.

8. Verùm species ejusmodi æquè, ac scientiam illam infusam esse *in substantiâ* supernaturales, cum Cajetano *in præs. a.* 6. docet Alvarez *disp.* 65. *n.* 3. Fundamentum est. Tum quia species deservientes alicui scientiæ debent esse proportionatæ lumini scientifico. Tum quia nulla species ordinis naturalis potest *determinatè* ac *distinctè* repræsentare futura contingentia in seipsis, vel actus liberos & cogitationes cordium, sed hoc ita proprium est Divinæ essentiæ, ut species intelligibiles earum repræsentativæ, & consequenter scientiæ Christi infusæ deservientes debeant esse exemplatæ ab Essentiâ Divinâ, in quantum habet rationem speciei intelligibilis. At species intelligibiles taliter exemplatæ ab Essentiâ Divinâ, sunt ordinis supernaturalis.

CONCLUSIO I.

9. Lumen Intellectuale, seu scientificum in scientiâ Christi infusâ est unus simplex habitus, in substantiâ supernaturalis.

Probatur. Quia Unitas & distinctio habituum se habet ad istorum essentiam, & specificam quidditatem per modum passionis, & proprietatis transcendentalis. At quidditas essentialis habituum est secundùm intrinsecam istorum ex objectis formalibus, atque horum rationibus *sub quibus* specificationem. Unde quandò unica ex parte objecti respondet ratio formalis *sub quâ* specificativa, consequens est, habitum esse unicum, ac *specificè* indivisibilem.

10. At Infusa scientia Christi pro ratione formali *sub quâ* habet lumen objectivum *formaliter* quidem creatum, *in quarto* tamen *perseitatis genere per se* specificatum, ac ideatum ex Increato Divini intellectûs lumine objectivo, ut sic spectante ad Divi-

ad Divinitatis gradum quasi specificum. Probatur istud subsumptum. Nam ista scientia ex vi
11. suæ intrinsecæ specificationis extendit se ad futura contingentia, imò & possibilia *quidditativè ac intuitivè* cognoscenda. Horum verò cognoscibilitas stare non potest, nisi sub tali formalitate, sub quâ habeant rationem veritatis. At eo ipso, quòd ratio veritatis sequatur rationem entis, futura autem & possibilia non *formaliter* in seipsis, sed vel *causaliter* duntaxat in sui effectrice Divinæ Voluntati ac intellectioni immanente causalitate, vel *objectivè* in sui ideali per Divinum intellectum formatione habeant rationem entis: sequitur futura & possibilia non esse *quidditativè ac intuitivè* ab intellectu creato noscibilia, nisi sub lumine vel Divini intellectûs *formaliter identicè* specificativo, vel ex hujus ideatione secundùm quartum *Perseitatis* genus ideato. At
12. istud ex intellectûs Divini *formaliter identicè* specificativo lumine participatum lumen, licèt secundùm specificam sui ad diversa creata objecta concretionem sit multiplex; hæc tamen diversitas eatenus fundat distinctas species intelligibiles, ut sub intelligibili per ipsas repræsentato objectivo lumine resplendeat quædam Universalis lux objectiva, quæ sub luminis *specificè* Divini participatione subeat rationem unius simplicis luminis objectivi, ut sic ex intelligibilitate *quasi specificè* Divinâ in quarto *Perseitatis* genere *per se formaliter* specificati.

13. Probatur istud assumptum. Nam sicut lumen objectivū sub Universali veritatis supremi v.g. Seraphini *Essendi* gradui proportionatæ Unitate coadunat omnes inferiorū entium gradus & in hiscè *Transcendentaliter* radicatas Veritates objectivas, ita ut harum Veritas per suas alioquin specificas differentias distincta, sub illâ ad lumen objectivum supremi Seraphini gradui *Essendi* commensuratum proportione reducatur in unitatem simplicis alicujus intelligibilitatis, seu rationis formalis *sub quâ*, ut sic potentiam intellectivam supremo Seraphino propriam speci-
14. ficantis. Sic lumen objectivum ex ipsomet quasi *specificè* Divino intelligibili lumine intellectûs Increati *formaliter identicè* specificativo, secundùm quartum *Perseitatis* modum *per se formaliter participativè* specificatum, sub suâ Universalitate in unam quandam simplicem intelligibilitatis, seu lucis objectivæ rationem formalem colligit omnimodas inferiores, sive supernaturales, sive naturales intelligibilitates. Sub quâ proinde Luminis objectivi, ceu rationis formalis *sub quâ* Unitate specificatur Una simplex qualitas, seu habitus, qui non ad instar habituum naturaliū facilitatem duntaxat, sed ad instar potentiæ *simpliciter posse* confert. At verò oportet, talem habitum eo ipso *in substantiâ* supernaturalem esse, quòd ex gradu quasi specifico Divini intellectûs sit ideatus, & sub intelligibilitate *participativè* Divinâ specificatus. Constat igitur, lumen Intellectuale, seu habitum scientiæ Christo infusæ *formaliter* constitutivum, esse *in substantiâ* supernaturalem.

Conclusio II.

15. **Species intelligibiles Christi scientiæ infusæ inservientes sunt minùs Universales, quàm species Angelicæ.**

Probatur. Nam sicut species expressa seu Verbum mentis est lux objecti *formaliter* manifestativa, seu in *Esse intelligibili* actualiter expressiva, sic species impressa est Virtualis objecti *in Esse intelligibili* repræsentatio. At eo ipso, quòd lumen objectivum, seu intelligibilitatis ratio formalis *sub quâ*, scientiæ Christi infusæ in quarto *Perseitatis* genere ut sic specificativa, sit *participativè quasi specificè* Divina, oportet, species intelligibiles huic scientiæ *per se* deservientes, habere ab intrinseco istam intelligibilitatis *quasi specificè* Divinæ participationem. Ergo sunt *in substantiâ* supernaturales. At intelligibilitatis *quasi specificè* Divinæ participata lux diversimodè potest esse impressa creato intellectui, ita ut vel possit sub unicâ indivisibili formalitate se extendere ad omne sub ipsâ contentum objectum, vel per sui ad singulorum specie differentium objectorum intelligibilitates concretionem possit subire varias tum individuales, tum specificas differentias.

Unde in intellectu Humano Christi ista intelligibilitatis *quasi specificè* Divinæ participatio eatenus fuit attemperata, ut in lumine intellectivo ex parte potentiæ se tenente, nec ut sic aliquam ad objecta concretionem importante, sed puritatem intellectricis potentiæ propriam obtinente esset unitas, in lumine verò intelligibili ex parte objectorum se habente, atque adeò istorum concretioni secundùm cujusque creatæ intelligentiæ *Essendi*, & consequenter *operandi* modum propriæ se immiscente, esset diversa ad *connaturali* Humani intellectûs *operandi modo* proportionata, uti probat Fundamentum Divi Thomæ *supra n. 6.* deductum. 16.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 2.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd scientiæ distinguantur secundum diversitatem objectorum formalium, seu rationum sciendi. At hoc discriminis esse inter actum & potentiam, quòd ista ex sua specificatione respiciat unitatem formalem objecti non *secundùm concretionem aliquam materialem*, sed *secundum essendi puritatem & abstractionem* vel *formalem*, vel *intentionalem* spectati, cùm è contra actus creatæ Intellectricis potentiæ ex objectorum intelligibilium concretione intelligibili, utpote in ipsas species intentionales derivatâ contrahant quandam limitationem, atque adeò distinctionem tum specificam tum individualem. Et hinc quia habitus morales infusi ex modo operandi voluntatis proprio contrahunt etiam aliquam ex objectis, utpote sub sua specificâ ratione eorum finalizativis & motivis concretionem: Idcirco majorem in Christo recipere distinctionem, quàm habitum infusæ Christi scientiæ, eo vel maximè, quòd intelligibilitates huic scientiæ de se inservientes per sui ad objecta concretionem divisæ, sub abstractione illius scientiæ specificativâ redigantur in unam rationem formalem *sub quâ* Divinæ quasi *specificè* participatæ intelligibilitatis. Juxta cujus adeò universalitatis & abstractionis unitatem formalem, subsistere unicum scientiæ Christi infusæ habitum, seu lumen scientificum. 17. 18.

Ad Ylamberti *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. Rationem formalem *sub quâ* sci- 19.

quâ ſcientiæ Chriſti infuſæ non ſufficienter reduci ad talem abſtractionem, vi cujus objectorum illo ſcientiæ Chriſti lumine noſcibilium cognitio fiat independenter à Phantaſmatibus. Nam ſub tali præcisè formalitate & abſtractione non eſſent noſcibilia futura contingentia, omnimodi creati intellectûs proportionem excedentia, ſolique adeò lumini Divino proportionabilia. Oportet igitur, ſub altiori ſuperius expoſitâ ratione formali *ſub quâ* ſpecificati infuſæ Chriſti ſcientiæ lumen intellectuale, lumine illo, quod animæ ſeparatæ *connaturaliter* debetur, elevatius & altius eo ipſo, quòd ad objecta non niſi Divino lumine noſcibilia ſe extendat.

10\. Ad n. 5. oppoſitum fundamentum Reſpondetur. In illâ Chriſti ſcientiâ diſtingui debere tum ſpecificam, ceu quaſi formale luminis *ſpecifice* Divini in quarto *Perſeitatis* genere *Formaliter* imitativam rationem, luminis ſcientifici in infuſâ Chriſti ſcientiâ ſpecificativam, ejuſque adeò ſub unâ formali ſpecificâ ratione conſtitutivam; tum hujus materialem ad objecta materialia concretionem. At iſtam & ex objectis & ex ſubjecto eatenus petendam eſſe, ut *conſequenter* in ſubjecto materialitatem & potentialitatem magis participante contrahat majorem limitationem, atque adeò diſtinctionem. Unde cùm iſta ad objectum & ſubjectum concretio ſit partim ſecundùm ſpecies intelligibiles, partim & conſequenter ſecundum actus ex hiſce *efficienter* promanantes, conſequens eſſe, debere in actibus & ſpeciebus infuſæ Chriſti ſcientiæ inſervientibus majorem eſſe diſtinctionem, quàm in ſpeciebus Angelicis.

11\. At fundamentum n. 7. oppoſitum Reſpondetur. Diſparem eſſe rationem inter fidem, & infuſam Chriſti ſcientiam, eo quòd ad actum credendi fiat intellectûs determinatio non ex objecto ejus ſpecificativo, nec adeò per intelligibilem ſui ſpeciem potentiæ intellectrici unito, ſed ex ſupernaturali voluntatis motione ac imperio. E contra ad ſcientiæ Chriſti infuſæ actum fiat determinatio ex ipſomet hujus ſcientiæ ſpecificativo motivo, per ſui adeò intentionalem repræſentationem potentiæ intellectrici prius unito. Ex quâ proinde differentiâ fieri conſequens, quòd fides non æquè, ac ſcientia Chriſti infuſa niti debeat ſupernaturalibus intelligibilibus ſpeciebus.



CONTROVERSIA II.

Quænam ſint objecta ſcientiæ Chriſti infuſæ?

1\. SEx de hoc occurrunt difficultates hîc ventilandæ. Prima. *Utrùm anima Chriſti per ſcientiam infuſam noverit omnia ab intellectu creato naturaliter noſcibilia?* Secunda. *An per hanc ſcientiam certò cognoſcat cogitationes cordium & omnes actus liberos tam internos quàm externos?* Tertia. *Utrùm noverit certò futura omnia contingentia, præſertim libera?* Quarta. *An iſta futurorum per ſcientiam Chriſti infuſam cognitio ſit intuitiva vel abſtractiva duntaxat?* Quinta. *An evidenter cognoverit objecta omnia ſupernaturalia, & Myſteria Gratiæ?* Sexta. *An & quomodo cognoverit Myſterium Trinitatis?*

Referuntur Sententiæ.

Nonnulli apud Suarezium *præs. diſp. 27. ſect. 1.* negant, res naturales præſertim ſingulares à Chriſto cognoſci mediante ſcientiâ *per ſe*, ſed *per accidens* duntaxat infuſâ. Fundamentum eſt. Cùm enim Entia naturalia præſertim individua poſſint in infinitum augeri; oporteret, ſpecies intelligibiles horû repræſentativas ſimul exiſtentes in intellectu Angelico eſſe actu infinitas. 2.

Econtrà Divi Thomæ *præſ. q. 11. art. 2.* Suarezij *citati*, Ylambertii *ad præs. quæ. diſp. 3. a. 1. 2. & 3.* Card. de Lugo *diſp. 20. ſect. 2. n. 25.* Alvarez *diſp. 67.* & Theologorum communis ſententia eſt, Animam Chriſti per ſcientiam infuſam ſcire omnia, quæ à quocunque intellectu creato hominum vel Angelorum viribus naturæ, ſecundum rationem non tantùm communem & univerſalem, ſed etiam ſecundùm propriam & ſingularem rationem cognoſci poſſunt. Fundamentum eſt, quia Chriſtus *ſecundum quòd homo*, ſuperior eſt omnibus alijs hominibus & Angelis, utpote cujus humanitas ſubſiſtat per increatam Verbi ſubſiſtentiam. Ergo conveniens erat, eſſe illis ſuperiorem quoad cognitionem omnium objectorum non ſolum in Verbo, ſed etiam in proprio genere ac in particulari. 3.

Circa ſecundam Difficultatem nonnulli tribunt Scoto *in 3. diſt. 14. q. 5.* Durando *ibi*, quaſi docuiſſent, intellectum Animæ Chriſti per ſcientiam infuſam non cognoviſſe cogitationes cordium. Fundamentum eſt. Quia cognitio cogitationum cordium eſt Dei propria; ſecundum illud *Hieremiæ 17. Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor.* Ex quo adeò D. Thomas *1. p. q. 57. a. 4. in corp.* concludit, Angelos non cognoſcere actus liberos. At illa ipſa ratio etiam militat de animâ Chriſti. Ergo nec iſta extra Verbum cognoſcit cogitationes cordium. 4.

Econtra cum D. Thomâ *in cit. a. 4.* tenent Suarez *cit diſp. 24. ſect. 2. concl. 1.* Ylambertus *præſ. diſp. 4. a. 1.* Cardinalis de Lugo *diſp. 20. ſect. 2. n. 30.* Aluarez *diſp. 58. n. 6.* Animam Chriſti cognoſcere per ſcientiam infuſam certò, clarè, & diſtinctè liberas cogitationes cordium actu exiſtentes, etiam ſecundùm quòd ſunt in intellectu & prout pendent ex liberâ determinatione voluntatis. Fundamentum eſt. Tum ex illo *Matth. 19. Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe; Hic blaſphemat: & cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum; dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Tum ex eo quòd Chriſtus Dominus *in quantum homo* judicaturus ſit de omnibus actibus humanis, etiam internis, non prout actu exiſtunt in æternitate, ſed prout ſunt in ſeipſis: dicitur enim *Joannis 5. Et poteſtatem dedit ei Judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Ergo ſcientia, quâ ejuſmodi actus cognoſcit, oportet, quòd feratur in eoſdem actus, prout ſunt in ſeipſis. At hæc eſt ſcientia infuſa, ſiquidem per ſcientiam beatam cognoſcantur prout repræſentantur in Verbo. Ergo per ſcientiam infuſam Chriſtus cognoſcit omnes cogitationes cordium. 5.

Circa tertiam Difficultatem aliqui apud Suarez *cit. ſect. 2.* negant futura contingentia cognoſci per ſcientiam Chriſti infuſam. Fundamen- 6.

damentum est. Nam futura præsertim libera non possunt cognosci in seipsis, cùm nullum ut sic habeant determinatum *Esse*, atque adeò veritatem determinatam. At neque cognosci possunt in suis causis secundis utpote indeterminatis. Nequit autem in causâ indifferente & indeterminatâ per certitudinem cognosci effectus determinatus. ex D. Thoma 1. *part. q.* 57. *a.* 3. Cùm igitur futura ejusmodi nec in seipsis, nec in causis secundis habeant determinatam veritatem, consequens fit, non posse per infusam Christi scientiam cognosci, nisi hæc attingeret futurorum in æternitate præsentialitatem, in quâ ut sic habent determinatam veritatem. At scientia Christi infusa tam ex parte sui, quàm ex parte rationis formalis *sub quâ* sui specificativa nequit attingere futurorum in æternitate præsentialitatem, sed hoc est proprium scientiæ Beatæ. Non potest igitur scientia Christi infusa cognoscere futura contingentia.

7. Econtra D. Thomas *pres. a.* 1. *præcipuè ad* 3. Cajetanus & Medina *ibi*, Scotus *in* 3. *dist.* 14. *q.* 3. Marsilius *q.* 10. *a.* 2. Suarez *citatus concl.* 2. Ysambertus *cit. disp.* 4. *a.* 4. Cardinalis de Lugo *cit. sect.* 2. *n.* 31. Alvarez *disp.* 59. *n.* 4. & 6. affirmant, omnia futura contingentia etiam libera certò & infallibiliter cognosci per scientiam Christi infusam.

Fundamentum est. Ad hoc, ut detur species futurorum contingentium repræsentativa, non requiritur perfectio infinita, sed sufficit virtus finita, exemplata ab Essentiâ Divinâ, in quantum habet rationem speciei intelligibilis. Ergo dabilis est talis species, imò de facto communicatum est Prophetis, ut per speciem intelligibilem creatam distinctè cognoscerent in particulari contingentia quàm plurima. Imò & Christus secundùm scientiam non beatam duntaxat, sed infusam prædixit Petro sui negationem sub nocte Passionis futuram, nec non urbis Hierosolymæ obsidionem ac ruinam.

8. Circa quartam difficultatem Scotus *cit. dist.* 14. *q.* 3: §. *ad quæstionem* negat, illam Christi notitiam fuisse saltem *perfectè* intuitivam. Fundamentum est, quia objectum non est cognoscibile cognitione intuitivâ perfectâ, nisi ut est præsens in se, vel in aliquo, in quo habeat *Esse* perfectius, quàm in se. At futura contingentia non fuerunt præsentia in se, neque in aliquo alio, respectu scientiæ infusæ. Ergo respectu hujus non possunt esse objectum cognitionis intuitivæ perfectæ.

9. Econtra Cajetanus *in cit. a.* 1. §. *Et breviter.* Suarez *cit. sect.* 2. §. *Hæc difficultas.* Alvarez *disp.* 60. *n.* 5. tenent, animam Christi per scientiam infusam intuitivè ac perfectè videre omnia præterita, præsentia, & futura. Fundamentum ab Alvare *n.* 6. deductum est. Licèt enim actualis existentia objecti necessaria sit ad cognitionem intuitivam, quæ habetur viribus naturæ, & secundùm cursum communem; de potentiâ tamen absolutâ potest Deus supplere præsentiam illam, & producere in intellectu speciem intelligibilem adeò perfectam, ut repræsentet ita claré rem futuram, cum suâ existentiâ & omnibus objectis, ac si objectum illud esset præsens cognoscenti secundùm realem existentiam, & per seipsum moveret potentiam ad formandam sui notitiam. Et hinc Prophetæ, ex vi talis luminis infusi 1. *Reg.* 9. appellantur Videntes, juxta illud: *Ubi est domus Videntis?*

Circa quintam difficultatem moveri potest; Tum quòd Gratia habitualis, sit formalis participatio naturæ Divinæ. Ergo cognosci non potest, nisi evidenter cognoscatur Essentia Divina. Atqui Anima Christi per scientiam infusam non cognovit evidenter Essentiam Divinam. Tùm quòd conjunctio Hypostatica Humanitatis ad Verbum evidenter cognosci nequeat, nisi evidenter cognoscatur Verbum. At istud videri non potest, nisi cognoscatur etiam Pater, ac Spiritus sanctus, totaque proinde Trinitas. Nequit autem personarum Divinarum Trinitas cognosci evidenter, nisi per scientiam beatam. 10.

Econtrario Suarez *cit. disp.* 27. *sect.* 3. Ysambertus *ad præs. q.* 11. *per totam* Cardinalis de Lugo *citatus n.* 35. Alvarez *disp.* 6. *n.* 61. *ac seq.* affirmant, Entia supernaturalia, & Gratiæ Mysteria fuisse evidenter cognita per infusam Christi scientiam. Fundamentum est. Quia per scientiam Christi infusam reducta est in actum omnis potentialitas Animæ Christi tam naturalis, quàm obedientialis, comparatione cujuscunque objecti cognoscibilis per naturam, vel Divinam revelationem. At omnia objecta supernaturalia esse ab intellectu creato per Divinam revelationem noscibilia, patet ex illo *Isaia* 64. & 1. *Corinth.* 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 11.

Circa sextam Difficultatem Vasquez 3. *p. disp.* 53. *cap.* 1. & alij apud Alvaren *disp.* 62. negant, Christum per scientiam infusam cognovisse Mysterium Trinitatis. Fundamentum est. Nam talis cognitio fuisset vel obscura, vel clara. Si prius, repugnasset talis obscuritas cum clarâ Dei visione; si posterius, tunc habita fuisset evidentia Mysterij Trinitatis. At evidentia ejusmodi haberi non potest, nisi per Visionem beatam. 12.

Econtrario Capreolus *in* 3. *dist.* 21. *q. unic.* Cajetanus *præs. a.* 1. Ysambert. *disp.* 2. *a.* 2. Alvarez *disp.* 62. *n.* 5. docent; Christum per scientiam infusam evidenter cognovisse in Deo attestante Mysterium Trinitatis. Fundamentum ab Alvare *n.* 8. deductum est. Nam alioquin Christus, quatenus erat viator, nullam habuisset hujus mysterij notitiam; siquidem scientia beata ipsi non convenerit ut Viatori, sed ut Comprehensori; nec obscura hujus mysterij cognitio per fidem convenerit animæ Christi. Hinc autem rursus fieret, quòd Christus in quantum viator non potuerit aliquid loqui, vel docere de Mysterio Trinitatis. At istud repugnare videtur illi, quod habetur *Joan.* 1. & 20. ubi Mysterium Trinitatis hisce verbis: *Ego & Pater Unum sumus*: explicans ait, *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris; ipse enarravit.* 13.

Conclusio I.

Anima Christi per scientiam infusam habet scientiam omnium objectorum naturali hominum & Angelorum intellectu noscibilium. 14.

Aa 2 Proba-

Probatur. Quia lumen tam intellectuale, quàm intelligibile deſerviens infuſæ Chriſti ſcientiæ, erat *Idealiter* derivatum ex Increato Divini intellectûs, Divinæque eſſentiæ quà ſpeciei intelligibilis lumine. At licèt iſta participatio eatenus debuerit commenſurari proportioni creati intellectûs, ut in ſuâ entitate eſſet finita; eo ipſo tamen, quòd ſecundùm quandam connaturalitatis exigentiam in Hypoſtaſi Verbi quà formalem ſubſiſtendi effectum Humanitati tribuente, omnimodæq; ſubſiſtentiæ tam humanæ, quàm Angelicæ actualitatè *supereminenter* præcontinente radicata fuerit, oportebat, lumen ſcientificum tum intellectivum, tum intelligibile ſcientiæ Chriſti infuſæ proprium, comprehendere omnimodum naturale per humanos & Angelicos intellectus noſcibile objectum. Neque tamen oportet, ſpecies huic ſcientiæ inſervientes individuorum in infinitum multiplicabilium repræſentativas eſſe infinitas, ſiquidem non oportuerit, ſingulis individuis reſpondere ſingulas ſpecies intelligibiles, ſed ſub unâ ſpecie intelligibili repræſentantur omnia ad unam eſſentialem ſpeciem pertinentia individua, uti evincitur etiam ex fundamento *n. 3.* deducto. 15.

CONCLUSIO II.

16. Scientia Chriſti infuſa penetrabat quaslibet ſecretas cordium cogitationes.

Probatur. Cur enim cogitationes hujuſmodi non ſint ab alio ſuppoſito, niſi à ſolo Deo penetrabiles, hujus ratio deſumenda eſt ex eo quòd tales cogitationes, non niſi reſpectu Dei, ac proprij ſuppoſiti habeant ſubordinationem cujuſdam effectivi in ſe derivati influxûs, vel moralis ſuper ſe Dominij. At verò ſicuti Deus Humanitati Chriſti communicavit tum Virtutem *Phyſicè* influxivam in ſecretas hominum cogitationes, tum morale Dominium & Jus earundem judicativum: ſic eidem de ſuo increato cogitationum ejuſmodi in ſuâ eſſentiâ penetrativo lumine communicavit lumen creatum, ſub quâdam participatâ per Divinam Increatam intelligibilitatem ideatâ luce repræſentativum earundem cogitationum. Et hinc licèt lumen ſecretarum Cordis alieni cogitationum penetrativum non niſi Deo poſſit *Connaturaliter* convenire, attamen ex Divinâ participatione poteſt tale lumen in intellectum etiam creatum derivari, imò de facto derivatum eſſe, conſtat ex fundamento *n. 5.* deducto. 17.

CONCLUSIO III.

18. Futura Contingentia certò erant præcognita per infuſam Chriſti Scientiam.

Probatur. Nam ſicuti futura etiam libera in Divinæ præfinitionis efficaciâ, & per hanc ſpecificato Viſionis Divinæ lumine habent præſentialitatem, non quidem formalem, ſed cauſalem & intentionalem, ſic in eâdem habent veritatem determinatam, tum *objectivè* per modum termini ſub ipſâ intelligibiliter repræſentati, tum *Cauſaliter* per modum effectûs ſub ipſius efficaciâ Phyſicâ & reali determinati. At vi hujus veritatis ac intelligibilitatis Divinæ ut ſic futurorum contingentium repræſentativæ fieri poteſt creata quædam participatio, ſub ratione luminis tam intellectivi, quàm intelligibilis: ſub cujuſmodi adeò intelligibili lumine futura contingentia eatenus poſſunt eſſe *intentionaliter* præſentia, ut conſequenter in ſeipſis tanquàm objecta materialia cognoſci poſſint ſub intelligibilitate *participativè* Divinâ, tanquàm ratione formali *ſub Quâ*.

Et hinc patet Reſponſio ad fundamentum oppoſitum, quòd, licèt futura contingentia nec in ſeipſis, nec in cauſis ſecundis habeant determinatam veritatem; hæc tamen veritas eatenus ſit *Originativè* determinata ex Divinâ Increatum Viſionis Dei lumen *formaliter* ſpecificante cauſalitate & efficaciâ, ut conſequenter ſubſiſtat etiam ſub intelligibili per Increatum Dei lumen exemplatâ, & humano Chriſti intellectui impreſſâ ſpecie. 19.

CONCLUSIO IV.

Futurorum per infuſam Chriſti ſcientiam cognitio eſt intuitiva. 20.

Probatur. Quia vi illius ex Divinâ intelligibilitate ideatæ ſpeciei fiunt futura *objectivè* in ſeipſis, *intentionaliter* autem in notitiâ per illam ſpeciem expreſſâ eatenus præſentia; ut objectum materiale ſit futurorum præſentia realis & Phyſica, ratio autem formalis *ſub Quâ* ſit intelligibilitas ex vi participationis ac Ideationis in quarto *Perſeitatis* genere *formaliter* Divinæ, *Eminenter* continens propriam ſub rei creatæ propriâ exiſtentiâ competentem intelligibilitatem.

Et hinc patet Reſponſio ad fundamentum *n. 8.* oppoſitum, quòd nimirum futura habeant intentionalem ſui in *Eſſe* intelligibili præſentiam in illâ *participativè* Divinâ intelligibilitate, ut ſic *Eminenter* continente *Eſſe* intelligibile rerum creatarum ſub ſuis exiſtentijs proprium. 21.

CONCLUSIO V.

Per infuſam Scientiam Chriſtus evidenter cognovit Myſteria etiam ſupernaturalia. 22.

Probatur. Nam lumen ex ipſâmet Dei propriâ ac ſpecificâ intelligibilitate ideatum ac participatum eſt maximè proportionatum, tum ad creata ſupernaturalia in ſe ipſis *quidditativè* ac *intuitivè* repræſentanda, tum ad Deum non tantùm quà Unum ſub ſpecifico ſui eſſendi gradu ſpectatum, ſed etiam quà in Perſonis Trinum, non quidem ſub propriâ ſui intelligibilitate *intuitivè*, ſed ſub intelligibilitate ex formis ſupernaturalibus creatis abſtractâ *abſtractivè* cognoſcendum. Ejuſmodi verò cognitio non minùs poſſet eſſe evidens, quàm in ſcientijs humanis ſit evidentia, non quidem intuitiva, ſed abſtractiva. Et hinc patet Reſponſio ad fundamenta *n. 10. & 12.* oppoſita.

COROLLARIUM.

Infertur 1. ſcientiam Chriſti infuſam fuiſſe habitualem, ex D. Thomâ *præs. a. 5.* Ratio eſt, 23.

quia

quia connaturale est homini, ut non semper sit in actu quoad omnes Veritates scientificas lumine suo naturali noscibiles, sed hoc proprium est Increati Divini luminis, ac scientiæ Beatificæ per æternitatem *formaliter* mensuratæ.

24. Infertur 2. Eandem in Christo scientiam esse etiam Discursivam. ex S. Thoma *pres. a. 3.* Ratio est. Quia scientia infusa intra lineam supernaturalitatis elevat omnimodam humani Christi intellectûs potentialitatem. Ergo & vim Discursivam; ita ut hujus scientiæ principia per intelligibiles infusas species, ceu Divinæ Increatæ Intelligibilitatis participationes specificas conferendo cum ipsomet increato per Visionem Beatificam attacto, & in se per modum purissimæ intelligibitatis expresso lumine objectivo, vel etiam cum principijs lumine naturali notis, possit exinde inferre varias conclusiones: imò ex ipsismet hujusmodi conclusionibus abstrahere novum lumen objectivum, & hinc ad alias veritates subinferendas procedere.

25. Infertur 3. Christi animam posse scientiâ suâ infusâ uti tam cum, quàm sine conversione ad phantasmata, uti ex S. Thomâ *pres. a. 2. ad 3.* tradit Alvarez *disp. 62. n. 4. & 7.* Ratio est. Nam cum lumine intelligibili ex speciebus sensibilibus abstracto potest eatenus fieri principiorum sub lumine infusæ scientiæ repræsentatorum comparatio, ut ipsius scientiæ infusæ lumen ad superiorem suæ propriæ intelligibilitatis lineam elevent intelligibilitatem ex phantasmatibus abstractam.



ARTICULUS III.

DE

Scientia Christi acquisitâ.

DUæ hic sunt discutiendæ Cōtroversiæ. Prima. *Utrùm in Christi animâ verè fuerit scientia aliqua acquisita?* Secunda. *Qualis fuerit?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm in Christi animâ fuerit verè scientia aliqua acquisita?

1 DIvus Bonaventura *in 3. dist. 14. a. 3. q. 2.* Suarez *pres. disp. 30. sect. 2.* Ysamb. *ad pres. q. 12. disp. unic. a. 1.* & alij existimant, omnes & singulas scientias naturales fuisse infusas animæ Christi Domini à primo instanti suæ creationis, & Hypostaticæ ad Verbum Divinum unionis. Fundamentum primum desumitur ex Patribus, qui videntur significare, Christi Domini sapientiam in quocunque statu fuisse æqualem. Secundum ex ratione: Quia unio Hypostatica ex suâ dignitate postulat, ut natura assumpta sit in primo instanti perfecta omni perfectione naturali, non repugnante suo statui. Atqui scientiæ naturales sunt quædam perfectiones intellectûs humani, neque repugnant statui Christi Domini etiam infantis.

Econtra cum D. Thomâ *pres. q. 12. a. 2.* Nazarius *ibi*, & Alvarez *ibidem* tenent, in Christi animâ eatenus fuisse habitum scientiæ acquisitæ, ut per abstractionem specierum verè fuerit augmentatus. Imò hanc scientiam non nisi longo tractu temporis acquisitam fuisse tradit Nazarius *citatus.* Cui conformiter Cardinalis de Lugo *disp. 21. sect. 1. n. 5. & 14.* asserit, Christum non habuisse aliquo tempore scientiam similem nostræ independenter à Phantasiâ, & per consequens non habuisse eam perfectam in infantiâ, quando organum non erat sufficienter dispositum. Fundamentum est, Quia Christus non habuit regulariter ullam operationem humanam, nisi dependenter ab organis, & dispositionibus connaturalibus, ad instar aliorum hominum: sic enim neque loquebatur ab infantiâ, neque ambulabat, donec habebat nervos benè dispositos. Pari ergo ratione nec habebat operationem humanæ phantasiæ ante organum benè dispositum. Atqui operatio intelligendi humana dependet à Phantasiâ, hujus vero operatio pendet ab organo benè disposito. Ergo ante hujus bonam dispositionem non habebat humanam intelligendi operationem. 2.

3. Lugo *cit. n. 6.* tradit, verisimile esse, quòd Christus in adultâ ætate acceperit *per accidens* infusas à Deo species rerum similes nostris. Fundamentum est. Quia omnis perfectio aliorum hominum concedenda videtur abundantius Christo. Atqui talem perfectionem habuerunt Adam & Salomon, nec non Prophetæ, quibus res futuræ & absentes monstrabantur, cum propriâ figurâ & conditionibus, sicut si essent præsentes. 4.

Idem author *n. 11.* tenet, non fuisse hujusmodi species Christo Domino simul inditas, sed successivè, sicuti etiam successivè organa phantasiæ meliùs disponebantur ad eas recipiendas. Fundamentum est. Quia organa corporea paulatim & successivè disponuntur priùs ad usum rationis circa objecta magis sensibilia, deinde circa minùs sensibilia, uti quotidiana docet experientia. Ergo credibile est, horum objectorum species non fuisse inditas Christo, nisi eo ordine, quo dispositum erat organum, ita ut in qualibet ætate haberet Christus scientiam rerum omnium, quæ in ea ætate esse poterat.

CONCLUSIO.

IN Christo erant omnes scientiæ naturales nostris similes, non *per accidens* infusæ, sed acquisitæ tractu temporis. 5.

Probatur. Nam pro modo dispositionis & Organizationis crescente ætate in Christo Domino augmentatatæ & ad majorem perfectionem reductæ, non est dubium, quin imaginativa vis in ipso tum ex sensuum exteriorum experientiâ, tùm fortè ex specierum sensibilium Divinitùs factâ impressione habuerit in se expressas quaslibet rerum forsan etiam absentium figuras. Ex his proinde intellectui agenti Christi Domini erat vis abstrahendi species intelligibiles naturali humanæ scientiæ deservientes. At verò prima lumine naturæ per se nota principia non tantum suâ luce irradiabant

Christi Domini intellectui, sed horum veritatis splendor sub quâdam scientiæ Christi infusæ ac beatæ irradiatione vel maximè juvabatur, dum Christi Domini Voluntas sub suo Dominio non minùs, quàm Angelus, habebat specierum scientiæ infusæ deservientium excitationem, nec non specierum Virtute intellectûs agentis ex phantasmatibus abstractarum ad scientiæ infusæ lumen applicationem; sub cujusmodi adeò specierum ex sensibilibus abstractarum ad infusæ, vel etiam beatæ scientiæ lumen applicatione & collatione poterat Christi Domini intellectus suâ Virtute naturali brevissimo tempore formare perfectissimum lumen objectivum, quantumlibet scientiarum naturalium proprium ac specificativum.

CONTROVERSIA II.

Qualis fuerit Christi Domini acquisita scientia?

1. HAnc scientiam neque laborâsse aliquâ obscuritate, neque admixtum habuisse aliquid probabilitatis, ex eo evincitur, quòd lux beatæ ac infusæ scientiæ jugiter irradians Christi intellectui nequicqu m de caligine vel probabilitatis, vel obscuritatis permittat commisceri objectivo scientiarum acquisitarum per intellectum Agentem abstra-

2. cto ac formato lumini. Verùm superest difficultas. 1. *An Christus in ejusmodi scientiarum acquisitarum acquisitione aliquid ex hominibus vel Angelis didicerit?* 2. *An in Christo etiam fuerit Theologia acquisita?* 3. *An scientia Christi acquisita fuerit partim naturalis, partim supernaturalis?*

3. Circa primum Theologi communiter cum S. Thomâ *præs. q. 11. artic. 3. & 4.* negant, Christum Dominum didicisse ab hominibus, vel accepisse aliquid ab Angelis. Fundamentum est. Nam in quolibet genere id, quod est primum movens, non movetur secundùm illam speciem motûs. At Christus est à Deo constitutus caput Ecclesiæ omniumque hominum & Angelorum, ad hoscè quoq; illuminandos. Ergo non erat conveniens, ut ab homine vel ab Angelo doceretur.

4. Verùm in contrarium videtur esse, quòd Angelus *Luca* 22. dicatur, Christum confortâsse. Hoc autem non videtur fieri potuisse, quin aliquam doctrinam sui confortatoriam acceperit ab Angelo. Unde & Divinus Dionysius 4. *Cælestis Hierarchia* ait: *Video, quòd & ipse Iesus supercælestium substantiarum supersubstantialis substantia ad nostram intransmutabiliter veniens, obedienter subjicitur Patris & per Angelos formationibus.*

CONCLUSIO I.

CHristus etiam ut homo nihil doctrinæ accepit ab hominibus vel Angelis.

5. Probatur. Nam inter ipsos etiam Angelos is, qui habet superius intelligibile lumen, non illustratur ab Angelo inferiore. At Christi Domini scientia infusa substantiarum, ut sunt in se ipsis, intuitivè & quidditativè comprehensiva nitebatur superiore luce intelligibili; quàm cuivis etiam supremo Seraphino conveniat.

Deinde figuræ imaginativæ, ex quibus per intellectum agentem formandæ erant intelligibiles scientijs acquisitis deservientes species, erant phantasiæ Christi vel per divinam impressionem inditæ, vel ex sensuum experientiâ transfusæ. Nihil ergo Angelus unquam accipiebat ex formationibus Angelorum. Quare ipsius in horto per Angelum confortatio non erat per instructionē, sed per laudationem & admirationem Virtutum Christi: cujusmodi equidem modus confortandi inter amicos valdè opportunus est in tristitiâ, dum hominibus ingenitum est, in hoc delectari, quòd laudentur aut in admiratione habeantur: uti advertit Divus Thomas *in 1. 2. q. 32. art. 5.*

Proinde confortatio in Christo ex eo capite habuit locum, quòd, licèt in Voluntatis potestate habuerit tristitiam, & passiones omnes vel assumere, vel abijcere; voluntariè tamen propter nostram salutem assumpserit passionem tristitiæ, omnesque ad naturæ humanæ in se veritatem ostendendam, atque ad nostram instructionem consolationis causas cohibuerit, ne prodirent in actum, nisi ad excitationem Angeli ipsum confortantis: quamvis & hanc consolationem dimiserit factus in agoniâ, ac sudorem sanguineum ex se profluere faciens. Constat igitur, Christo homini non tam potuisse proponi nova consolationis motiua, quàm ubi hæc per Angelum erant proposita, potuisse pro suæ Voluntatis erga omnes passiones Dominio, ea sibi aliàs jam nota, vel liberè acceptare, vel abjicere. Unde quando Divinus Dionysius *n. 4.* citatus asserit, quòd Christus per Angelos aliquam acceperit formationem, debet hoc intelligi, quatenus Christus non in se ipso aliquam ex Angelis accepit eruditionem, sed quatenus per Angelos fuit v. g. Josepho nunciata Divina æterni Patris dispensatio de Jesu in Ægyptum recessione, nec non ejusdem ex Ægypto in Judæam reductione, uti ex Divo Dionysio præcitato advertit sanctus Thomas *cit. art. 4. ad 2.* 6.

CONCLUSIO II.

IN Christo erat Theologia etiam acquisita.

Probatur. Nam principia Theologica in ipsâmet primâ veritate, ceu formali motivo sunt firmata. Est autem solùm accidentarium, quòd ista prima Veritas quâ Divinorum Mysteriorum ac Principiorum Theologicorum in se intelligibiliter expressiva sit applicata ad Intellectum humanum, vel mediante revelatione obscurâ, ac supernaturali Voluntatis sub credibilitatis prudentialis evidentiâ intellectum in ejusdem Divinæ obscuræ revelationis obsequium captivantis motione, vel mediante beatificæ Visionis Divinam essentiam, ut est in se, attingentis vitali ac intentionali contactu. Et 7.

hinc, quam homines Viatores in hac vitâ sibi comparârunt Theologiam, retinebunt eandem in Patriâ subalternatam visioni beatificæ, imò quali- 8.

quælibet Viatorum Theologia ex revelationibus per Christum, vel Angelos ceu Nuntios Dei factis descendens reducitur in illa ipsa quà per Primam Veritatem firmata Principia, quæ & Christo & Angelis in ipso Divinæ Essentiæ Verbo ceu primâ Veritate sunt evidentia. Pari proinde ratione Christi humanus Intellectus per naturam suam discursivus potuit ex Principijs in Verbo visis eatenus elicere conclusiones ac illationes, ut sub hiscè resultaret habitus Theologicus similium discursuum formativus.

9. Probatur illud assumptum. Nam licet Principia talium discursuum illativa per Visionẽ beatã Intellectui Christi humano semper præsto essent in Verbo, eorum tamen applicatio dupliciter fieri poterat, tum per Christi Voluntatem intellectûs sui ex visione beatificâ alioquin quoad totam activitatis suæ capacitatem coæquati, quasi dominium tenentis, tum per habitum ex frequentatis illis discursibus acquisitum & ut sic ad similes discursus inclinativum. Non est igitur, cur Habitus Theologicus ad discursus ex Principijs in Verbo visis inferendos inclinativus Christi humano intellectui denegetur.

CONCLUSIO II.

Habitus acquisiti in humano Christi intellectu erant partim naturales, partim supernaturales. 10.

Probatur. Nam diversa Veritatum tum naturalium tum supernaturalium lumina intelligibilia elucebant in humano Christi intellectu. Aliud enim intelligibile lumen erat ipsum Verbum, seu essentia Divina quà in se intelligibiliter expressa, ut sic per Visionem beatam Christi humano intellectui intentionaliter unita. Aliud dein intelligibile lumen erat lux ex Divino quasi specifico intelligibilitatis Increatæ gradu, in quarto *Perseitatis* genere specificata & ideata, ut sic scientiæ Christi per se infusæ specificativa. Aliud denique erat lumen naturale, quà sub diversis scibilitatis formalitatibus ut sic naturalium scientiarum specificativis formatum. Sub duobus adeò prioribus luminibus objectivis procedebant habitus acquisiti quoad substantiam supernaturales, sub lumine autem postremo resultabant habitus naturales.

QUÆ-



QVÆSTIO DUODECIMA.

DE

VOLUNTATE CHRISTI.



1. Cum operatio eatenus sit consequens subsistentiam, tanquam intrinsecum naturæ complementum & conditionem ad operandum ab intrinseco prærequisitam, ut tamen reduci debeat in naturam, tanquam formale radicale in quarto *Perseitatis* genere Principium: Idcirco in Christo esse duas, Divinam scilicet & humanam operationes inconfusas, est indubitatum Fidei Orthodoxæ dogma. Unde licet subsistentia Increata Verbi in Christo supplendo subsistentiam creatam humanâ, habeat quandam respectu operationis humanæ prioritatem, hæc tamen prioritas non est nisi sub ratione principij *Quod*, nec non sub ratione intrinsecæ ad *essendi* lineam ut sic spectantis conditionis, non verò sub ratione Vis etiam radicaliter operativæ, sed hæc in quarto *Perseitatis* genere *Formaliter* reduci debet in naturam, ut adeò ad naturarum in Christo dualitatem debeat consequenter assignari dualitas etiam potentiarum, Divinæ scilicet ac hu-

2. manæ. Et hinc in VI. Synodo *Act. 4. & 8.* taliter definitum est. *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur, Divinam omnia, quæ Divina; humanam omnia, quæ humana sunt absque ullo peccato.* In quē proinde sensum Leo Papa in VI. Synodo *Act. 7.* relatus & approbatus scripsit; *agit utraque forma cum alterius communicatione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est, neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & Creaturæ, ut neque quod creatum est, in Divinam educamus essentiam; neque quod eximium est Divinæ naturæ, ad competentem naturæ lo-*

3. *cum dejiciamus.* Ex quibus adeò indubitanter concluditur, præter Divinam Voluntatem in Christo existere Voluntatem quoquē humanam, Agathone Papâ *in præællg.* VI. Synodo *Act. 4. relato* sic scribente. *Cùm hæc ita Veritas habeat, certissimè claret, quòd in Domino nostro Jesu Christo duas, id est, Dei & hominis naturas sive substantias confitentes in Unam convenisse subsistentiam sive Personam, necesse est, & duas nos naturales in eo fateri Voluntates Divinam scilicet, & humanā, quia neque Divinā ejus, quantum ad naturæ rationē pertinet, humanam habuisse Voluntatem dicimus, neque rursus aliquā ex eisdem duabus Christi substantiis absque naturali extitisse Voluntate fatendum.*

De Humanâ proinde Christi Voluntate in præsenti quæstione acturi duos instituemus articulos. Primus erit *de proprietatibus Humanæ in Christo Voluntatis, præsertim de impeccabilitate, & libertate.* Secundus *de merito tanquam actu Voluntatis humanæ Christi.* 4.



ARTICULUS I.

DE

Humanæ Christi Voluntatis proprietatibus, præcipuè de impeccabilitate ac libertate.

Quatuor hîc veniunt resolvendæ controversiæ. Prima. *An Voluntas humana Christi in tantum fuerit conformis Divinæ Voluntati, ut nulla in Christo esset Voluntatum contrarietas?* Secunda. *Qualiter subsistat, & quo Fundamento efficaciter probetur impeccabilitas Humanitatis Christi?* Tertia. *Qualiter cum istâ impeccabilitate componi possit humanæ Christi Voluntatis libertas, quoad actus jure etiam naturali præceptos, vel prohibitos?* Quarta. *Utrùm omnimoda moralis imperfectio in tantum repugnet Humanitati Christi, ut non potuerit elicere actum in genere moris minùs perfectum relicto perfectiori?* 5.

CONTROVERSIA I.

An Voluntas humana Christi in tantum fuerit conformis Divinæ Voluntati, ut nulla in Christo esset Voluntatum Contrarietas?

Voluntatis humanæ Christi cum Divinâ omnimoda cōsonantia probatur ex *Epist.* Agathonis Papæ in VI. Synodo generali. *Act. 4. & 8.* relatâ & approbatâ. Ubi sic habetur: *Prædicamus* (nimirū in Christo.) *duas naturales Volunta-* 1.

Voluntates non contrarias (juxta quod impij asserunt hæretici) sed sequentem ejus humanam Voluntatem & non resistentem vel reluctantem, sed potiùs subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti Voluntati. Verùm econtrario difficultas movetur ex SS. litteris: nam licèt æternus Pater vellet, ut Christus moreretur, mortis tamen fugam à Christi humanâ Voluntate volitam fuisse, evincitur ex illo *Matth. 26. Transeat à me Calix iste.* Cujusmodi equidem humanæ Christi Voluntatis à Divinâ dissonantiam indicant verba sequentia: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Lucæ 22. *Verumtamen non mea, sed tua Voluntas fiat.* Ex quibus proinde difficultas oritur. *Ex quo fundamento solidè concludatur, quòd Voluntas humana Christi fugiendo mortem ac similia objecta, non fuerit contraria Divinæ Voluntati?*

2.

Referuntur Sententiæ.

3. NOnnulli à Vasque *praes. disp. 73. n. 13.* relati asserunt, Voluntatem humanam Christi non fuisse Divinæ Voluntati contrariam, eò quòd ipse Deus voluerit, ut Voluntas humana Christi refugeret ac timeret mortem, unde in illâ ipsâ fugâ mortis Voluntatem humanam obedijsse & conformatam fuisse Voluntati Divinæ.

4. Alij à Card. de Lugo *praes. disp. 25. n. 13.* allegati tradunt, humanâ Christi Voluntatem quà mortis aversativam non fuisse contrariam Divinæ Voluntati illam præcipienti, quòd non sub eâdem ratione formali, sed sub Diversis se haberent, tanquam volitio & nolitio mortis; siquidem una Voluntas voluerit mortem, quatenus erat necessaria ad salutem hominum, altera verò noluerit eandem mortem, quatenus erat disconveniens naturæ humanæ. Cùm igitur ad contrarietatem Voluntatum necessarium sit, utramque circa idem objectum formale & materiale versari, consequens est, nullam in prææallegato casu extitisse contrarietatem Voluntatum.

5. Mastrius *in 3. disp. 5. q. 5. n. 115.* cum suo subtili Doctore & alijs arbitratur, Voluntatem efficacem Christi semper fuisse Divinæ conformem, inefficacem verò aliquando difformem, atque ita Voluntatem Christi voluisse passionem actu efficaci, noluisse autem actu inefficaci, cùm actus conditionatus non sit efficax, sed inefficax.

6. Cardinalis de Lugo *cit. disp. 25. nu. 14. & 21.* tenet: Voluntatem humanam Christi fuisse semper conformem Divinæ, quòd, licèt habuerit affectus inefficaces circa objecta, quæ Deus absolutè nolebat, ejusmodi tamen affectus neque auferant conformitatem absolutam, neque afferant contrarietatem propriam, siquidem, Voluntas absoluta unius objecti, & Voluntas inefficax oppositi non contrarientur simpliciter.

7. Suarez *praes. disp. 38. sect. 4. §. Quæres.* putat, conformitatem humanæ cum Divinâ Voluntate potuisse per absolutam Dei potentiam Christo deesse, si anima Christi non haberet scientiam Voluntatis Divinæ circa illa objecta, quâ scientiâ Divinitùs carere potuisset, de facto tamen id non potuisse contingere propter scientiam, quam habebat, utpote cum quâ non potuerit ullo modo velle oppositum illius, quod Deus volebat.

Verùm Lugo *citatus n. 23.* tradit, omnimodè dedecuisse Christum, ut aliquod objectum absolutè vellet, antequàm constaret de Divinâ Voluntate, sed sub debitâ modestiâ & piâ restrictione ac limitatione, quàm docuit Jacobus Apostolus *Epist. suæ canonic. 4. cap.* his Verbis. *Ecce nunc, qui dicitis: hodiè aut crastinò ibimus in illam Civitatem & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit crastinò, pro eo, ut dicatis; si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* 8.

Conclusio I.

SImpliciter repugnat Christo, quòd Voluntatis suæ humanæ haberet aliquam cum Divinâ Voluntate contrarietatem ac dissonantiam. 9.

Probatur. Nam omnis defectus moralis pugnat cum infinitâ Humanitatis Christi sanctitate Personali; veluti *seq. controv.* probabitur. At eo ipso, quòd Voluntas Divina sit prima Voluntatis creatæ in moralibus regula ac mensura, foret quædam moralis defectibilitas, si humana Christi Voluntas contrariaretur cum Divinâ Voluntate.

Conclusio II.

EX eo, quòd Christi humana Voluntas conditionatè ac inefficaciter fugeret mortem à Deo absolutè volitam, nulla arguitur Voluntatum contrarietas. 10.

Probatur. Nam in objectis naturæ humanæ disconvenientibus duo status considerari debent, unus est quidditatis, & abstractionis à Concretione existentiæ, alter verò est status existentiæ. Hic verò eatenus subjicitur Divinæ Voluntati, quatenus omnimoda positiva formalitas sub ratione existentiæ est objectum Divinæ Volitionis infinitâ suâ effectivâ vi eandem causantis, omnimodaque negatio seu formalitatis ac perfectionis cujuspiam carentia est objectum Divinæ nolitionis infinitâ suâ execrativâ efficaciâ eandem subinferentis. Econtra quidditatis ab existentiâ abstractæ status eatenus subest Divinæ simplicis Intelligentiæ scientiæ, ut omnimoda positiva formalitas per hujus judicium affirmativum, omnimodaque negatio per ejusdem negativum judicium sit in *esse* objectivo formata. Quare cùm affectus inefficaces & conditionati respiciant objectum, prout abstrahit ab exercito Existentiæ statu, consequens fit, tales affectus respicere sua objecta, quatenus spectant ad lineam simplicis Divinæ intelligentiæ; cum econtra affectus efficaces exercitû existentiæ statum in suis objectis respiciendò, tendant in ista, prout pertinent ad lineam Divinæ præfinitivæ, ac effectivæ, seu execrativæ Voluntatis. At ex hoc ipso affectuum efficacium seu conditionatorum discrimine fit, quòd inter Voluntatem Divinam & Humanam Christi nulla potuerit esse contrarietas. 11.

Probatur istud subsumptum: Nam eo ipso, quod exercitus existentiæ status non stet nisi per Divinæ Voluntatis efficaciam, nequit ille prudenter intendi nisi cum subordinatione ad 12.

Divinam Voluntatem. At eo ipso quòd Christo repugnet omnimoda formalis defectibilitas, non poterat Christi humana Voluntas quidquam velle, nisi secundùm conformitatem omnimodam ad regulas prudentiæ. Ergo Christi humana Voluntas (ne in illâ quidem fortè possibili, non tamen de facto existente hypothesi, sub quâ circa aliquod objectum pro aliquo instanti non scivisset Divinam Voluntatem) non potuisset exercitum existentiæ statum in aliquo objecto velle absolutè, sed cum subordinatione duntaxat ad Divinam Voluntatem, vel sub quâdam ab exercito objecti existentiæ statu abstractione, inefficacibus & conditionatis affectibus propriâ. At hic ipse inefficax & conditionatus volendi modus in humanâ Christi Voluntate erat immunis ab omnimodâ ad Divinam Voluntatem contrarietate & dissonantiâ.

13. Probatur istud subsumptum. Nam eo ipso, quòd Christus affectu tantùm inefficaci & conditionali fugeret mortem, noluit istam sub Exerciti existentiæ status abstractione spectante ad Divinam simplicem intelligentiam. At per hanc ipsam est expressa illa ipsa mortis ad naturam humanam disconvenientia, quam ut sic humana Christi Voluntas fugiebat. Ergo ut sic humana Christi Voluntas erat conformis Divinæ simplicis intelligentiæ scientiæ. At Dei Voluntas radicaliter eatenus est conformis suæ Divinæ simplicis intelligentiæ scientiæ, ut non possit suo Decreto tam approbativo, quàm reprobativo quidquam aliter velle, nisi secundùm conformitatem cum Divinâ simplici Intelligentiâ. Ergò quia illi Voluntatis humanæ Christi affectus inefficaces & conditionati erant conformes Divinæ simplicis Intelligentiæ expressioni, ut sic Voluntatem Divinam regulanti, consequens est, Voluntatem humanam Christi in illis etiam affectibus fuisse conformem Divinæ Voluntati quasi radicaliter spectatæ. At cum istâ formaliter consideratâ non poterant illi affectus discordare, eo ipso, quòd, abstraherent ab Exercito existentiæ statu, ut sic spectante ad Divinæ Voluntatis determinationem. Patet igitur, nullatenùs in humanâ Christi Voluntate subsistere potuisse aliquam à Divinâ Voluntate dis-

14. cordiam. Et hinc etiam patet, quid de hoc: *An Christi humana Voluntas semper impleta fuerit?* sentiendum sit? Etenim asseri debet, omnem Christi hominis efficacem Voluntatem, utpote Divinæ absolutæ & efficaci Voluntati conformem fuisse impletam, licèt ejus affectus inefficaces & conditionati non fuerint adimpleti, utpote versantes circa objecta sub formalitatibus ab exercito existentiæ statu abstrahentibus, & Divinæ simplici duntaxat Intelligentiæ conformibus. Unde sicut ista Divina Intelligentia non habet efficaciam in actu secundo, sed ejus objecta per Divinæ Voluntatis definitionem sunt determinanda, sic consequenter non erat necessum, ut objecta per inefficaces & conditionatos humanæ Christi Voluntatis affectus volita essent adimplenda.



CONTROVERSIA II.

Qualiter subsistat, & ex quo fundamento efficaciter probetur impeccabilitas Humanitatis Christi?

IMpia Vox Calvini *in suis Comment. in 12. cap. Joan.* asserentis: *Christum refugiendo mortem, fateri suam mollitiem.* Item, *Votum eidem inconsideratè effluxisse, cui statim renunciandum fuerit.* Hæc 1. inquam, Vox impia redarguitur ex illo *1. Petri 2. Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Nec non *ex Heb. 4. cap.* ubi dicitur: *Christus tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.* Insuper *Heb. 7. cap.* Ubi sic habetur: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Et tandem ex ipsomet Christi Domini ore *Joan. 8. cap.* dicentis. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Quinimò neque potentiam peccandi in Christi humanitate ratione Hypostaticæ cum Verbo Unionis locum habuisse, Doctorum recepta sententia est, evinciturque claris Sanctorum Patrum testimonijs. Sic enim Divus Augustinus *tom. 4. lib. 2. de Incarn. Verbi, paulò ante finem* habet. Sicut vas ipsum, quod substantiam continet unguenti, nullum genus aliud potest recipere liquoris; ita anima Christi velut vas, in quo inerat substantia unguenti, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem. Cui consonat Cyrillus Alexandrinus *lib. adversùs Anthropomorphitas cap. 23.* ita scribens: *stolidi verò & dementes prorsùs, qui ipsum etiam Christum, nescio, quo pacto, peccare posse, affirmant.* Cujus equidem impeccabilitatis in Christo radicem S. Hilarius *lib. 10. de Trinit. circa medium* adstruit ex ipsâ Unione Hypostaticâ, *Homo,* inquiens, *Christus est, & in Veritate Nativitatis est, dum homo est; & non est in proprietate peccati, dum Christus est; quia & qui homo est, non potuit non esse, quod natum est; & qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus erat.* 2.

Unde Divus quoque Augustinus *de Corrept. & grat. cap. 11.* taliter differit: *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in Unitate Personæ à Verbo Deo natura humana suscepta per liberum Voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura humana à Deo ita suscepta nullum in se motum Voluntatis admitteret.* 3.

Cui concordat sanctus Fulgentius *lib. 3. ad Thrasimundum circa medium. Propterea,* inquiens, *Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in Unitate Personæ Divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potest.*

Quibus adeo positis, duæ circa impeccabilitatem Christi supersunt difficultates. Prima. *Utrùm Hypostatica Verbi Unio sit ratio duntaxat remota, vel proxima Impeccabilitatis Christi?* Secunda. *Utrùm in sensu duntaxat composito, vel etiam diviso cum Hypostatica Verbi Unione repugnet peccatum, ita ut ista Unio dissolvi non posset propter peccatum?* 4.

Referuntur Sententiæ circa primam difficultatem.

MAstrius *in 3. disp. 2. q. 2. n. 34.* cum suo subtili Doctore & alijs docet, impeccabilitatem Chri- 5.

tem Christi proximè & formaliter oriri ex Visione Beatâ, radicaliter verò & remotè ex Unione Hypostaticâ. Fundamentum est. Cùm enim impeccabilitas neget potentiam ad peccandum, aliter de Deo enuntiari debet, & aliter de creaturâ. Hæc autem diversitas in eo se tenet, quòd, cùm Deus sit naturaliter ac essentialiter ipsa sanctitas, simpliciter impossibile sit, ut in eo peccatum reperiatur, debeatque adeò absolutè impeccabilis dici. At verò intellectualis creatura, saltem quæ de facto creata est, cùm sit ad bonum & malum Vertibilis, simpliciter & absolutè peccabilis dici debet. Quare si peccandi potestas in creaturâ auferatur, vel impediatur, id fieri debebit per aliquid extrinsecum, nempe per gratiam Divinam, ita ut hâc remotâ peccare possit, nec adeo potentia peccandi sit absoluta & simpliciter, sed tantùm secundùm quid, & in sensu composito. Consequens proinde est, quòd constante etiam Unione cum Verbo, humanitas Christi non debeat dici simpliciter & absolutè impeccabilis, sed tantùm secundùm quid & in sensu composito. At hæc ipsa ratio, vi cujus in sensu composito Christi humanitas dicitur impeccabilis, formaliter & proximè eatenus est fruitio Beatifica, ut tamen non ex hujus intrinsecâ ratione, sed ab extrinseco, scilicet à Divinâ Voluntate concursum ad actus peccaminosos denegante oriatur illa impeccabilitas.

6. Ysambertus Sorbonicus *ad pręf. q. 15. disp. 1. a. 3. 5. 6. & 7.* existimat 1. Christum Dominum vi Unionis Hypostaticæ adeo esse impeccabilem, ut, si ejus humanitas fuisset assumpta à Verbo cum solis suis perfectionibus naturalibus, adhuc fuisset vi Unionis Hypostaticæ impeccabilis. 2. Hanc impeccabilitatem fundari in morali Unionis Hypostaticæ repugnantiâ tam cum peccato quolibet, quàm cum proclivitate humanitatis sic assumptæ ad peccandum.

Nihilominùs 3. Unionem Hypostaticam Verbi Divini cum humanitate & peccatum non habere physicam repugnantiam, ita ut humanitas per hanc solam Unionem Hypostaticam impediatur formaliter & efficienter habere aliquod peccatum.

Hinc 4. Ut humanitas Hypostaticè unita Verbo Divino non possit peccare, & ejus impeccabilitas fundata in hac Unione demandetur executioni, aliquid aliud requiri, quo mediante talis humanitas præservetur à peccato committendo. Illud autem in casu præsentis difficultatis esse singularem quandam protectionem & directionem, quâ Deus ita gubernaret in puris naturalibus Humanitatem assumptam, ut non posset labi in peccatum.

7. Fundamentum primi ac secundi est. Quidquid enim dicit indecentiam & deordinationem à regulâ rectæ rationis, illud dicit moralem repugnantiam ad sapientiam & bonitatem Dei. At Deum unire Hypostaticè Verbo Divino humanitatem ut proclivem ad peccatum, vel peccato infectam, esset indecentia & deordinatio à supremâ regulâ rationis, partim quòd talis turpitudo redundaret in ipsum Deum, utpote Hypostaticè unitum peccatrici humanitati, partim quòd Deus ascisceret sibi in filium naturalem, qui esset peccator vel peccabilis; partim quòd humanitas Hypostaticè Verbo Unita, ob talem Unionem foret diligibilis, & tamen ratione peccati seu potentiæ ad peccandum indigna foret humano amore.

8. Fundamentum tertij est, quia illa tantùm propriè habent physicam & realem repugnantiam, quæ sunt formæ, vel quasi formæ sibi invicem *formaliter* oppositæ. Hoc autem fit, quatenus una earum in suo præciso & formali conceptu negat aliam, vel quatenus una expellit aliam è subjecto. Atqui Unio Hypostatica Verbi Divini cum humanitate, & peccatum comparata ad se invicem, neutro modo se habent. Minor ista probatur. Quia Unio Hypostatica præcisè dicit solummodò nudam terminationem humanitatis in ratione subsistendi. At hoc sumptum *formaliter* non importat negationem vel carentiam peccati actu vel potestate existentis in humanitate sic terminatâ. Ergo Unio Hypostatica & peccatum non habent inter se Physicam repugnantiam.

9. Fundamentum quarti est. Cùm enim Unio Hypostatica per se & vi suâ non instruat humanitatem de omnibus agendis ac fugiendis, nec illam confortet ad faciendum bonum & fugiendum malum, sed talem relinquat, qualis est ex se, talisque Unio sit tantum aliqua ratio movens Deum, ut non patiatur peccatum aliquod in tali naturâ: sequitur manifestè, ad hoc, ut natura ejusmodi reddatur impeccabilis, requiri aliquid aliud, cujus beneficio semper evitet peccatum, semperque benè operetur. At istud respectu naturæ humanæ in puris naturalibus ad Verbum Hypostaticè Unitæ foret singularis protectio Divina. Probatur istud subsumptum; in tantum enim homo in actu exercito est impeccabilis, in quantum habet auxilia specialia prævenientia & adjuvantia, quibus infallibiliter semper refugiat malum, & sectetur bonum. Hoc autem totum importatur nomine singularis Directionis seu Protectionis Divinæ.

10. Suarez *disp. 34. sect. 2.* cum Paludano, Capreolo, & alijs rationem impeccabilitatis in Christo reducit in hoc, quòd, si Christus peccaret, Deus ipse diceretur peccare, non solùm secundum communicationem idiomatum, sed immediatè secundùm naturam Divinam. Fundamentum est. Quia Unio Hypostatica obligat Verbum ad rectam gubernationem naturæ assumptæ: Sicut etiam voluntas humana tenetur cohibere motus inordinatos appetitûs sensitivi residentis in eodem homine. Consequens proinde foret, peccatum humanitatis Verbo unitæ non minùs redundare in ipsum Verbùm Divinum, quàm appetitûs sensitivi motus redundet in Voluntatem.

11. Card. de Lugo *præs disp. 26. sect. 1. n. 19.* Rationem impeccabilitatis in Christo arbitratur desumendam esse ex humanitatis Christi substantiali per Verbum sanctificatione. Fundamentum est. Eo ipso enim, quòd humanitas Christi sanctificetur *formaliter* per Deitatem & Personalitatem Verbi, sequitur, ipsam sanctificari per sanctitatem infinitam. Hinc autem fit, quòd humana Christi natura non quidem infinitè simpliciter, id est essentialiter, attamen in genere sanctitatis participatæ sit infinitè sanctificata. At eo ipso, quòd non repugnet ex conceptu suo in ordine creato esse aliquam crea-

turam ita sanctam, ut in sensu composito formæ sanctificantis repugnet illi peccatum grave vel leve, etiam in ordine ad potentiam absolutam, necesse est, hunc effectum formalem tribui humanitati ab infinitâ sanctitate, quâ sanctificatur.

Referuntur Sententiæ circa secundam Difficultatem.

12. NOnnulli Recentiores apud Cardinalem de Lugo *cit. disp. 26. sect. 5. n. 51.* existimant, de potentiâ Dei absolutâ eatenus potuisse conservationem Unionis Hypostaticæ subdi operibus humanitatis, ut consequenter humanitas peccando, potuisset mereri dissolutionem Unionis Hypostaticæ. Fundamentum est. Quia in primo instanti potuit de absolutâ Dei potentiâ humanitas Christi mereri de congruo Unionem Hypostaticam aliquo merito secundùm naturæ prioritatem præcedente. At non est major repugnantia in alijs instantibus, quàm in primo. Ergo potuit etiam conservatio Unionis Hypostaticæ dependere à meritis vel demeritis temporis subsequentis.

13. Card. de Lugo *cit. sect. 5. n. 59.* ex communi sententiâ negat possibile, quòd humanitas Verbo unita in sensu etiam diviso peccabilis esset, ita ut dissolveretur unio propter peccatum. Fundamentum ab isto authore *n. 65.* deductum est. Nam ad Sanctificationis perfectissimum, quo humanitas Christi sanctificatur, modum pertinet, quòd non solùm impediatur omne peccatum, sed etiam potentia peccandi, quantum fieri possit. At si humanitas suo peccato expellere posset Unionem Hypostaticam, jam cum ipsâ unione maneret potentia ad peccandum, non quidem in sensu composito unionis, sed Diviso.

Conclusio I.

14. RAtio impeccabilitatis in Christo reducenda est in Physicam Unionis Hypostaticæ cum peccato, imò etiam cum peccandi potentiâ repugnantiam, non quidem formalem immediatam, sed mediatam objectivam.

Probatur. Nam quia peccatum mortale continet infinitam malitiam Divinæ Majestatis moraliter affectivè destructivam; Idcirco est terminativum Divini odij in genere supernaturalis & quasi specificè Divinæ participationis peccatorem simpliciter execrantis. Hujus verò Divinæ execrationis vis importat efficaciam omnimodæ, quam suo quasi sinu complectitur, Divinæ participationis destructivam. Ex quâ proinde efficaciâ infallibiliter sequitur negatio talis Divinæ participationis. At eo ipso, quòd Unio Hypostatica sit Divini subsistentis *Esse* communicatio substantialis, sitque adeò *radicaliter* omnimoda participatio Divina, evidenter patet, Unionem Hypostaticam habere Divinitùs insuperabilem repugnantiam cum illâ negatione procedente ex Divini peccatorem execrantis odij efficaciâ. Constat igitur, impeccabilitatem Christi fundari in Physicâ Unionis Hypostaticæ ac peccati non quidem formali, ac immediatâ, sed mediatâ quasi objectivâ repugnantiâ.

Conclusio II.

EX vi hujus repugnantiæ fit, quòd humanitas Verbo unita ne quidem in sensu Diviso peccare possit, ita ut per peccatum fieret unionis Hypostaticæ dissolutio. 15.

Probatur. Nam quodlibet exercitium liberum atque adeò peccatum essentialiter supponit in suo principio exercitium existentiæ statum. Unde pro illo reali instanti, pro quo humanitas Christi peccare posset, oporteret secundùm naturæ prioritatem, humanam Christi naturam esse existentem. At humanitati Christi pro reali alicujus liberi exercitij instanti non potest alia esse existentia, quàm Increata Verbi propria, Humanitati Hypostaticè unita. Unde pro talis liberi exercitij instanti oportet ex Divinæ Hypostaticam Verbi Unionem Humanitati volentis dilectionis efficaciâ, Humanæ Christi naturæ manere unitam Divinam Verbi Hypostasin. At eo ipso, quòd peccati malitia infinita, mediante Divinæ per peccatum concitatæ execrationis efficaciâ inducat negationem Divinæ quasi specificæ *radicaliter* seu *eminenter* omnimodæ participationis destructivam, impossibile est, stare Unionem Hypostaticam cum peccato. Eo ipso autem, quòd nulla actio possit esse procedens ab humanitate Christi nisi sub exercito existentiæ per Verbum sibi *formaliter* communicatæ statu consideratâ; impossibile foret, humanitatem Christi eatenus peccare, ut pro peccaminosæ ab ipsâ procedentis actionis instanti fieret dissolutio Unionis Hypostaticæ. Consequens proinde est, quòd simpliciter implicet, Humanitatem Verbo unitam habere in sensu etiam diviso peccandi potentiam. 16.

Responsio ad argumenta ex parte primæ Difficultatis opposita.

AD Mastrij *n. 5.* oppositum fundamentum Respondetur. Aliam peccandi impotentiam convenire essentialiter, aliam verò participativè duntaxat. At illam eatenus esse Dei propriam, ut impeccabilitas non, nisi participativè convenire possit Humanæ Christi Naturæ, Quam equidem participationem in eo se tenere, quòd ex vi Divinæ causalitatis in Humanitate consistat unio Hypostatica, habens formalem contradictionis repugnantiam cum negatione inevitabiliter procedente ex peccati malitiâ uti *superius* ostensum est. 17.

18. Ad primum & secundum Ysambetti *n. 7.* propositum fundamentum Respondetur. Rationes ibi deductas, quatenus moralem duntaxat Unionis Hypostaticæ cum peccato repugnantiam probant, non esse demonstrativas; quatenus tamen infinita humanitatis Verbo unitæ appretiabilitas per Deum summè amata infert formam, cum negatione per Divinæ peccatorem odio habentis execrationis efficaciam inevitabiliter quasi causandâ contradictoriè repugnantem; exinde efficaciter demonstrari omnimodam Christi Humanitatis impeccabilitatem.

Ad

19. Ad tertium Ysamberti *n. 8.* propositum fundamentum Respondetur. Ex eo duntaxat probari, quòd inter peccatum & Unionem Hypostaticam non sit immediata Physica oppositio. Hinc tamen non evinci, quòd ratione effectûs per Divinæ ex peccato excitatæ execrationis efficaciam quasi causati, negationis scilicet participationem specificè Divinam *radicaliter* vel *eminenter* omnimodè perfectam *formaliter* tollentis, non sit mediatâ Divinitùs insuperabilis oppositio peccati cum Unione Hypostaticâ.

20. Ad quartum Ysamberti *n. 9.* propositum fundamentum Respondetur. Aliam impeccabilitatem esse quasi substantialem, in essendo quidem formalem, in operando tamen radicalem: aliam verò impeccabilitatem esse in lineâ operativâ proximam & formalem, ac in essendo accidentariam. Quare substantialem in essendo formalem, sed in operando radicalem impeccabilitatem in Christo eatenus sitam esse in Unione Hypostaticâ, quatenus hæc per modum substantialis Divinæ Communicationis omnimodam specificè Divinam participationem accidentariam radicaliter in se continentis, sit repugnans cum talis participationis negatione ex Divino per peccatum concitato odio inevitabiliter causandâ. Verùm proximam in lineâ operativâ impeccabilitatem importare tum Divinæ à peccato præservantis causalitatis efficaciam, tum actualia à peccatis efficaciter præservativa Dei auxilia, Humanitati Christi ex respectu ad Unionem Hypostaticam Divinitùs immissa.

21. Ad fundamentum ex parte Suarezij *n. 10.* propositum Respondetur. Nullam nisi connaturalitatis per Divinam potentiam superabilis obligationem ex Unione Hypostaticâ oriri posse ad Divina efficacia peccati in Christo impeditiva auxilia. Nisi ergo ex ipsâmet Divinæ simplicis intelligentiæ formatâ ideatione ex vi suæ exemplabilitatis eminentialis sit obligatus ad omnimodum in humanitate Verbo unitâ peccatum impediendum, nequit intelligi Deus simpliciter ac insuperabiliter, secundùm absolutam etiam potentiam obligari ad peccati ejusmodi evitationem. At verò illa ex ideali Divinæ eminentialis exemplabilitatis formatione descendens inter peccatum & Unionem Hypostaticam repugnantia in eo se tenet, quòd negatio per Divini ex peccato concitati odij efficaciam execrativam quasi causata, ex vi ipsius Divinæ in æternitate subsistentis Ideationis habeat formalem physicam contradictionis repugnantiam cum Unione Hypostatica. In hâc igitur repugnantiâ fundari debet omnimoda Christi Humanitatis impeccabilitas.

22. Ad Cardinalis de Lugo *n. 11.* propositum fundamentum Respondetur. Id nobis omninò probari, nisi quòd videatur in ipso adhuc desiderari ratio, cur infinita Christi humanitatis sanctificatio habeat cum peccabilitate repugnantiam, Divinâ etiam absolutâ potentiâ insuperabilem? Quod equidem an evincatur ratione per nos deductâ, lectoris judicio relinquimus.

Responsio ad fundamenta ex parte secundæ difficultatis opposita.

23. AD *n. 12.* propositum fundamentum Respondetur. Eo ipso, quòd implicet, dari exercitium liberum alicujus principij nisi prò hujus statu exercitæ existentiæ, implicare Humanitatem Christi, non nisi ex subsistentiâ Verbi existentem, habere meritum vel demeritum, ex quo pendere posset vel conservatio, vel dissolutio Hypostaticæ Unionis.

Ad Cardinalis de Lugo *n. 13.* propositum fundamentum Respondetur. Verum esse, quòd Christi Humanitatis per Verbum sanctificatio infinita excludat etiam potentiam ad peccandum. Hujus verò fundamentalem rationem in eo se tenere, quòd cùm participationis specificè Divinæ negatio per Divini ex peccato concitati odij efficaciam quasi causata habeat Physicam Divinitùs insuperabilem cum Unione Hypostaticâ repugnantiam; consequenter in humanâ Christi naturâ implicet peccandi potentia, utpote quæ subsistere non possit in supposito, cujus Hypostasis habet essentialem Divinitùs insuperabilem repugnantiam cum actu per talem potentiam efficiendo. 24.

CONTROVERSIA III.

Qualiter cum Impeccabilitate Christi componi possit humana ipsius voluntatis libertas quoad actus jure naturali præceptos vel prohibitos?

CHristi Domini humanam Voluntatem fuisse liberam, evincitur ex illo *Isaiæ 7. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quam equidem libertatem subsistitisse etiam circa mortem præcepto licèt suppositam, probatur ex illo *Isaiæ 53. Oblatus est, quia ipse voluit.* Et *Joan. 10. Ego pono animam meam, & nemo tollet eam à me, sed eam pono à me ipso.* 1.

Ex his namque sacris Verbis elucet in Christi humanitate fuisse vim Electivam mortis præceptæ, aliorumque moralium actuum & objectorum. At ejusmodi vis *electiva* est *formaliter* liberum arbitrium. Datur igitur in homine Christo liberum arbitrium respectu actuum & objectorum præcepto etiam suppositorum. De quâ proinde Christi libertate difficultas hîc oritur: *Qualiter componibilis sit cum ejus impeccabilitate?*

Referuntur Sententiæ.

LOrca *in præs. q. 19. disp. 63.* & alij nonnulli existimant, Christum non habuisse præceptum mortis obligans sub peccato, sed solùm mandatum Dei, prout importat ordinationem ac directionem, seu regulam superioris potentis obligare sub peccato, non tamé obligantis de facto. Cui adeò mandato Christum hominem se conformando, præstitisse Deo Patri veram obedientiam, fuisseque salvatam hâc ratione Christi libertatem simul ac impeccabilitatem. Fundamentum est. Quia sola difficultas in componendâ Christi libertate ac impeccabilitate se tenet in eo, quòd supposito præcepto moriendi, Christi humana voluntas ratione suæ impeccabilitatis non posset non acceptare mortem abs- 2.

 que pe-

que peccato. At libertas importat vim taliter electivam, ut possit non acceptare mortem. Hoc autem cum impeccabilitate optimè cohæret, si dicatur mandatum moriendi non obligâsse sub peccato.

3. Verùm adversùs istam sententiam, quam Cardinalis de Lugo *præs. disp. 26. n. 101.* singularem dicit, pugnant loca Sacræ Scripturæ, quibus simpliciter asseritur mors Christi fuisse sub præcepto. Etenim *Joan. 10.* ait Christus *Hoc mandatum dedit mihi Pater. Joan. 14. Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Unde *ad Philippens. 2.* dicitur: *Factus obediens usque ad mortem.* Et *ad Rom. 5. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Ex quibus proindesatis evincitur, Christo fuisse strictum moriendi præceptum.

4. Communior apud Cardinalem de Lugo *cit. disp. 26. sect. 7. n. 82.* sententia Theologorum tenet, Christum in operibus præceptis ex eo capite fuisse liberum, quòd, licèt supposito præcepto moriendi, non posset non acceptare mortem, fuerit tamen indifferens ad hanc acceptandam ex hoc vel illo motivo, hoc vel illo tempore, actu vel intenso vel remisso. Unde quando actu intenso, ex tali motivo ac isto instanti subijt mortem, liberè acceptâsse.

5. Verùm isti sententiæ opponi debet, quòd si in Christo ponatur omnimoda quoad substantiam præcepti necessitas, nec nisi quoad circumstantias statuatur indifferentia ad libertatem requisita, sit consequens, non esse Christo tribuendum laudi, quòd simpliciter mortuus sit; nec adeò meruerit redemptionem humani generis ex præcisâ mortis substantiâ, & consequenter debeatur ipsi gratiarum actio non tam ex morte, quàm hujus circumstantijs. At istæ sequelæ videntur pugnare cum sacris litteris, tum quòd *ad Heb. 2.* dicatur, *oblato sibi gaudio, sustinuisse Crucem confusione contemptâ*; tum quòd *ad Philippens. 2.* dicatur Christus *exaltatus super omne nomen*, non quia libentiùs, vel ex tali motivo, sed quia simpliciter *obedierit*; uti pluribus deducit Lugo citatus *n. 83.*

6. Opinio Ysamberti Sorbonici *ad præs. q. 18. disp. 3. a. 6.* asserentis, Christum Dominum ideò liberè exe cutisse opera sibi à Deo Patre præcepta, quòd res istis præceptis contentæ fuerint illi solummodò præceptæ indeterminatè, secundùm gradum aliquem genericum, non autem secundùm omnem suum gradum specificum & individuum. Unde cùm gradus specificus & individuus in genere moris sit de substantiâ actûs, quo præceptum observatur, Christum Dominum præcepta sibi à Deo Patre imposita liberè observâsse, non tantùm quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam. Sic enim ubi Christo Domino fuerat imperata mors pro redimendo humano genere, fuisse quidem mortem simpliciter præceptam; non tamen actum interiorem actûs exterioris informativum, uti nec alias motivi præsertim circumstantias ad ipsam actûs substantiam spectantes, subjectas fuisse præcepto. Et hinc Christum liberè fuisse executum mortis præceptum etiam quoad substantiam.

7. Quocircà Card. de Lugo *præs. sect. 8. n. 102.* rem istam expedit asserendo, Christum Dominum posito jam præcepto moriendi, atque adeò in composito hujus præcepti sensu, ad mortem subeundam necessitate suppositâ, potuisse tollere istum sensum compositum, & impetrare à Deo præcepti dispensationem, atque adeò mortem simpliciter impedire, ipsomet Christo Domino istud insinuante, illis ad Petrum *Matth. 26.* prolatis verbis. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Ex quo proinde fieri consequens, Christum non rogando Patrem, liberè sustinuisse Crucem ac mortem. 8.

Verùm adversùs istam sententiam opponi potest. Tum quòd exinde sequeretur, Voluntatem moriendi in Christo non seipsâ *formaliter* fuisse liberam atque adeò meritoriam, sed ex Voluntate de non rogando Patre pro ablatione illius præcepti fuisse duntaxat derivatam libertatem, vi cujus illa de moriendo Christi Voluntas fieret solùm participativè libera & meritoria. Tum quòd Christus Dominus ierit in mortem ex Divino sibi perspecto Decreto juxta illud: *Et quidem filius hominis, sicut definitum est, vadit.* Unde etiam Petro passionem impedire conanti respondit, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* At ista Dei Voluntas in se omninò immutabilis & absoluta non subijciebatur Voluntati humanæ Christi, ita ut ista rogando pro dispensatione, posset ejus efficaciam impedire. Et hinc Maldonatus in citatum locum *Matth.* Christi Domini verba non vult taliter accipienda, quasi posset absolutè petere revocationem præcepti, utpote immutabili Divino Decreto nixi, sed significâsse duntaxat sub conditione, quòd, si Patris firmum præceptum non obstaret, posset rogare Patrem pro duodecim millibus legionum Angelorum, injurias sibi factas impediturus; quasi diceret, *putasne, si non scivissem, decretum esse à Patre meo, ut morerer, non potuisse me duodecim legiones Angelorum ab eo petere, eumque mihi daturum non fuisse?* velut exponit præfatus Maldonatus. Tum denique quòd illa per Cardinalem de Lugo allegata ratio non posset habere locum in præceptis Juris naturalis, utpote omninò indispensabilibus. Quomodò ergò quoad istorum observantiam Humanæ Christi Voluntatis libertas componenda erit cum omnimodâ ejus impeccabilitate?

CONCLUSIO.

Libertas humanæ Christi voluntatis in actibus etiam præceptis eatenus componitur cum ejus impeccabilitate, ut neque Divini Decreti efficacia, neque præcepti obligatio moralis ipsi præjudicare posset. 9.

Probatur. Nam ex vi præcepti duo in nobis resultant debita moralia. Alterum est ex Jure Primæ Majestatis actionem aliquam exigentis: Alterum verò est ex reatu culpæ per legis transgressionem incurrendæ. At iste posterior effectus omninò locum habebat in Christi humanitate. Quo proinde morali ad Divinam ex Primæ Majestatis Jure exactionem resultante debito supposito, neque præcepti obligatio, neque Decreti Divini efficacia poterat humanæ Christi

Christi omnino licèt impeccabilis voluntatis libertatem tollere vel impedire.

10. Probatur istum subsumptum. Quia libertas essentialiter non importat potentiam peccandi, sed activam & Dominativam ad opposita indifferentiam. At supposito etiam præcepto Divino, erat in Christi Humanitate indifferentia activa & Dominativa non quidem ad contraveniendum Præcepto, sed ad non faciendum actum, non quà *Formaliter* præceptum, sed entitativè in suâ substantiâ spectatum. Minor ista Probatur. Quia omne Dei præceptum nititur aliquo Decreto Divino. At hoc ipsum Decretum Divinum eatenus est accomodatum supposito, cui datur Præceptum, ut, si tale suppositum sit ab intrinseco impeccabile, lex ipsi data nitatur Decreto ipsius actûs præcepti absolutè præfinitivo. Eo ipso autem, quòd tale Decretum præfinitivum fundet præceptum actûs quà liberè efficiendi, consequenter habet efficaciam taliter influendi in voluntatem sibi subjectam, ut in istâ causet vel conservet Dominativam actûs ejusmodi in actu primo effectivam virtutem. Quâ proinde dominativâ voluntatis humanæ Christi virtute positâ, contingebat, quòd illa ipsâ Decreti Divini efficacia eatenus causaliter prædeterminaret Christi humanam voluntatem ad actum præceptum efficiendum, ut hic tamen flueret ex ejusdem humanæ Christi voluntatis vi Dominativâ & Electivâ. Atqui actus humanæ voluntatis est hoc ipso *Formaliter* liber, si per Divinæ præfinitionis efficaciam non aliter sit prædeterminatus, quàm ut fluat ex Dominativâ talis creatæ voluntatis virtute, ut sic operante sub indifferentiâ, non tantùm objectivâ, sed electivâ & activâ velut *in to. 1. q. 5. a. 5. cont. 9. & to. 2. q. 3. a. 2. cont. 2. ostendimus.* Constat igitur Divini Præcepti obligationem, nec non Decreti Divini legem ejusmodi fundantis efficaciam nullatenus obstare, quo minùs Christi humana voluntas, licèt ratione unionis Hypostaticæ esset ab intrinseco impeccabilis, haberet perfectam in præceptis Divinis servandis libertatem.

CONTROVERSIA IV.

Utrùm omnimoda Imperfectio moralis adeò repugnet Humanitati Christi ut non potuerit suâ libertate elicere actum in genere moris minùs perfectum, relicto perfectiori?

1. NOnnulli apud Cardinalem de Lugo *cit. disp. 26. sect. 10. n. 130.* sentiunt; potuisse Christum elicere actum minùs perfectum in genere tamen moris perfectum. Fundamentum est, si enim aliqua ad actum in genere moris minùs perfectum eliciendum esse repugnantia in Christo, oporteret, eam se tenere ex parte summæ sanctitatis Humanam Christi naturam actuantis. At licèt Deus habeat summam & infinitam sanctitatem, non tamen habet necessitatem eligendi effectum seu objectum summè perfectum. Ergo nec in Humanitate Christi ratione summæ sanctitatis ipsius repugnabat, ut eliceret actum in genere moris minùs perfectum, ita ut, licèt non posset non obedire præcepto Divino, posset tamen istud observare per actum minùs perfectum, minùs scilicet intensum ac ferventem, seu minùs diu durantem.

Cardinalis de Lugo *cit. sect. 10. n. 132.* tenet, Humanitatem Christi ratione unionis Hypostaticæ & visionis beatæ nec defectum habuisse, nec moraliter loquendo habere potuisse imperfectionē moralem, ita ut, data quavis occasione, semper fecerit id, quod hic & nunc melius & perfectius erat. Fundamentum est. Cùm enim sanctificatio Humanitatis Christi fuerit summa, oportebat, ipsam esse immunem ab omni imperfectione morali, cùm eo ipso major esset sanctificatio, quæ non culpam duntaxat, sed omnimodam imperfectionem moralem impediret. 2.

Idem de Lugo *n. 134.* docet, quòd, licèt Christus habuerit impotentiam moralem ad eligendum opus supererogationis minus perfectum, videatur tamen habuisse potentiam physicam, talem scilicet, quæ ratione difficultatis annexæ nunquam reduceretur quidem in actum sed tamen sufficeret ad libertatem simpliciter. Fundamentum est. Quia si Christus præsupponatur determinatus ad optimum, non manet libertas sufficiens ad laudem & præmium. Ergo ut maneat in Christo libertas ad meritum, necesse est ponere in ipso saltem potentiam Physicam ad oppositum. 3.

CONCLUSIO

NOn repugnabat summæ Humanitatis Christi sanctificationi, ut eliceret actum quoad suam ex objecto specificationem in genere moris minùs perfectum; repugnabat tamen, ut ipsius actus in genere moris simpliciter spectatus esset minùs perfectus, haberetque aliquid moralis imperfectionis. 4.

Probatur. Nam Christi Domini Humanitas poterat in objectis moralibus diversa per scientiam tum beatam, tum infusam, sibi semper cognita intendere motiva. Sic enim Divinæ Dilectionis motivum ex vi beatificæ visionis jugiter appretiatum poterat humana Christi voluntas ad omnimodum morale objectum applicare. Sic poterat tum Religionis, tum perfectæ erga Deum Justitiæ motivum signatè applicare ad omnimodum à se intentum morale objectum, *formaliter* intendendo cultum Divinum, vel infinitum ex Hypostasi Verbi derivatum & reflexivum valorem. Etsi proinde credere fas sit, Christum Dominum in omni opere morali habuisse formalem omnium ejusmodi Motivorum Intentionem, attamen suæ infinitæ sanctitati non repugnabat, ut singularum moralium virtutum motiva intendere posset absque signatâ & *Formaliter* intentâ Motivorum ejusmodi ad Charitatis vel strictæ erga Deum Justitiæ formalia objecta applicatione. Probatur istud subsumptum. Nam licèt actus motivum virtutis alicujus moralis specificativum intendens, quoad sui ex objecto specificationem sit majoris perfectionis, quando non ex præcisâ virtutis alicujus 5.

cujus moralis Honestate objectivâ per se *Formaliter* intentâ est specificatus, sed istam moralem honestatem sub reflexivo in Hypostasin Verbi valore, ac sub ipsomet etiam charitatis Theologicæ motivo signatè intendendo, ex hisce quoque objectis trahit propriæ erga Deum Justitiæ ac Di-
6. lectionis Divinæ specificationem. Nihilominùs dum ista Justitiæ & charitatis Dei motiva *formaliter* ac *directè* non sunt intenta, oportet, talem actum moralem à voluntate per infinitam Verbi sanctitatem mediatè actuatâ elicitum, trahere in se moraliter Dignificationem valoris ex illa infinitâ sanctitate subsistentis. At verò ista per infinitam sanctitatem dignificatio eminenter continet in se omnimodam moralem perfectionem. Ex hac verò eminentiali omnimodæ moralis perfectionis continentiâ fit, quòd in genere moris simpliciter loquendo non magis perfectus esset actus, qui illum reflexivum ex Hypostasi Verbi derivatum valorem, ipsumque charitatis Theologicæ motivum signatè intenderet, quàm actus ille, qui præcisum aliquod virtutis moralis v. g. Temperantiæ objectum formale directè intenderet. Hinc autem rursus sequitur, quòd in tali præcisum v. g. Temperantiæ
7. motivum *Formaliter* intendente actu nulla esset moralis imperfectio. Constat igitur, eatenus potuisse stare in Christo libertatem habendi actus morales, quoad sui ex objecto specificationem, vel etiam quoad intensionem seu durationem *in genere moris* minùs perfectos, ut nulla tamen posset in Christi voluntatem cadere moralis imperfectio, eo ipso quòd per valorem ex infinitâ Verbi sanctitate derivatum in omnibus Christi moralibus actionibus semper summa esset perfectio *in genere moris*, omnimodam adeò imperfectionem suâ universæ perfectionis moralis eminentiali continentiâ abster-
8. gens.

Dices. Eo ipso, quòd actus Honestatis v. g. Temperantiæ ex Charitatis Theologicæ, seu strictæ erga Deum Justitiæ *Formaliter* prosecutivus habeat specificationem *in genere moris* perfectiorem, quàm conveniat actui Honestatis Temperantiæ præcisè appretiativo, debere in hoc esse aliquid moralis imperfectionis minùs placentis Deo. At omnimodam moralem imperfectionem pugnare cum infinitâ Christi
9. Hominis sanctitate.

Contra. Nam actus quoad præcisam ex objecto specificationem in genere moris minùs perfectus non repugnat infinitæ Christi sanctitati, si talis actus simpliciter loquendo habeat summam in genere morali perfectionem. At omnis actus moralis ab Humanitate Christi elicitus habet perfectionem ejusmodi ex infinitâ Verbi Hypostasi in se eo ipso derivatam, quòd super hujus sanctitatem infinitam sit moraliter reflexivus. Sicuti proinde Deus se ad extra communicando, sub æquali semper perfectione morali in operibus etiam minùs perfectis operatur, eo ipso, quòd Divinæ ad extra communicativæ volitionis finis & motivum non sit, nisi unica Dei Increata in se subsistens Bonitas: Sic non obstante actuum à Christi voluntate eliciendorum quoad suam ex objectis specificationem inæqualitate, oportet tamen *in genere moris* simpliciter loquendo esse semper æquales, eo ipso, quòd ista sub infinito per Divini Verbi Hypostasin subsistente valore semper sit in summo perfectionis moralis gradu. Ex hinc facilè patet Responsio ad fundamenta opposita.



ARTICULUS II.

DE *Humanæ Christi voluntatis actibus, præcipuè de merito & Oratione.*

CHristum hominem eatenus ab instanti suæ Conceptionis fuisse Comprehensorem, ut simul tamen esset viator, evincitur ex *Jeremia 24.* ubi sic habetur de Christo, *Quasi colonus futurus est in terrâ.* In cujusmodi adeo Viatoris statu ipsum meruisse, probatur ex illo *Isaia 53. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur &c. In scientia suâ Justificabit multos &c.* Unde Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 6. de Justif. cap. 7.* definit; Christum esse causam meritoriam nostræ Justificationis. Et *in Extravag. Unigenitus* decernit Clemens VI. Quòd Ecclesiæ Thesaurus infinitus constet ex Christi meritis. 1.

De quó proinde Christi merito tres hic veniunt decidendæ Controversiæ. Prima. *Per quos actus Christus meruerit?* Secunda. *Quo tempore meruerit Christus?* Tertia. *Quodnam præmium respondeat Christi meritis?* 2.

CONTROVERSIA I.

Per quos actus Christus meruerit?

DIfficultas potissimùm procedit de actu Charitatis Dei, *An fuerit in Christo liber ac meritorius?* Exinde videbimus etiam de actibus moralium supernaturalium virtutum, *an secundùm suam propriam specificam Bonitatem moralem fuerint in Christo meritorij?*

Referuntur Sententiæ.

VAsquez *præs. disp. 74. cap. 2. & 3.* negat, Christum meruisse per Dilectionem Dei. Fundamentum est. Ut enim aliquis Amor Dei in Christo esset liber, atque adeò meritorius, oporteret, esse alium ab Amore Dei consequente visionem beatificam. At licèt per scientiam infusam posset etiam Deus repræsentari *Quoad An est*, ejusmodi tamen repræsentatio Dei in præsentiâ vehementioris cognitionis beatificæ non haberet vim movendi & inclinandi voluntatem ad amorem Dei. 1.

Econtra Theologi *communiter*, speciatim Suarez *disp. 39. sect. 2.* Joannes à sancto Thomâ *præs. disp. 17. a. 2. n. 4.* Cardinalis de Lugo *disp. 27. sect. 1.* Ysambertus ad *præs. q. 19. disp. 3. a. 2.* affirmant cum sancto Thomâ *ead. q. 19. a. 3. ad 1.* 2.

Fundamentum est. Quia sancti Patres opus Redemp-

Redemptionis nostræ tribuunt eximiæ Charitati Christi, quâ maximè amabat Deum Patrem, juxta illud *Joan.* 14. *Ut cognoscat Mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite eamus hinc.* At opus Redemptionis nostræ indubitanter erat ex meritis Christi; Ergo Christus merebatur etiam per actum Charitatis Dei.

Conclusio I.

3. AMor Dei in Christo Visionem etiam Beatificam consequens, secundùm sui ad objecta creata, tanquam media propter Deum summè amatum diligibilia extensionem, erat liber, atque adeò meritorius.

Explicatur & probatur. Sicut enim ex principijs in Verbo per Visionem beatificam visis poterat Christi humanus Intellectus discurrendo, inferre de veritatibus creatis, & ex Deo participatis conclusiones; sic Voluntas Christi vi beatificæ Visionis in Divinam Bonitatem tanquàm primum diligibile principium ac finem ultimum absorpta, poterat extendere se se ad diligibilia creata ex Divinâ Increatâ Bonitate participata & finalizata, & sic propter Deum finem ultimum diligibilia. At in istâ charitatis in objecta creata quà per Divinam Increatam Bonitatem finalizata tendentis extensione eatenùs erat Honestas, ut hæc tamen *quoad Exercitium* pro statu præsertim existentiæ non esset Voluntatis humanæ Christi eatenus determinativa, ut ipsi inferre posset necessitatem, sed relinqueret ipsam in suæ electivæ vis activâ indifferentiâ, atque adeò libertate. Ergo Amor Dei ex beatificâ Visione excitatus quà ad objecta creata, redemptionem scilicet humani generis, & Passionem se extendens in Chri-
4. sto erat liber. At verò sicut conclusiones ex primis per Visionem beatificam in Verbo visis principijs illatæ nituntur ipsamet Increatâ Dei Veritate, tanquàm motivo assensûs *formaliter specificativè* determinativo; sic amoris Divini per Visionem beatificam in Christi animâ excitati extensio nitebatur Increatâ Dei Bonitate, tanquam motivo sui finalizativo ac secundùm *quartum perseitatis modum* specificativo. Ergo talis Amoris Divini ad opus Redemptionis extensio, operis istius propter increatam Dei Bonitatem liberè prosecutiva eatenùs habebat intrinsecam Charitatis Theologicæ specificationem, ut sub istâ esset apprimè meritoria nostræ Redemptionis. Ergò Amor Dei ex Visione etiam beatificâ excitatus, non ille quidem, qui purè in Deum reducebatur, sed qui in objecta creatâ quà propter Infinitam Dei Bonitatem diligibilia extendebatur, erat in Christo vel
5. maximè meritorius. Et hinc facilè patet Responsio ad Vasquezij *n. 1.* oppositum Fundamentum. Nam sicuti Veritas in Verbo per Visionem beatificam resplendens, non ita absorbebat vim Humanitatis Christi intellectricem, quin ista partim per naturalem suam Virtutem, partim per elevationem supernaturalem posset etiam intendere Veritatibus lumini tam naturali, quàm supernaturali infuso proportionatis: sic Increata Dei Bonitas *intuitivè* visa ad sui Amorem eatenùs rapiebat Humanam Christi Theologicæ charitatis habitu instructā naturā, ut idem charitatis habitus ex eâdē Increatâ Dei Bonitate, quà per scientiam infusam *abstractè* repræsentatâ posset *finaliter* moveri & excitari ad aliquem Amoris Divini actum supernaturali scientiæ infusæ lumini proportionatum.

Tum quia ex ipsomet etiam per Visionem 6.
beatificam excitato Dei Amore poterat fieri quædam derivatio in objecta creata, humani v.g. Generis Redemptionem, quà propter Deum, ceu primum diligibile appretiabilia: Vi cujus adeò derivationis specialem actum liberum ex Increatâ Dei Bonitate specificatum importantis; aliquis per Visionem beatificam excitatus Amor Divinus erat Redemptionis simpliciter meritorius.

Conclusio II.

VIrtutum supernaturalium motivâ poterant à Christo esse intenta non solùm ex charitatis Theologicæ specificativo motivo, sed propter suam specificā honestatē, atque adeò poterant ejusmodi supernaturalium Virtutum actus in specificâ suâ honestate esse meritorij in Christo.

Explicatur & Probatur. Nam 1. illarum 7.
Virtutum motiva poterant esse repræsentata in Verbo per Visionem beatificam, ceu Ideales quædam ex Divinâ Increatâ sanctitate & honestatē derivationes. Ut sic autem quoad specificationē eatenùs habebant necessariam cum Divinâ earundem exemplativâ Increatâ sanctitate connexionem, ut in Voluntate Christi per Visionem beatificam ad Dei Amorem determinatâ non posset non esse necessitas saltem *specificationis* ad specificas earundem quidditates prosequendas. At verò quia hæ ipsæ specificæ Virtutum moralium supernaturalium honestates *quoad exercitium* pendent ex Divinâ liberâ determinatione, poterat consequenter humana Christi Voluntas earundem quà in Verbo repræsentatarum honestatum *quoad Exercitium*, seu *existentiæ statum* non nisi dependenter à suâ libertate ponendum, omninò liberè esse prosecutiva. In hâc ipsâ verò honestatum ejusmodi supernaturalium quà in Verbo repræsentatarum prosecutione poterat ipsa Increata & infinita Dei sanctitas earundem exemplativa esse motivum specificativum. Ut sic autem actus ejusmodi honestatum prosecutivus erat *formaliter* actus Theologicæ charitatis.

Quare 2. Earundem Honestatum super- 8.
naturalium repræsentatio poterat in Christo fieri per scientiam Infusam, vi cujus sub proprijs rationibus specificis in se ipsis essent motivæ humanæ Christi Voluntatis, Virtutibus illis supernaturalibus instructæ. At ut sic actus Virtutum ejusmodi supernaturalium sub specificis suis formalitatibus superinduebant infinitam ex Christi Hypostasis sanctitate valorem meri-
torium. Cæterùm Christi Domini morales or- 9.
dinis naturalis actiones ne ex infinitâ quidem Verbi Dignitate accepisse valorem præmiorum supernaturalium meritorium: constat ex dictis *supra q. 10. a. 2. cont. 1. n. 9.* Ex opposito autem ita ratio *q. 2. a. 3. cont. 1. n. 16.* deducta. Unde hoc punctum problema esto

CONTROVERSIA II.

Quo Tempore Christus meruerit?

1. IN primo statim conceptionis instanti, Christum Dominum meruisse, evincitur ex illo *Hebr. 10. cap. Ingrediens mundum* (Christus) *dixit, Hostiam & oblationem noluisti, Corpus autem aptasti mihi, holocaustomata & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi, Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam.* At verò Christus ingressus est mundum, dum per Divini Verbi Incarnationem Homo factus, incœpit esse Pars & caput Mundi secundùm universas etiam naturales res spectati. Tunc igitur Voluntate suâ eatenus se obtulit in victimam pro Divinæ Voluntatis placito immolandam, ut subjecerit Apostolus, quòd *in hâc* Christi *Voluntate sanctificati sumus.* Ergo nostra sanctificatio per modum præmij respondebat illi in primo conceptionis instanti habitæ Christi voluntatis oblationi. At verò hoc ipsum meritum suum fuisse Christum prosecutum in suis subsequentibus actibus, constat tum ex illo
2. Divi Augustini *Serm. 11. de Tempore. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ*; tum ex illo sancti Bernardi *serm. 2. de Circumcis.* taliter disserentis. *Meritò sanè, dum circumciditur Puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicè ex hoc jam cœpit operari salutem nostram, immaculatum illum sanguinem pro nobis fundens.* Unde patet, quòd isti sancti Patres agnoscant, Christi meritum viguisse inter ipsos infantiæ pannos, & sanguinis sui in Circumcisione effusionem. At eo ipso, quòd Christi Domini intellectus à primo Conceptionis instanti per Scientiam beatam & infusam jugiter haberet repræsentata quarumlibet virtutum motiva, nec non Voluntas ipsius nullam in se imperfectionem moralem admittere potens, esset Divinorum supernaturalium actuum exercitio, absque omni interruptione semper intenta, oportet, nullum vitæ Christi instans effluxisse absque merito. Quod proinde Meritum à Christo consummatum fuisse in Cruce per Mortem, evincitur ex illo Pauli *ad Philip.*
3. *2. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Nec non ex illis Christi Domini verbis *Luc. 24. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Constat igitur merita Christi à primo Conceptionis instanti inchoata, & per omnia vitæ passibilis momenta citra ullam interruptionem continuata, fuisse tandem consummata per
4. Passionem ac Mortem. Unde etiam Apostolus *ad Hebr. 10.* ita disserit de Christo: *Unam pro peccatis offerens Hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici sui sub pedibus ejus.*

Quibus taliter constitutis, superest decidendum. *Qualiter apertio Lateris Christi post mortem possit esse fons Sacramentorum, si merita ipsius per mortem consummata sint. 2. Qualiter Christus possit dici pro nobis interpellare seu orare in Cœlis, si jam non amplius mereatur? 3. Si Christus in primo conceptionis suæ instanti habuit meritum infiniti etiam valoris, cur fuerit ipsum moriendi pro humani generis redemptione necessitas?*

Conclusio I.

VUlnus Lateris Christi post mortem apertum, & inde secuta Sanguinis & Aquæ effusio non *formaliter* sed *objectivè* duntaxat poterant esse meritoria, nec adeò erant fons sacramentorum in vi causæ moralis ac meritoriæ, sed in vi objecti, super quo fundabatur meritum in morte consummatum, ut sic Sacramentorum *moraliter* causativum. 5.

Probatur. Nam ut actio vel passio aliqua sit *formaliter* etiam *participativè* meritoria, debet non tantùm per modum objecti esse voluntaria, sed debet esse causata ex libero voluntatis merentis influxu saltem virtuali. At sub mortis instanti eatenus fuit consummatum Christi meritum, ut exindè animæ Christi voluntas nullum haberet ampliùs influxum meritorium in actiones & passiones corporis sui. Quare apertio lateris post mortem & sanguinis cum aquâ effusio poterat duntaxat esse objectum illius Christi Domini volitionis, quâ in Cruce seipsum usque ad ultimæ guttæ sanguinis in latere etiam post mortem aperiendo reconditi effusionem obtulit, sub speciali quoque intentione fundandi Sacramenta super istam ultimatam Voluntatem suam, in vi quasi Testamenti morte consummati Patri taliter reconsignatam, ut sanguinem in pectore reconditum vellet post mortem effundi in amoris sui singularem tesseram, & signum nostræ per Sacramenta purificationis, ipsorumque adeò Sacramentorum efficaciæ specialiter, præfigurativum. Quando igitur Leo Papa *Epist. 4. cap. 6.* asserit: Quòd *Christus Dominus regenerationis potentiam sanxerit, quandò de latere ejus profluxerunt sanguis Redemptionis, & Aqua baptismatis*, debet hoc taliter accipi, ut iste sanguis & aqua intelligantur fuisse tum *objectivè* meritum Redemptionis nostræ, tum *repræsentativè* fuerint sacramentum Baptismatis. 6. 7.

Conclusio II.

CHristi Domini, quam in Cœlis exhibet, oratio non est in vi meriti etiam congrui, sed in vi cujusdam meritorum suorum, & pacti super hisce fundati erga æternum Patrem repræsentationis.

Explicatur & Probatur. Nam in oratione quatuor sunt distinguenda. *Primum* est repræsentatio motivi, sub quo Deus moveri possit ad effectum postulatum conferendum. *Secundum* est Latria erga Deum, ceu primum & universalissimum omnimodi creati effectûs Principium. *Tertium* est indigentia quædam orantis. *Quartum* denique est vis quædam impetratoria rei, cujus orans habet indigentiam. At Christus Dominus vi Testamenti cum æterno Patre initi, & per Mortem consummati eatenus habet in suâ jam potestate omnimodos suis fidelibus ab æterno Patre conferendos tum gratiæ tum gloriæ effectus, ut nec in se, nec in ordine ad electos ac fideles suos sibi consignatos habeat ullam indigentiam, sed omnimodam pacto & decreto Divino sibi semper 8.

per

per quoad omnia perspecto super meritis in Cruce finitis firmatam certitudinem, vi cujus adeo firmatæ securitatis non offert suam in Cœlis Orationem, quasi ejus impetratorio merito per Divinæ Misericordiæ invocationem suppleturus suam qualemcumque indigentiam, sed suum in omnes gratiæ & gloriæ gradus sui jam Juris factos, pactoque Divino firmatos Jus & Dominium eatenus repræsentat Divinitati, ut in hâc tamen recognoscat Primi & Universalissimi Principij, ac Dominij absolutissimi eminentiam, ex cujus causalitate omnimodum illud Christi Jus sit *essentialiter* dependens.
9. Constat proinde, sub tali per Christum meritorum repræsentatione, stare Cultum quidem Latriæ, cum essentialis meritorum suorum ac Juris super hisce fundati dependentiæ erga Deum protestatione; hunc tamen Latriæ cultum nullam in Christi Humanitate supponere indigentiam erga gratiæ & gloriæ fidelibus suis conferend s effectus, pro quibus merita sua applicat. Et hinc Christus Dominus agens nostrum advocatum apud Deum *1. Ioan. 2.* pro nobis quidem interpellat *ad Rom. 8. & ad Hebr. 7.* Hoc tamen præstat, quatenus ad Dexteram Dei sedens, omnem in Cœlo & in Terrâ potestatem sibi traditam habet. ex *cit. 8. Rom. cap. & Matth. 28.* Unde etiam fit, ut non tam ex indigentiâ sit pro nobis *strictè loquendo* orans, quam ex Authoritate Juris per æterni Patris pactum firmati sit applicans sua merita in ordine ad omnimodos ac solos illos effectus, quos Pater æternus ipsi consignavit. Juxta illud *Ioan. 17. Tui erant, & mihi eos dedisti.*

Conclusio III.

10. **Etsi Meriti Christi pro Primo conceptionis instanti eliciti valor infinitus** quoad sufficientiam valuerit pro omnimodo præmio, attamen quoad efficaciam ex Patris æterni Decreto, & Humanæ Christi Voluntatis applicatione & ordinatione pendentem, non convenit primo Christi merito vis omnimodi præmij meritoria.

Probatur. Nam in Christi Merito duo sunt consideranda. Alterum est valor per Hypostasin Verbi, ejusque sanctitatem personalem dignificatus, ut sic habens vim essentialiter infinitam ad Divinam Voluntatem respectu cujuslibet Præmij motivam. At vero licèt Increata etiam Dei Bonitas habeat vim Voluntatis Divinæ *finaliter* motivam respectu cujuslibet ad extra participationis, eo ipso tamen, quòd Dei Increata Bonitas habeat omnimodam à tali participatione independentiam, nequit illa Bonitatis Dei increatæ motiva vis habere efficaciam Divinæ ad extra participationis illativam, nisi mediante liberâ Voluntatis Divinæ determinatione. Pari proinde ratione, ut meritorum Christi Valor infinitus sit actu efficaciter meritorius alicujus præmij, oportet, esse à Divinâ Voluntate respectu talis præmij liberè acceptatum. Quæ proinde acceptatio est alterum, quod circa Christi merita hîc venit conside-
11. randum. At verò inter Christi Humanam & Divinam Voluntatem ea erat conformitas, ut æternus Pater manifestaret Humanitati Christi, in ordine ad quos effectus vellet, merita per ipsum absolutè & efficaciter applicari. Hâc verò Voluntatis Divinæ repræsentatione factâ, Humanitas Christi suâ Voluntate designabat omnes effectus, in ordine ad quos vellet applicata sua merita. Exinde verò Divina Voluntas intuitu Christi meritorum taliter applicatorum præfiniendo effectus ejusmodi, eo ipso in ordine ad illos acceptabat Christi merita, uti pluribus exposuimus *in tr. 10. q. 9. a. 2. cont. 1.* Quia ergo ex vi pacti inter Humanitatem Christi, ac æternum Patrem initi nostra Redemptio non nisi in Cruce fuerat consummanda, evidenter sequitur: Primum Christi meritum *quoad efficaciam* ex Divinæ Voluntatis acceptatione & humanæ Christi Voluntatis applicatione pendentem, non meruisse primarium saltem præmium, nisi dependenter à morte consummandâ in Cruce.

CONTROVERSIA III.

Quodnam Præmium respondeat Christi meritis?

Quintuplex hic decidenda venit difficultas. Prima. *Quid Christus sibi meruerit?* Secunda. *Quid Angelis?* Tertia. *An & quid pro statu innocentiæ meruerit primis Parentibus?* Quarta. *Qualiter potuerit mereri Patribus Antiquis gratiam & Sanctitatem?* Quinta denique. *An omnimoda gratia, prima etiam peccatorum ad Justificationem motio in hominibus sit ex Christi meritis?* 1.

Circa primum suppono ex dictis *præc. q. 4. a. 2. cont. 2.* Christum non potuisse mereri suam Hypostaticam Unionem. Ratio est. Quia per hanc tribuitur Humanitati Formalis existendi effectus. At existentia principij est *per se* requisita ad omnimodum actum & effectum ipsius. Quia ergo Unio Hypostatica seu existentia Verbi, quà Hypostaticè unita per modum conditionis *perfe* requisitæ se tenebat ex parte Humanitatis, quà Principij Meritorum in Christo Effectivi, consequenter talis unio non poterat cadere sub Christi meritum. 2.

Verùm quoad Gratiam Habitualem, & Gloriam essentialem aliqui apud Joannem à S. Thomâ *præs. disp. 18. a. 1. n. 2.* tenent; Christum eas sibi meruisse. Fundamentum est. Quia Christus se disposuit per actum liberi arbitrij ad gratiam suscipiendam. Ex Divo Thomâ *3. p. q. 34. a. 3.* At illa dispositio ut prior ordine naturæ ipsâ gratiâ, fuit meritoria. Ergo Christus Dominus de facto meruit suam gratiam, & consequenter Gloriam suam. 3.

Verùm Theologi communiter apud citatum Joannem à Sancto Thomâ *n. 4.* tenent, Christum de facto nec gratiam, nec gloriam sibi meruisse. Fundamentum est. Quia principium meriti non potest cadere sub meritum. At gratia Christi quamvis de possibili non fuerit omninò necessaria ad meritum, tamen de facto fuit principium cujuscumque meriti ejusdem Christi. Minor ista probatur. Quia quælibet actio meritoria 4.

Chriſti in ſuo genere perfectiſſima fuit ſecundùm modum eſſendi connaturalem ipſi. Ergo talis operatio procedebat ex habitu ſupernaturali gratiæ, ceu connaturali ipſius meriti principio.

5. Circa Secundum Suarez *diſp. 42.* Cartagena *lib. de Prædeſt. & Reprob. Angel. diſc. 6.* & alij affirmant, Angelos accepiſſe gratiam & gloriam, ex meritis Chriſti. Fundamentum eſt. Tum quia *Apoc. 12.* dicitur de Angelis, *quòd vicerint eum* (id eſt Diabolum) *per ſanguinem Agni.* Tum quia Chriſtus eſt primus omnium Prædeſtinatorum juxta illud: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Unde etiam dicitur: *Primogenitus omnis Creaturæ.* Ergo prædeſtinatus eſt tanquam finis ipſorum etiam Angelorum. Hinc autem evincitur, quòd Chriſti Prædeſtinatio habuerit ſufficientem præcedentiam reſpectu Prædeſtinationis Angelorum, ut ex meritis ejus prævisis cauſaretur.

6. Econtra Divus Thomas *in 3. diſt. 13. q. 2. a. 2. q. 1. & de verit. q. 29. a. 4. ad 5. & a. 7. ad 5. & 3. par. q. 59. a. 6.* S. Bonaventura *in 3. diſt. 13. a. 2. q. 3.* Vaſquez *diſp. 49.* Alvarez *diſp. 40.* & alij plures negant. Fundamentum eſt. Quia Chriſtus ita venit in remedium peccati, ut homine non peccante, non veniret ex vi præſentis Decreti. Ex hoc autem fit, Decretum Incarnationis ſupponere prævisionem peccati. Ergo ante prævisionem peccati non fuerunt prævisa merita Chriſti, quorum intuitu poſſet tunc dari aliqua gratia vel gloria. Sed ante Prævisionem peccati Adæ data fuit gratia Angelis, ex vi cujus alij perſeveraverunt, alij non perſeveraverunt, ſed ceciderunt, & poſt ſuum lapſum fuerunt cauſa homini, ut laberetur. Ergo gratia illa data Angelis, fuit omnino independens à meritis Chriſti, qui pro illo ſigno nondum fuerat Decretus, nec videbatur *abſolutè* futurus.

7. Cardinalis de Lugo *diſp. 27. ſect. 3. n. 27.* propter adductum Fundamentum proximè allegatæ ſententiæ conſentit quidem quoad proximam Angelorum ſanctificationem: Attamen arbitratur, non eſſe ita facile, quòd non poſſit tribui meritis Chriſti Donum Perſeverantiæ, quam Boni Angeli acceperunt. Fundamentum eſt. Quia potuit Deus velle independenter à Chriſto futuro dare omnibus Angelis prima Auxilia, quibus ſe diſpoſuerunt ad primam gratiam habitualem accipiendam. Poſteà verò in ſecundo Inſtanti, poſito illo Præcepto, contra quod peccaverunt, & viſo jam peccato Luciferi, eâque occaſione prævisо jam peccato Adæ, potuit tunc Deus velle Adventum Chriſti Reparatoris, atque ex meritis ejuſdem Chriſti jam prævisi potuit tunc velle alijs Angelis Bonis, qui nondum ceciderant, dare Auxilia & Gratiam efficacem ad reſiſtendum ſuaſionibus Luciferi, qui eos ad ſui imitationem ſollicitabat. Hoc autem pacto benè intelligitur, quomodò perſeverantia bonorum Angelorum fuerit ex Meritis Chriſti, licèt prima gratia non fuerit propter Chriſtum.

8. Joannes à Sancto Thomâ *præſ. diſp. 10. a. 3.* tametſi neget, Gratiam & Gloriam Angelorum eſſe ex meritis Chriſti, attamen *n. 80.* ſubdit, Prædeſtinationem Angelorum poſſe dupliciter conſiderari in mente Divinâ; Uno modo Abſolutè, & ſolùm quantum ad ſubſtantiâ perfectam. Aliò modo ſecundùm quod habuit aliquam habitudinem ad Prædeſtinationem hominum, cum quibus futuri erant Socij & Concives in gloriâ. Priori proinde modo fuiſſe Prædeſtinationem *Totaliter* completam in Angelis ante prævisionem Chriſti, non autem ſecundo modo. Fundamentum eſt. Nam quia Prædeſtinatio Angelorum non ſiſtebat in ipsâ nudâ Subſtantiâ Juſtificationis, & glorificationis, ſed adhuc intelligebatur ut perfectibilis ſecundùm accidentalia Dona, adeò ut Divus Thomas propterea dixerit, *Angelos in ordine ad præmia accidentalia eſſe adhuc viatores.* Ideirco pro hâc parte prædeſtinatio Angelorum accidentaliter completa fuit per Chriſtum. At verò quando Angeli ſunt de facto juſtificati in re, illa Juſtificatio non ſolùm reſpiciebat ſubſtantiam gloriæ, ſed habitudinem ad accidentalia præmia; ſiquidem per gratiam redditi fuerint capaces illorum. Quare illa Juſtificatio in re ita deſcendebat ab illo duplici Decreto, ut ſecundùm conſiderationem unius non dependeret a Chriſto ut Objecto, ſecundùm aliam verò conſiderationem dependeret. Et hinc juſtificati ſunt per fidê Chriſti ut objecti *quaſi concomitanter* in illâ Juſtificatione concurrentis, non *eſſentialiter* & *per ſe.*

9 Circa Tertium Cardinalis de Lugo *citatus n. 31.* exiſtimat, Primam Gratiam, quam primus Parens accepit in ſtatu Innocentiæ, non fuiſſe ex Chriſti meritis, benè tamen ejus reparationem, imò & augmentum. Fundamentum eſt. Tum quia pro ſtatu Innocentiæ nondum erat Decreta Incarnatio. Ergo gratiæ pro tali ſtatu collatio non potuit eſſe ex meritis Chriſti. Tum quia Adamus in ſtatu Innocentiæ habuit fidem Chriſti venturi. At iſta Fides ſupponebat Decretum Incarnationis & futura Chriſti merita. Ergo tam illa Fides, quàm gratiæ gradus, qui intuitu illius Fidei datus fuit, in Adamo potuit eſſe ex meritis Chriſti.

10. Joannes à Sancto Thomâ *cit. diſp. 10. a. 2. in Reſol. dub. n. 10.* Vaſquez *hic diſp. 12. cap. 2.* pluribus alijs allegatis, negant ſimpliciter, gratiam ſtatûs Innocentiæ prout ſubeſt huic ſtatui, fuiſſe ex meritis Chriſti, adeo ut Vaſquez *cap. 3. & diſp. 99. cap. ult.* concedat quidem in primo Parente fidem Incarnationis, neget tamen fuiſſe ex Chriſti meritis.

Fundamentum eſt. Quia nulla gratia eſt à Chriſto ut à Capite, quæ non ſit etiam ab Ipſo, ut à Redemptore, & per ejus Paſſionem ac Mortem. At ſanguis & Paſſio Chriſti non pertinuit ad ſtatum Innocentiæ, dicente Auguſtino *in lib. de Correpț. & Grat. cap. 12. Quòd in illis bonis Adam Chriſti morte non eguit.* Ergo neque gratia illius ſtatûs fuit à Chriſto, ut à Capite.

11. Circa Quartum ſupponitur quidem, omnimodam Patrum Chriſtum præcedentium gratiam fuiſſe ex Chriſti meritis, cùm non ſit datum aliud Nomen hominibus, in quo ſalui fierent. Nihilominus difficultas eſt de modo, qualiter merita Chriſti ſubſequentia applicari potuerint à Chriſto ad illam gratiam Patribus antiquis promerendam? In quo Salazarius *lib. de Concept. Virg. cap. 24. §. 12. n. 151.* arbitratur, dici poſſe; quòd Chriſti merita non indiguerint peculiari applicatione Chriſti, ut prodeſſent antiquis Patribus; ſed ex ſe ipſis habuerint condignitatem, & valorem ſufficientem, ut à Deo acceptarentur, Chriſto etiam non applicante pro ſalute horum vel illorum hominum.

12. Verùm Cardinalis de Lugo *diſp. cit. 27. n. 37.*

exiſtimat

existimat, Christum applicuisse specialiter sua merita pro Patribus antiquis, & adhuc specialiùs pro Electione eorũ, qui efficaciter salui facti sunt. Fundamentum est. Quia Ecclesia etiam orat pro præteritis, ut scilicet animæ defunctorum de salute jam securæ liberentur à pœnis inferni, nevè absorbeat eas Tartarus, & ut pœnas æternas non sustineant.

13. Circa Quintum aliqui Antiquiores apud Joannem à Sancto Thomâ *disp. 18. a. 3.* negant, Christum omnibus hominibus meruisse omnes illas dispositiones seu motus supernaturales, qui eorum justificationem præcedunt. Fundamentum est: Quia Christus Dominus solùm venit recuperare ea, quæ primus Parens sibi & nobis amisit. Atqui Adamus non amisit Fidem & Spem, cùm istæ Virtutes non amittantur, nisi per proprios actus Infidelitatis & Desperationis, quos non habuit Adam. Ergo Christi meritum non extendit se ad motus fidei & spei nobis promerendos; saltem eos qui sunt ante justificationem, qui in Adamo non defuerunt.

14. Econtra Theologi *communiter* cum Divo Thomâ *præs. q. 7. a. 9.* pro indubitato tenent, Christum Dominum meruisse nobis omnes dispositiones & motus supernaturales, qui gratiam ipsam præcedunt, & concomitantur. Fundamentum per Joannem à Sancto Thomâ *cit. a. 3. n. 1.* deductum est. Quia omne agens, quod non habet virtutem ad introducendas omnes dispositiones necessarias ad aliquam formam in Passo; nequit producere formam, ad quam illæ dispositiones ordinantur. Ergo si Christus nobis non meruisset omnes dispositiones antecedentes ad gratiam, nequaquam illam gratiam mereretur. At istud consequens est Hæreticum, repugnatque Concil. Tridentino *sess. 6. cap. 7.* ubi Christus ponitur nostræ Justificationis Causa meritoria.

Conclusio I.

Christus Dominus sibi de facto non meruit Gratiam Habitualem & Gloriam essentialem.

15. Probatur. Nam licèt fieri potuisset, ut primum Christi meritum esset actus Ordinis supernaturalis per Hypostaticam Verbi Unionem ac Personalem Increatam Sanctitatem dignificatus: vi cujus adeò actûs meritorij ex Gratiæ Habitualis & Gloriæ essentialis influxu non pendentis potuisset Christus hanc eandem Gratiam & Gloriam sibi promereri. Nihilominùs de facto Christi Anima priùs operata fuit secundùm Gratiæ elevationem, quàm secundùm Naturam. Unde primum Christi meritum *connaturaliter* fluebat ex habitu aliquo supernaturali radicato in Gratiâ habituali. Quæ proinde habitualis gratia fuit radicale primi in Christo meriti principium.

16. Deinde idem primum præsertim Christi meritum pendebat ex motivo per Beatificam Visionem repræsentato. Ergo Visio beatifica seu Gloria essentialis Christi se habebat ut principium directivum & Regulativum, & *ut Quo* specificativum primi Christi meriti. At principium meriti non potest cadere sub meritum. Ergo nec gratia habitualis, nec essentialis gloria Christi cadere poterat sub hujus meritum. Quocircà 17.

Christus sibimet promeruit *Primò* Exaltationem Nominis sui, juxta illud *ad Philip. 2. Factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Neque verò Christus Dominus illã solam Nominis sui Exaltationem gloriosam, quam post mortem habuit, sibi meruit, sed etiam illam quam habuit in Vitâ mortali, cùm ab hominibus, tum ab Angelis in se collatam. Meruit insuper Supremi 18.

Capitis excellentiam, Summum Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, nec non judiciariam Potestatem, Dominium ac Dignitatem Regiam in Gentes universas, juxta illud *Psal. 2. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et hinc etiam *Math. ultr.* post resurrectionem meritis suis per mortem jam consummatis, dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terrâ.* Unde & de Judiciariâ potestate Divus Augustinus *lib. de verb. Domini serm. 94.* ait de Christo. *Sedebit Judex, qui stetit sub judice; damnabit verò reos, qui falsò factus est reus.* Nec obstat, quòd ejusmodi potestas seu Digni- 19.

tas conveniat Christo Homini ratione Hypostaticæ cùm Verbo Unionis. Nam (uti Divus Thomas *3. p. q. 59. a. 3.* dicit) nihil prohibet unum & idem deberi alicui ex caussis diversis: Sic enim gloria corporis resurgentis debita fuit Christo nõ solùm propter congruentiam Divinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis Passionis. Pari proinde ratione Judiciaria Potestas homini Christo competit & propter Divinam Personam, & propter Capitis dignitatem, & propter plenitudinem Gratiæ Habitualis; & tamen eam etiam obtinuit meritis suis, ut scilicet secundùm Dei Justitiam Judex esset, qui pro Dei Justitiâ pugnavit, & vicit, & injustè judicatus est. Unde *Apocal. 3.* dixit. *Ego vici, & sedi in Throno Patris mei.* At verò per istum Thronum intelligi Judiciariam Potestatem, evincitur ex illo *Psal. 9. Sedisti super Thronum, qui judicas Justitiam.* Et hinc *Job. 36.* fuit prædictum: *Causa tua quasi impij judicata est, causam judiciumque recipies.* *Secundò.* Promeruit sibi Christus gloriam 20.

corporis juxta illud *Lucæ ultimo*: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ex quo adeò evincitur, Christum meruisse sibi gloriosam Resurrectionem, & Ascensionem in Cœlum. Neque verò hìc audiendus Sotus *in 3. dist. 18. q. un.* docens: Christum *directè* non meruisse gloriam Corporis, utpote vi gloriæ Animæ, imò & Unionis Hypostaticæ *connaturaliter* debitam; sed ablationem duntaxat impedimenti, quo gloria Animæ detinebatur, ne redundaret in Corpus. Etenim nullum fuit in Christo impedimentum positivum, ne gloria animæ redundaret in corpus. Quare tale sub vitæ passibilis tempore impedimentum in Christo erat subtractio concursûs Divini. At eo ipso, quòd Christus morte suâ meruerit istum Dei concursum, meruit *directè* Corporis sui gloriam. Omninò igitur asserendum est; Christum *directè* meruisse Gloriam Corporis sui, uti satis clarè ostendunt præinsinuata Sacræ Scripturæ Verba.

Conclusio II.

Non improbabiliter sustineri potest, 21.
quòd Christus Dominus Angelis

 meruerit

meruerit Gratiam Habitualem, & Gloriam Eſſentialem.

Probatur. Nam duplex in Deo *Virtualiter* diſtingui poteſt Decretum Gratiæ & Gloriæ Angelorum præfinitivum. Alterum ſpectans ad Lineam Creationis, vi cujus Creaturæ intellectuales ſecundùm ordinem non naturalem duntaxat, ſed etiam ſupernaturalem creatæ ſunt rectæ & perfectæ. Hæc autem Linea erat
21. Divinitùs præfinita *antecedenter* ad Verbi Divini Incarnationem, utpote non niſi in remedium peccati, prædeſtinatam. Alterum proinde in Deo Decretum reſpicit Lineam Inſtaurationis, de quâ Apoſtolus *ad Epheſ. 1.* dicit: *Propoſuiſſe De-*
22. *um in Chriſto inſtaurare omnia, quæ in Cœlis ſunt, & quæ in Terrâ.* At licèt iſtud Dei Decretum ſit conſequens peccati prævisionem, attamen Deus in peccati Remedium eatenus præfinivit Adventum Chriſti, ut iſtum intenderet tanquàm finem Omnis Creaturæ, uti *ſupra q. 4. art. 1. conc. 2.* oſtendimus ex ſacris litteris. In hoc proinde ſigno Decreti Incarnationis Divinæ præfinitivi Deus omnes Creaturas cum omnibus ſuis perfectionibus *ſub exercito exiſtentiæ ſtatu* in ſuo alioquin Creationis Decreto jam prævisas, voluit ſub ſuâ in Chriſtum quà Univerſorum finem ordinabilitate.

At quodlibet Decretum Dei ex intrinſecâ
23. ſuâ efficaciâ habet vim actualis cauſalitatis in omnimodam illam formalitatem, quæ per tale Decretum eſt volita. Cùm igitur omnimodæ Creaturarum etiam ſupernaturales perfectiones, atque adeò Angelorum Gratia & Gloria ſint in æternitate volitæ propter Chriſtum, quà Univerſorum, vi prætacti Decreti præfinitum finem, conſequens eſt; decretum ejuſmodi eſſe cauſativum omnimodæ Angelorum gratiæ. At in Decreto Chriſti præfinitivo eatenus diſtinguenda ſunt ſigna rationis, ut in *primo* ſigno intelligatur Chriſti exiſtentia propter peccatum præfinita ſecundùm ſubſtantiam; in *ſecundo* autem ejus quà Univerſorum finis Dignitas ſit definita quatenus ex meritis ipſi eſſet conferenda. Eo ipſo autem, quòd Deus vellet Chriſtum quà Univerſorum finem, voluit etiam Univerſas res creatas ſub Exiſtentiæ ſuæ ſtatu, vi illius Divinæ præfinitionis Exercitò ponendo, in Chriſtum quà finem ſuum ordinabiles. Quia proinde iſtud Chriſti quà Univerſorum finis ex meritis ipſius præfinitivum Decretum habet vim omnimodæ gratiæ & gloriæ Angelorum cauſatricem, rectè dici poteſt, gratiam & gloriam etiam eſſentialem Angelorum, prout ſubeſt Decreto Divino omnium per Chriſtum Inſtaurativo, eſſe ex Meritis Chriſti. In quem adeò ſenſum Divus Hieronymus *ſuper præcit. cap. 1. ad Epheſios* explicans, *Quomodo Deus ſubjecerit omnia pedibus Chriſti*, ſic ait de Angelis: *Unde & Crux Salvatoris non ſolùm ea, quæ in Terrâ, ſed etiam ea, quæ in Cœlis erant, purgaſſe perhibetur.*

24. Dices. Si ſubſiſtat illud duplex tum *Antecedenter* ad Chriſti prævisionem Gratiæ Angelorum præfinitivum, tum *conſequenter* ad Chriſti merita prævisa ejuſdem gratiæ prædeſtinativum Decretum, ſequi, quòd iſta Angelorum gratia ſit effecta per duplicem actionem, quarum altera per modum Donationis omninò liberalis, altera verò per modum cujuſdam Chriſti meritorum Remuneratoriæ dationis eſſet illius gratiæ effectiva.

Contra. Non enim repugnat, unam eandemque *intrinſecè* indiviſibilem actionem procedere ex duplici Deo immanente actione. Sic enim 25.
Divinum Intentionis Decretum habet vim effectûs à ſe præfiniti *phyſicè* effectricem. Sic etiam Divina ex tali Decreto *Formaliter intrinſecè* ſpecificata viſio ſeu dictio habet efficaciam Phyſicæ cauſalitatis. Sic denique Decretum Executivum ex iſtâ Dei viſione ceu immobili Veritate ſpecificatum habet eandem effectionis actualis virtutem. Pari proinde ratione ex diverſâ Creaturarum per Divinæ voluntatis efficaciam præfinitarum connotatione circa Creaturarum ſeriem diverſa diſtingui debent rationis ſigna, atque adeò Decreta *virtualiter* diſtincta. Ex his verò Decretis unum eatenus ambit lineam Creationis, ut ſit antecedens omnimodum cujusvis creatæ Intelligentiæ actum liberum, præſertim peccaminoſum. Alterum verò poſt peccati prævisionem eatenus erat præfinitivum Chriſti ſecundùm ſubſtantiam, ut ſubſequenter ex hujus meritis eſſet omnimodæ per primum Creationis Decretum *Cauſaliter* jam præexiſtentis Creaturæ ordinativum in Chriſtum quà Ultimum finem. At huic *virtualiter* duplici Decreto eatenus reſpondebat tranſiens Creationis actio, ut, licèt ex iſto poſteriori Decreto emanaret ſpecialis Chriſti Humanitati impreſſa, ut ſic ipſius quà finis univerſorum Dignitatis intra ejus animam expreſſiva actio, attamen in Angelos non alia procederet duplex gratiæ & gloriæ effectiva extra Deum *Formaliter* tranſiens operatio, ſed realiter unica & indiviſibilis actio reſpondeat duplici Deo *Formaliter* immanenti ac *virtualiter* duntaxat tranſeunti actioni ſeu Decreto Divino.

Conclusio III.

Gratia ſtatûs Innocentiæ etiam *Formaliter* ſpectata poteſt intelligi fuiſſe ex Chriſti meritis, non quidem prout emanabat ex primo Creationis, ſed quatenus profluebat ex Divino omnium per Chriſtum inſtaurativo Decreto. 26.

Probatur. Tum quia Adam pro ſtatu etiam Innocentiæ fuit membrum Chriſti. Ergo & Chriſtus erat Caput ipſius. Divo Thomâ *in præs. q. 8. a. 3.* atteſtante generaliter Chriſtum eſſe Caput omnium hominum. Unde etiam Divus Auguſtinus *in cap. 1. Ioannis* taliter diſſerit. *Caput noſtrum Chriſtus eſt, Corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſoli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, adjunctis etiam Legionibus & Exercitibus Angelorum &c.* At verò Capitis eſt influere. Oportet igitur, & Chriſtum habuiſſe in omnes Homines & Angelos influxum non phyſicum. Ergo moralem & Meritorium, uti Divus Thomas *in caput 1. Joannis lect. 10.* probat. Quod de plenitudine Chriſti acceperunt omnes juſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli. At iſtum influxum eſſe gratiæ, conſtat ex eodem ſancto Doctore *paulò infra* aſſerente: Quòd *plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, ſit cauſa omnium gratiarum in Intellectualibus Creaturis.* Tum quia Adam in ſtatu etiam Innocentiæ, licèt peccati ſui non eſſet præſcius, habuit fidem explicitam Chriſti, non quidem ut Redemptoris, ſed uti Conſummatoris Gloriæ; uti docet D. Thomas *2. 2. q. 2. a. 7.* Hujus autem pro- 27.

bationem ſanctus Doctor *citatus* deſumit ex eo; quòd Myſterij illius notitiam hauſerit ex illis verbis. *Propter quod relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ. Gen. 2.* ſiquidem teſtetur Apoſtolus, *Sacramentum hoc magnum fuiſſe in Chriſto & Eccleſiâ*, neque verò credibile ſit, hoc Myſterium ignotum fuiſſe in ſtatu Innocentiæ. At verò illud Myſterium magnum eſt in conjunctione gratiæ, per quam unitur Eccleſia Chriſto, tanquam Capiti ſuo; atque adeò Principio ejuſ-
28. dem influxivo. Ergo Adamus in ſtatu Innocentiæ per fidem Chriſti meruit tunc gratiæ ſuæ Principium influxivum. At fides Theologica nititur Primâ Veritate, quæ reſpectu objectorum creatorum aliquando actu exiſtentium dicit ipſammet Divinam Objectorum ejuſmodi Expreſſivam & Factivam dictionem. Erat igitur in Deo Dictio, gratiæ Adami in Innocentiæ ſtatu eatenus productiva, ut gratia ejuſmodi penderet ex Chriſto non quà cauſâ phyſicâ. Ergo quà cauſâ morali & meritoriâ. At eo ipſo, quòd ejuſdem gratiæ præfinitivum, lineæ Creationis reſpondens Decretum fuerit antecedens peccati prævisione, non poterat gratia Adami prout procedebat ex illo lineæ Creationis proprio Decreto, intelligi dependens ex Chriſti meritis. Oportet igitur, adſtruere alterum Divinum, omnium ſcilicet in Chriſto inſtaurativum Decretum, vi cujus Univerſa, quæ de facto creata ſunt, ad Chriſtum ſint ordinata, atque ſubjecta, ut propterea Paulus *ad Hebræos 2.* citans illud *Pſal. 8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ita diſſerat de Chriſto: *In eo enim, quòd omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.* Quare ratione illius omnium in Chriſto inſtaurativi Decreti Gratia ſtatûs etiam Innocentiæ eatenus erat ſubjecta Chriſti Domini influxui Morali, ac Meritorio, quatenus ex illo inſtaurativo, ſimul ac primo ad lineam Creationis ſpectante Decreto fluebat ejuſmodi gratia.

Concluſio IV.

29. CHriſtus merebatur Antiquis Patribus Gratiam, non in *actu quaſi Exercito* duntaxat, ponendo Meritum Gratiæ ejuſmodi ſufficienter cauſativum, ſed in actu etiam *ſignato*, Merita ſua expreſsè applicando pro ſingulis quoque Patrum antiquorum Gratiæ gradibus.

Probatur. Nam quæ ſecundùm menſuram temporis ſunt poſteriora, poſſunt in prævisione & Cauſalitate Divinâ ſe habere ut finis voluntatis Divinæ, non quidem motivus, ſed ex parte volitorum *Finaliter* Terminativus. Ergo Chriſti Domini Anima videns in Verbo Divinum Decretum gratiæ antiquorum Patrum dependenter à Meritis ſuis, tanquàm ratione volendi ex parte volitorum Divinæ voluntatis *finaliter* Terminativâ præfinitivum; poterat huic Divinæ volitioni ſe conformando, merita ſua pro illâ Patrum gratiâ eatenus applicare, ut hæc ipſa applicatio etiam *Formaliter* quà talis haberet vim, ex parte operis per infinitam Verbi ſanctitatem Dignificati, Patrum illorum gratiæ eatenus meritoriam, ut ex reſpectu illius voluntas Divina efficaciter ac inſuperabiliter operaretur talem Gratiam.

Concluſio V.

INdubitatum eſt, quòd Chriſtus omnibus hominibus meruerit omnes diſpoſitiones, & motus ſupernaturales, qui eorum Juſtificationem præcedunt. 30.

Probatur ratione ſancti Doctoris. Quia Chriſto conferebatur gratia, tanquam cuidam Univerſali Principio in genere habentium gratiam. At virtus primi principij alicujus generis extendit ſe univerſaliter ad omnes effectus illius generis. Sic enim quia ſol eſt univerſalis cauſa generationis, ideò ejus virtus extendit ſe ad omnia, quæ ſub generationem cadunt. Quare gratiæ plenitudo in Chriſto attendi debet, in quantum extendit ſe ad omnes gratiæ tam habitualis quàm actualis effectus, atque adeò ad omnes ſupernaturales motiones, Juſtificationem etiam præcedentes.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

AD *n. 3.* oppoſitum ℞. Ad meritum ſaltem *ſimpliciter* dictum requiri Prioritatem non *diſpoſitionis* duntaxat *in genere cauſæ materialis*, ſed etiam *efficientiæ in genere cauſæ effectivæ.* At licèt motus liberi arbitrij ad gratiam ſuſcipiendam diſpoſitivus potuerit habere Prioritatem *Diſpoſitionis in genere cauſæ materialis*, non tamen poterat reſpectu gratiæ Habitualis, utpote à quâ ut à Principio *Radicaliter effectivo phyſicè* procedebat, habere prioritatem *Efficientiæ*. Ergo non habebat reſpectu Gratiæ habitualis rationem meriti ſaltem *ſimpliciter* dicti, uti probat Fundamentum *n. 4.* deductum. 31.

Ad Fundamenta *n. 5. 6. 7. & 8.* deducta Reſpondetur. Sententias diſcordantes *ibidem* recenſitas conciliari poſſe; ſi duplex circa gratiam & gloriam Angelorum, alterum ad lineam *creationis*, alterum verò ad lineam *Inſtaurationis* pertinens Decretum *virtualiter* diſtinguatur. Quâ equidem diſtinctione ſuppoſitâ, non eſſe opus, ut gratia Angelorum Finalis, vel quà cum hominum gratiæ gradibus coordinata duntaxat, ſed prima ipſorum gratia etiam *abſolutè* ſpectata dicatur fuiſſe ex Chriſti meritis. 32.

Ad *n. 9. & 10.* deducta Fundamenta Reſpondetur. Suppoſito illo duplici lineam *Inſtaurationis* ac *Creationis* reſpiciente Decreto, benè intelligi, qualiter Gratia ſtatûs Innocentiæ, prout ſubeſt primo *Creationis* Decreto, non fuerit ex Meritis Chriſti, cum tamen Chriſtus, ceu omnium ad ſe tanquàm finem reducendorum Inſtaurator ſuis meritis potuerit illius gratiæ eſſe cauſa, mediante poſteriore *inſtaurationis* Decreto Divino. Et hinc ſanguis & Paſſio Chriſti non quidem *ſimpliciter*, ſed *reſpectivè* ſub reſpectu lineam *Inſtaurationis* reſpiciente, potuit ſpectare ad ſtatum etiam Innocentiæ in Adamo. 33.

Ad *n. 11. & 12.* deducta Fundamenta Reſpondetur. Inter Præteritum ac Futurum poſſe talem reperiri ſubordinationem, ut iſtud ſit *ratio volendi* præteritum, Divinæ volitionis ex parte volitorum *Finaliter terminativa*. Ut ſic autem non repugnare, quòd antiquorum Patrum gratia penderet ex futuris Chriſti meritis, etiam quà ſpecialiter applicandis à Chriſto, in ordine ad gratiam ejuſmodi promerendam. uti *tom. 4* oſtenſum eſt. 34.

Ad

35. Ad *n. 13.* oppositum Respondetur. Tametsi Adam suo peccato sibimet non perdiderit Fidem & spem, has tamen virtutes perdidisse posteris suis, utpote omnimodâ Formâ supernaturali ex origine suâ privatis. Ergo ad harum restitutionem, atque adeò ad omnimodum supernaturalem pro gratiâ recuperandâ dispositivum motum opus fuisse Redemptione ac Meritis Christi.

COROLLARIUM.

1. INfertur 1. Qualiter Christo Homini conveniat, esse Caput Ecclesiæ? Nam Divo Thomâ *præs. q. 8. a. 1.* advertente, Mysticum Caput Ecclesiæ dicitur, quod respectu illius habet similitudinem proprietatum Capitis naturalis. Hæ verò proprietates sunt respectu cæterorum membrorum tum ordo Prioritatis, tum eminentia perfectionis, tum influxus virtutis. At sicuti Caput Naturale est prima pars hominis, sic in corpore Mystico Ecclesiæ Christus habet Prioritatem Principalitatis, cùm propter majorem cum Deo proprietatem, imò Hypostaticam cum Personâ Divinâ Unionem Humanitati Christi conveniat eminentior, imò quo-
2. dammodò infinita gratia. Deinde sicuti Caput Naturale cæteris membris est perfectius, utpote in quo vigeant omnes interiores, ac exteriores sensus: sic in Christo præ omnibus tam Militantis quàm Triumphantis Ecclesiæ membris est major perfectionis eminentia, utpote in quo sit plenitudo omnium gratiarum. Denique sicut naturale Caput habet virtutem influendi in alia membra per motum & gubernationem, sic Christus influit in omnia Ecclesiæ membra, juxta illud: *De plenitudine ejus omnes accepimus.*

3. Infertur 2. Qualiter Christus sit Caput omnium Hominum non tantùm secundùm Animam, sed etiam quoad Corpus? Etenim Doctore Angelico *cit. q. 8. a. 2.* annotante, Christi Humanitas, cùm sit unita Verbo non tantùm quoad Animam, sed etiam quoad corpus, habet ratione istius, utpote meritorum in sanctâ ipsius Passione consummatorum instrumenti, aliquem etiam in Ecclesiæ membra influxum. Qui porrò influxus, etsi principaliùs sit in animas Sanctorum quoad Gratiæ participationem, redundat tamen etiam in corpora ipsorum, partim quòd membra corporis exhibeantur Arma Justitiæ per animam mediante gratiâ Christo unitam, partim quòd animæ Gloria sit in Resurrectione per Christum redundans in corpora Sanctorum, juxta illud *Philip. 3. Reformabit Corpus humilitatis nostræ configuratum corpori Claritatis*
4. *suæ.* Deinde licèt Damnati, imò & Infantes in Verbo existentes, teste Divo Thomâ *cit. q. 8. a. 3. in fine.* desinant, esse membra Christi, utpote omni supernaturali dono destituti, nec jam supernaturali ac speciali, sed generali duntaxat providentiæ, ejusque Justitiæ Distributivæ independenter à Christi meritis subjecti; attamen erant Christi membra in statu viæ, si non *quoad influxum actualem*, saltem *quoad influxum potentialem*, in meritorum Christi virtute ad omnes homines *secundùm sufficientiam* se extendente situm.

5. Infertur 3. Qualiter Christus sit Caput Angelorum? Etenim meritorum Christi influxum esse in ipsammet Angelorum Gratiam habitualem, & Gloriam essentialem, constat ex dictis *præs. cont. 3. concl. 2.* Et hinc Angeli subierunt etiam Judicio Christi, quantum ad præmium essentiale & damnationem æternam. Ex S. Doctore *3. par.* 6.
59. a. 9. Deinde merita Christi Angelis jam Beatis in tantùm valent quoad præmia accidentalia, ut secundùm ista censeantur adhuc Viatores: ex Divo Thomâ *q. 29. de Veritate. a. 7. ad 5.* Denique Angelos recipere ex Christo illuminationem ac purgationem Intellectûs; constat ex eodem S. Doctore *in 3. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 2.* Quod equidem fit eâ ratione, quatenus habent sibi à Deo impressas species intelligibiles, mediantibus quibus sub altiori Infusæ Christi scientiæ proportionato lumine possint ad Christi Domini nutum de Virtutibus Divinis illustrari. Et hinc Angeli suam non tantùm ratione principalitatis ac Dignitatis, sed ratione etiam influxûs tum gratiæ, tum præmij non tantùm accidentalis, sed etiam essentialis, tum illustrationis debitam erga Christum subjectionem *Matth. 4.* professi sunt, dum accedebant & ministrabant ipsi, utpote Capiti omnis Principatûs & Potestatis. *ad Coloss. 4.*

Infertur. 4. Qualiter Gratia Christi, secundùm quam est Caput Ecclesiæ, sit specie eadem cum gratiâ reliquorum Sanctorum? Etenim in hâc gratiâ duo consideranda sunt. Alterum est ipsa substantia & Entitas Gratiæ, ceu radicalis meritorum Christi, ejusque supernaturalium actuum principij. Ut sic autem est ejusdem cum nostrate gratiâ speciei. Alterū proinde est Eminentia & elevatio hujus gratiæ ad vim Gratiæ in alios influxivam. Ut sic autem importat Personalem Verbi Humanæ Christi Naturæ *substantialiter* unitam sanctitatem. Quam indubitatum est, infinitè excedere sanctitatem reliquorum Sanctorum. 7.

Infertur. 5. Qualiter Dignitas Capitis Ecclesiæ sit Christo propria? Etenim licèt *quoad vim extrinsecè gubernativam* sit communicata Papæ, non quidem in vi Authoritativæ, sed Vicariæ potestatis: Attamen *quoad interiorem gratiæ influxum* ita est propria Christi, ut hujus duntaxat Humanitati cum Dignitate *Personaliter* conjunctæ sit virtus *physicè immediatè* effectiva, vel etiam *Moraliter de Condigno* meritoria vis gratiæ influxiva, nec nisi *ministerialiter* possit Sacramentorum Ministro esse potestas mediantibus Sacramentis ad conferendam gratiam. ex sancto Thomâ *hic a. 6.* 8.

Infertur 6. Qualiter Diabolo, vel etiam Antichristo conveniat, esse Caput omnium malorum. Etenim Divo Thomâ *præs. a. 7. & 8.* advertente, Antichristus dici potest omnium malorum Caput, Diabolo tamen subordinatum, non quoad ordinem temporis, nec quoad influendi Virtutem, sed secundùm malitiæ plenitudinem; ita ut Diabolus ejus humanitatem non sit quidem personaliter assumpturus, attamen malitiam suam per suggestionem sit ei eminentiùs impressurus, ita ut cæteri mali ipsum præcedentes sint ejus quædam quasi figura, juxta illud *2. ad Thessal. 2. Mysterium jam operatur iniquitatis.* Verùm Diabolus dici potest omnium 9. 10.
malorum Caput, etiam ratione Virtutis influxivæ, non quidem quoad *interiorem influxum*, sed quoad *suggestionem & gubernationem exteriorem*,

quòd

quòd, licèt aliqua peccata hominum non sint immediatè ex suggestione Diaboli, omnia tamen debeant *radicaliter* reduci in primum ipsius peccatum saltem quà principium exemplativum: juxta illud Sap. 2. *Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Et hinc Diabolus dicitur *Job. 14. Rex super universos filios superbiæ.*

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

DE POTENTIA, ET DOMINIO CHRISTI.

ARTICULUS I.

DE *Potentiâ Christi.*

1. Christo quà homini fuisse potestatem patrandi miracula, evincitur ex illo *Matth. 9. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata*, ajebat paralytico: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Etenim per hoc insinuabat, secundùm eandem naturam convenire sibi potestatem dimittendi peccata, & faciendi miracula. At per illud miraculum volebat testificari, quòd potestas dimittendi peccata conveniret sibi quà filio hominis. Ergo & potestas Miraculorum competit ipsi quà homini. Hinc enim subjunxit Evangelista. *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

2. Quam porrò potestatem Humanitati Christi à primo statim hypostaticæ cum Verbo unionis instanti *Formaliter*, si consistebat in habitu seu qualitate permanente, *radicaliter* verò in sui connaturali exigentiâ, si importabat virtutem duntaxat transeuntem, fuisse collatam, ex eo evincitur, quòd ad illam hypostaticam Verbi unionem se habuerit ad instar proprietatis connaturalis.

3. Nihilominùs Christum non fuisse eâ usum in infantiâ, ex inde concluditur; quòd Gelasius Papa *in cap. Romana Ecclesia. dist. 15.* condemnarit quendam librum Apocryphum *de Infantiâ Salvatoris*, multa huic miracula tribuentem. Divo etiam Chrysostomo *Hom. 16. in Joan.* attestante; Christum decenter in primâ ætate non fecisse miracula, cùm homines alioquin imaginatti sibi fuissent: Incarnationem esse phantasma. Quare Divus Thomas *3. p. q. 43.* tenet, quòd, cùm miracula Christi facta sint ad confirmandam ejus doctrinam, non decuerit, ea fieri nisi in ætate perfectâ post prædicationem, veluti fecerit in nuptijs Canæ Galileæ. Quod equidem conversionis aquæ in vinum, Christi miraculum fuisse primum, probari solet ex illis *Joan. 2.* verbis: *Hoc fecit initium JESUS signorum in Canâ Galileæ.*

4. Etsi verò Lutherani Ubiquistæ arbitrati sint, ipsam omnipotentiam Divinam *Formaliter immediatè* communicatam fuisse Christi humanitati ad facienda miracula. Hoc tamen *supra q. 9. art. 2. cont. 1.* & *alibi* rejecimus, ex eo præsertim capite, quòd, cùm in naturis creatis nequeat esse potentialitas ad vim proximam operativam substantialem, sed accidentariam duntaxat, nequeat Humanæ Christi Naturæ ad virtutem operativam potentialitas actuari per Increatam *essentialiter* substantialem Dei potentiam, sed per formam aliquam accidentariam duntaxat. De quâ proinde accidentariâ miraculorum patrativâ Humanitatis Christi virtute sequentes hîc veniunt decidendæ Controversiæ. Prima. *An sit physicè, vel moraliter duntaxat causativa miraculosorum effectuum?* Secunda. *An sit in Humanitate Christi per modum Virtutis duntaxat Transeuntis, vel Permanentis?* Cui per modum Corollarij subjungetur, *Utrum Christi Humanitati sit virtus physicè etiam principaliter causativa gratiæ?* Tertia tandem Controversia erit. *An eidem Humanitati sit vis, se constituendi circumscriptivè in duobus locis adæquatis?*

CONTROVERSIA I.

An Virtus miraculorum patrativa in Christi Humanitate sit physica, vel moralis duntaxat?

1. Non est peculiaris difficultas, si Christus Dominus quà Homo, sive ejus Humanitas dicatur, esse Causa principalis moralis, utpote condignè meritoria omnium immutationum supernaturalium, quæ ad finem Incarnationis ordinabantur, sive ante, sive post Incarnationem exhibitæ fuerint. Et hinc resuscitaturus Lazarum, orabat ad Deum Patrem. *Pater gratias ago Tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis.*

Verùm difficultas est de Physicâ effectuum miraculosorum à Christo jam existente promanantium effectione, nam de ijs supernaturalibus immutationibus, quæ ante Christi adventum ex ipsius meritis procedebant, indubitatum est, non potuisse à Christo *physicè* causatus esse, eò quòd physica effectûs causatio *essentialiter*, atque adeò *insuperabiliter* supponat realem causæ existentiam.

Referuntur Sententiæ.

2. Divus Bonaventura *in 4. dist. 5. a. 3. q. 1.* Scotus *in 4. dist. 2. q. 1. §. Ex his.* Durandus *in 3. d. 14. q. ult.*

14. q. ult. Vaſquez *3. par. diſp. 57. cap. 5.* Becanus *de Incarn. cap. 10.* Hurtadus *de myſt. Incarnat. diſp. diff. 4.* Amicus *præſ. diſp. 22. n. 25.* Maſtrius *in 3. diſp. 2. p. 8 a. 1.* tenent, potentiam miraculorum operativam in Chriſto non fuiſſe phyſicam, ſed moralem. Fundamentum primum à Maſtrio *nu. 182.* deductum eſt. Nam illa phyſica miraculorum operativa potentia deberet eſſe aliqua qualitas ſupernaturalis humanitati Chriſti à Deo communicata. At ſi hæc qualitas haberet intrinſecam virtutem ad omnes ſupernaturales effectus producendos, jam eſſet infinitæ virtutis. Probatur ſequela Minoris. Quia poſſet *activè* concurrere ad plures in infinitum ſpecie diſtinctos effectus. At majorem dicit perfectionem, poſſe ad plures ſpecie diſtinctos, quàm ad unum duntaxat effectum concurrere. Cùm igitur illa qualitas haberet virtutem intrinſecam infinitorum ſpecie diſtinctorum effectuum operativam, deberet eſſe virtutis infinitæ. Secundum fundamentum eſt. Quia quoad cauſalitatem miraculorum Chriſti effectricem eadem eſt ratio unius & alterius. At Chriſtus Dominus multa fecit miracula, ad quæ ejus humanitas non poteſt intelligi concurriſſe *phyſicè*, ſed tantùm *moraliter*, v. g. quando reſuſcitavit Lazarum, nullum enim habebat contactum ad ejus Animam, utpote è Lymbo Patrum evocatam: Similiter quando ſanavit abſentem Puerum Centurionis *Matth. 8. cap.* Et filium reguli *Ioan. 4. cap.* Item quando *Marci 1. & Luc. 4.* ejecit Dæmones, eoſque compeſcuit, ne loquerentur. Hæc enim omnia intelliguntur rectè fieri ſolo imperio. Sicut etiam quando fecit, ut Petrus ambularet ſuper Mare, factum hoc eſt ſubtractione concurſus Divini, ne partes aquæ, quibus Petrus ſuſtinebatur, diffluerent. Hæc autem ſubtractio concurſûs Divini non poteſt intelligi facta per aliquam efficientiam phyſicam humanitatis, cùm ſit tantùm mera quædam negatio. Conſequens igitur eſt, miraculoſas actiones non fluxiſſe *phyſicè* ex humanitate Chriſti.

3\. (margin beside "dum fundamentum eſt")

4\. Tertium fundamentum eſt ex Patribus. Hi enim inſinuare videntur, in omnibus miraculis actiones naturales à Chriſti Humanitate, ſupernaturales verò à Divinitate profectas eſſe. Sic enim Sophronius *in Epiſt. per VI. Synodum act. 11.* relatâ & approbatâ ſcribebat de Chriſti miraculis. *Unus duarum naturarum ſecundùm aliam Divina ſigna operabatur, ſecundùm aliam humilia.* Et Sanctus Athanaſius *orat. 4. contra Arrianos circa Medium* de Miraculo, quo Chriſtus Dominus ſanavit Socrum Petri, ita loquitur: *Humano modo manum extendit, Divinitas autem morbum compeſcuit.* Et ſanctus Damaſcen. *lib. Quomodo ad Imaginem Dei facti ſumus, circa finem* taliter diſſerit. *Quoniam Divinitas tactu carnis ſanavit infirmos, alia erat actio propria Divinitatis, alia Humanitatis, & finis Humanæ actionis in manuum extenſione, & tactu poſitus erat, Divina autem Natura in excitatione Puellæ.*

5\. Econtrario Chriſti Humanitatem *phyſicè* operatam fuiſſe miracula, docet ſanctus Thomas *præſ. q. 13. a. 2.* aſſerens: Animam Chriſti Domini ad ſolam Creationem & Annihilationem non fuiſſe elevatam ut Inſtrumentum, ad alias verò miraculoſas tranſmutationes ordinabiles in finem Incarnationis, fuiſſe elevatam tanquàm Inſtrumentum Verbi Divini ſibi uniti. Cui Doctoris Angelici Doctrinæ ſubſcribunt Paludanus *in 4. diſt. 1. q. 1. poſt. 1. concl.* Capreolus *in 3. diſt. 15. q. un. a. 3.* Ferrarienſis *3. cont gent. cap. 103. §. ad evidentiam.* Cajetanus *præſ. q. 13. a. 2. §. ad evidentiam.* Medina *ibi. §. Dubium aliud.* Sotus *in 4. diſt. 1. q. 3. a. 5.* Nazarius *eâdem q. 13. a. 5. cont. 2.* Joannes à S. Thomâ *diſp. 15. a. 2. n. 7.* Alvarez *diſp. 66. n. 12.* Suarez *in 3. par. tom. 1. diſp. 31. ſect. 2. & 3.* Valentia *diſp. 1. q. 13. punc. 2.* Yſambertus Sorbonius *hic diſp. 2. a. 11*

Fundamentum eſt. Nam in Concilio Epheſino 1. *can. 12.* definitur: Quòd *Caro Chriſti ſit Vivificatrix propter Unionem ad Verbum.* At, cùm tota ratio meriti pertineat ad animam, nequit caro eſſe vivificatrix in eſſe morali. Ergò ſecundùm cauſalitatem phyſicam. Quod vel maximè procedit de illis miraculis, in quibus Chriſtus carnem ſuam volebat eſſe cooperatricem, ut quando lutum fecit ex ſputo, & linivit oculos cæci nati; & quando accepit panem in manibus, ut illum multiplicaret, tunc enim operabatur Humanitas per verum contactum prævium phyſicum, atque adeò tanquàm Inſtrumentum phyſicum.

CONCLUSIO.

Non tantùm non repugnat, ſed vel maximè convenit Humanitati Chriſti, quòd *phyſicè* concurrerit, & de facto in Cœlis exiſtens concurrat ad effectus miraculoſos in terrâ patratos.

Probatur. Non enim repugnat, imprimi à Deo Cauſæ Secundæ actualitatem, quæ per ſuam phyſicam entitatem habeat connexionem cujuſdam immutationis Paſſivæ, in paſſo aliquo ex ſe *immediatè* profluentis illativam: Sic enim Imperium Angelicæ Voluntatis huic *Formaliter* inexiſtens habet intrinſecam vim motûs localis in ſubjecto *phyſicè immediatè* effectivam. Sic igni infernali eſt Divinitus impreſſa actualitas, paſſionis cujuſdam in Angelicis Dæmonum ſubſtantijs ex ſe *immediatè* ac *phyſicè* illativa, & ut ſic effectiva. At verò ejuſmodi actualitatis vis paſſivæ alicujus in ſubjecto immutationis *immediatè phyſicè* illativa, & ut ſic cauſativa, eſt ſecundùm exemplabilitatem, ex Divinæ volitionis per *Eſſe* omnimodæ creatæ formalitatis in ſe *ſupereminenter* continens, ſpecificatæ efficaciâ ideatam. Eo ipſo autem, quòd iſta Divinæ volitionis efficacia ſit infinitæ exemplabilitatis, conſequenter ex ipſius Ideatione derivari poſſunt actualitates *ſyncategorematicè* infinitæ, quarumlibet paſſivarum immutationum ex ſuâ phyſicâ entitate, ceu reali talium activâ immutationum emanatione illativâ, atque adeò *phyſicè realiter* cauſativæ. Quare non tantum non repugnabat, ut in humanitate Chriſti eſſet actualitas miraculoſarum immutationum *phyſicè* effectiva, ſed id vel maximè congruebat ipſi. Probatur iſtud ſubſumptum. Quia in Chriſti Humanitate omnimoda Potentialitas eſt expleta & actuata. At eo ipſo, quòd Humanitas Chriſti habeat potentiam obedientialem in ratione vis *phyſicè* effectivæ ad quoslibet creatos effectus elevabilem, uti *in 1. tom. q. 8. a. 1. cont. 5.* oſtendimus, conſequenter oportuit, iſtam humanitatis Chriſti elevabilitatem, & in

ratione vis activæ potentialitatem obedientia-
lem esse Divinitùs expletam & actuatam in ijs
præsertim actionibus, quas miraculose produ-
cebat Humana Christi Natura. Oportet igi-
tur, talem effectuum miraculosorum *physicè* effe-
ctivam actualitatem esse humanæ Christi Na-
8. turæ Divinitùs impressam.

Dices ex Mastrio *citato*. Oportere, talem
actualitatem effectuum miraculosorum *physicè*
effectricem fuisse qualitatem vel corporalem;
vel spiritualem. At neque fuisse corporalem,
cùm alioquin non potuisset attingere effectus
spirituales; neque fuisse spiritualem, cum non
posset recipi in subjecto corporeo. Ergo fuisse
9. omnino impossibilem.

Contra. Nã sicuti Materialitas naturæ impor-
tat potentialitatẽ mediante formâ in *Esse* Naturæ
eatenùs actuabilem, ut in substantiâ Materiali o-
porteat, esse compositionẽ ex Materiâ & Formâ;
sic substantia spiritualis dicit simplicem in ratio-
ne Naturæ actualitatem omnimodæ secundùm
Esse naturæ, non tamen secundùm *esse* suppositi,
nisi in Deo, potentialitatis *formaliter* exclusivam.
Unde etiam accidens materiale dicitur, quod
in secundo *Perseitatis* genere intrinsecam speci-
ficationis commensurationem habet cum sub-
stantiâ, essentialem sub ratione naturæ potentia-
litatem importante; cum econtra accidens sit
eo ipso spirituale, dum in secundo *Perseitatis*
genere habet intrinsecam specificationis com-
mensurationem cum substantiâ simplici, om-
nimodi secundum Naturam *Esse* potentialis *for-*
10. *maliter* exclusivâ. At verò in accidentibus super-
naturalibus ita res se habet, ut, si *quoad sub-*
stantiam sint supernaturalia, tunc sub suo etiam
specifico gradu non habeant ullum cum aliquo
subjecto in secundo *Perseitatis* genere specifi-
cationis proportionem: Si verò sint superna-
turalia *quoad modum* duntaxat *Individuationis*, pos-
sint sub suo specifico, non autem Individuo gra-
du habere cum subjecto etiam corporeo ali-
quam in secundo *Perseitatis* modo commensu-
rationem. Hinc autem fit consequens, quòd
actualitas immutationum miraculosarum, *quoad*
modum Individuationis duntaxat supernaturalium
effectrix in Christo fuerit corporea, actualitas
verò immutationum *quoad substantiam* superna-
turalium causatrix fuerit spiritualis.

11. Probatur istud subsumptum. Cùm enim
talis actualitas neque secundùm specificum,
neque secundùm individuum essentialitatis suæ
gradum potuerit cum illo creato subjecto ha-
bere aliquam specificationis commensuratio-
nem, poterat ex solâ Divinâ substantiâ, ejusque
quasi specifico gradu non jam in secundo, sed
quarto duntaxat *Perseitatis* genere specificari.
Atqui accidens nullam nisi ex purè spi-
rituali, imò purissimo Divini specifici *Esse* actu
in quarto duntaxat *Perseitatis* genere specifica-
tionem trahens, non potest non esse spirituale.
Ergo actualitas Humanitati Christi inexistens
miraculorum *quoad substantiam* supernaturalium
effectiva erat omninò spiritualis.

12. Confirmatur. Nam actualitatis alicujus ex
specifico Divini *Esse* gradu specificatio potest
fieri tum in Quarto, tum in Primo *Perseitatis*
genere. At solius Creativæ ad extra emanatio-
nis hoc proprium est, ut, cum ipsius formalis
Terminus sit *Esse*, debeat in Primo *Perseitatis*
genere esse specificata per *Esse* subsistens, tan-
quam Formalem agendi actualitatem. Hinc autem
actio creativa eatenus spectat ad gradum *formali-*
ter intrinsecè ac *essentialiter* Divinum, ut non sit com-
municabilis ulli Creaturæ, etiam quà Instrumen-
to. Quare immutationum *quoad substantiam* su-
pernaturalium, extra Deum tamen *formaliter*
transeuntium *Esse specificè* Divinum in quarto dun-
taxat *Perseitatis* genere est specificativum. Ut sic,
autem habent modum Essendi elevatiorem om-
nimodis creatis substantijs. Ergo non minùs
participant de spiritualitate, quàm Angelicæ
substantiæ. Atqui actualitas in humanitate
Christi effectuum miraculosorum, *quoad sub-*
stantiam supernaturalium *physicè* effectiva non ha-
bet *Essendi* modum inferiorem, quàm effectus
quoad substantiam supernaturales ex ipsâ *physicè*
emanantes. Consequens igitur est, talem Chri-
sti actualitatem fuisse spiritualem. 12.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Primum *n. 2.* oppositum Fundamentum 13.
Respondetur. Posito etiam, quòd miracu-
losorum ac supernaturalium Entium effectiva
Christi Virtus esset una simplex ac permanens
qualitas; Deum tamen, eam infundendo eate-
nus respexisse ad omnimodos ex tali virtute
actualiter prodituros effectus, ut horum nu-
mero ac speciebus faceret omninò commen-
surati illam virtutem. Unde cùm species ta-
lium miraculosorum Christi effectuum non nisi
finitæ per totam etiam æternitatem futuræ sint,
consequenter illam etiam virtutem fore finitam.

Ad secundum *n. 3.* oppositum Respondetur. 14.
Eo ipso, quòd Humanitati Christi fuerit Divi-
nitùs impressa actualitas, illorum effectuum per
suæ physicæ entitatis connexionem intrinsecam
immediatè illativa, & ut sic *physicè* effectiva, po-
tuisse suam efficaciam exercere in subjecta *quoad*
commensurationem quantitativam distantia, licèt
proxima *quoad virtutis contactum*. At licèt vir-
tutis contactus in agente corporeo *connaturaliter*
præexigat contactum etiam quantitativum;
secus tamen esse in supernaturalis activitatis
contactu, utpote superante modum quantitati-
væ commensurationis proprium. Imò sub- 15.
stantiam *quantitativè* distantem posse quandoque
habere virtutis contactum, modò per medi-
um etiam diffundatur iste virtutis contactus.
Sic enim solem in sublunaribus producendæ
formas aliquas substantiales, habere in seipso a-
ctualitatem actionis ex seipsâ in materiam *quan-*
titativè remotam *physicè* profundentis substan-
tialem formæ generationem. Etsi proinde
talis activitatis contactus in Sole exigat quan-
dam in medio diffuso virtutem instrumenta-
riam, hoc ipsum tamen posset per Divinam vir-
tutem eatenus suppleri, ut activitas Solis per Di-
vinam motionem *immediatè*, absque aliquâ a-
ctionis per medium diffusione applicaretur ad
formæ alicujus substantialis generationem ex se
profundendam. De facto igitur dicendum 16.
est, ita accidisse in Humanitate Christi, ut per
quandam Divinæ motionis elevationem habe-
ret virtutis contactum respectu rerum *Quantita-*
tivè distantium, in easque adeò influeret physi-
cam, realem miraculosam immutationem, vi
cujus & resuscitaretur Lazarus ex mortuis, &

sanaretur Puer Centurionis, Dæmonesque, ne in corpora obsessa agerent ampliùs, compescerentur, & Petrus supra Mare ambulans vi quâdam corpori suo impressâ erigeretur, ne per gravitatem suam propriam demergeretur.

17. Ad Tertium *n. 4.* oppositum Respondetur. Patres illis locis catenus separasse Naturalem Humanæ Christi Naturæ operationem à Divinitatis operatione, ut hujus tamen participationem sub actualitatis cujusdam Humanitatem ad effectus miraculosos elevantis impressione factam non negarent, uti sanctus Hilarius *cap. 9. in Matth.* agens de miraculo circa Hæmoroissam facto clarè testatur. *Est autem*, inquiens, *in simplici intelligentiâ magna virtutis Dominicæ admiratio, cùm potestas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque ad vestium fimbrias operatio Divina provideret.* Ex hoc enim manifestè evincitur, sanctum Hilarium sensisse, quòd

18. Divina natura *mediatè* unita Humanitati Christi, ut causa principalis *rebus ipsis caducis* Corpori scilicet mortali Christi Domini, imò & ipsis vestium Christi fimbrijs communicârit *sanitatis efficientiam.* In quem adeò sensum Theophylactus *in cap. 5. Lucæ* dixit. *Tangit iterum, & hoc indicans, quòd sancta ejus Caro Divinam habeat virtutem, & purificet ac vivificet, utpote quæ sit Caro Dei.* Unde sanctus quoque Athanasius *orat. 4. contra Arrian.* ait: *Nisi opera Deitatis Verbi per Corpus patrata fuissent, nunquàm homo Deificatus fuisset.* Plures Patrum Authoritates de hoc videre licet apud Ysambertum *cit. disp. 1. a. 2. & 7.*

❁❁❁❁❁❁❁❁(❁)❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA II

An Potentia Miraculorum operativa in Humanitate Christi sit per modum formæ permanentis, vel transeuntis duntaxat?

1. YSambertus *ad cit. q. 13. disp. 1. a. 4.* præter alios arbitratur, istam Potentiam se habere *permanenter* per modum Habitûs. Fundamentum est. 1. Tunc enim aliqua potestas se habet *permanenter* per modum Habitûs, quando, qui habet illâ habet omnia ad ejus actus exercendos requisita ad nutum suæ Voluntatis paratissima, ut utatur illâ, quando vult. Atqui Christus ut homo omnia & singula ad quodcumque Miraculum faciendum requisita habebat paratissima ad nutum suæ voluntatis, sic enim *Math. 8.* Leproso sibi dicenti: *Domine, si vis, potes me mundare:* respondit Christus cum Imperio, *Volo mundare.* Ibidem *imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna.* Et *Marci 1.* imperat febri, ut discedat à Socru Simonis, & discedit, Socrusque Simonis redditur tota sana. Unde Sanctus quoque Cyrillus *in primâ Epistolâ suâ ad Monachos Ægypti* ita disserit: *Apparuit nobis Dominus noster Iesus Christus, potentiam Deo competentem & Brachium cum Dominatu habens, hoc est, in potestate & authoritate. Unde & Leproso dicebat, volo,*

2. *mundus esto. Ad loculum etiam accessit, & Filium Viduæ suscitavit.* 2. Quia Humanitas Christi in hoc excedebat alios Prophetas, & sanctos, per quos Deus operabatur miracula, quòd alij non haberent hanc potestatem quasi habitualem, ut illâ, cùm vellent, uterentur, sed per modum cujusdam actionis transeuntis illam reciperent, ut Divus Gregorius *lib. 2. dialog. cap. 33.* & S. Thomas 2. 2. *q. 178. a. 1.* tradunt. Sic enim constat ex *lib. 4. Regum. cap. 4.* quòd Elisæus miserit servum suum Giezi cum suo baculo, ut per ejus contactum resuscitaret Filium viduæ, quem tamen non suscitabat absens, sed præsens duntaxat, & non nisi præmissâ oratione, ac incumbendo super illum. Sic Apostoli, licet *Math. 10.* acceperint potestatem ejiciendi Dæmones, & curandi omnem languorem, non poterant tamen *Marci 9.* ejicere spiritum immundum, surdum, & mutum, attestante *ibi* Christo: *Hoc genus Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio,* quos tamen Christus ejecit solo Imperio.

Econtra Ferrariensis *4. contra Gent. cap. 56.* 3.
Sotus *in 4. dist. 1. q. 3. ar. 4.* Medina *præs. q. 13. a. 2. in solut. 4. dubit.* Joannes à Sancto Thomâ *disp. 13. a. 3. n. 17. & 38.* Alvarez *disp. 67.* & alij negant, potentiam Miraculorum effectivam in Christi Humanitate fuisse per modum formæ permanentis, sed motionis transeuntis, quæ tunc tantùm fit in subjecto, quando actualiter exercetur opus Miraculosum. Fundamentum est. 1. Quia quæcumque qualitas creata, cùm sit accidens à subjecto in essendo & operando necessariò dependens, debet eo ipso esse in subjecto creato, & consequenter certis legibus, & limitibus debet esse clausa; atque determinata certo ac limitato operandi modo. Atqui virtus de se factiva Miraculorum non subijcitur alicui legi, neque coarctatur certo operandi modo, utpote quæ sit potestas, & virtus supra omnem naturæ ordinem, & supra modum operandi naturalem. Nequit ergo produci à Deo. 2. Quia 4.
gratia Miraculorum & operatio virtutum non est coarctata ad unum Miraculum, sed extendit se ad omnia, quæ possunt fieri supra naturam. Unde si daretur qualitas de se factiva Miraculorum, esset universale principium respectu omnium Miraculorum. At hoc implicat contradictionem. Ergo etiam repugnat, dari talem qualitatem ad miracula facienda.

Hinc Joannes à Sancto Thomâ citatus *n. 17.* 5.
consequenter ait: Humanitatem Christi constitui in actu primo in ratione instrumenti physici effectivi Miraculorum per Virtutem creatam, quæ sit motio, aut elevatio Dei, seu usus Passivus receptus in ipsâ Humanitate, quo movetur ad producendos effectus supernaturales. Fundamentum est. Quia hæc est differentia inter Agens Principale, & Instrumentale, quòd Principalis causa, cùm operetur per propriam formam, constituatur in actu primo in ratione causæ prius tempore, quàm in actu secundo operetur. Hinc autem fit, quòd causa principalis, v. g. Voluntas ad Deum supernaturaliter diligendum habeat virtutê in actu primo, nimirum Charitatem infusam per modum formæ permanentis. Econtra verò Causæ Instru- 6.
mentales constituuntur per virtutem illis communicatam à superiori agente, à quo elevantur, cùm enim non producant virtute propriâ, sed in virtute superioris principalis agentis, tunc constituuntur in actu primo, quando accipiunt istam virtutem sibi tanquàm inferiori instrumentali

mentali causæ communicatam. Unde causæ instrumentales ut sic tantùm constituuntur in ratione talium pro illo tempore, aut instanti temporis, quo *instrumentaliter* producunt effe-
7. ctum. Et hinc quando Humanitas Christi elevatur ad Justificationem Impij, quæ in instanti fit, tantùm habet virtutem communicatam à Divinitate pro illo instanti, quo constituitur in *Esse* instrumenti effectivi gratiæ. Nihilominùs in illo eodem instanti temporis distingui debet duplex instans Naturæ, ita ut in priori *natura* instanti constituatur Humanitas Christi in ratione instrumenti, ut sic in actu primo, & in alio instanti *Natura* posteriori producat *in-*
8. *strumentaliter* gratiam in actu secundo. Illam porrò motionem seu virtutem Divinam transeuntem in Humanitate Christi ceu Instrumentali Miraculorum causâ ait Nazarius *cit. cont. 4. concl.* 6. non esse qualitatem *formaliter* & *per se primò*, sed *reductivè* tantùm, propriè verò esse actionem physicam.
9. Fundamentum est. Hæc enim virtus *formaliter* & *essentialiter* consistit in actu secundo, qui est applicatio & motio, ac usus rei creatæ, ut instrumenti ad operationem & effectum supernaturalem à Deo intentum. Quia verò hæc ipsa virtus supplet excellenter munus formæ, vel habitûs, aut actûs primi, ideò secundùm hanc rationem ad primam reducitur speciem qualitatis. In quem adeò sensum Divus Thomas *3. p. q. 62. a. 4. ad 2.* ait, Virtutem Instrumentalem non esse *propriè loquendo* in aliquo genere, sed reduci ad genus, & speciem Virtutis perfectæ. At constat, virtutem omnem creatam perfectam sub primâ specie qualitatis contineri. Quia verò potentia, & actus, ad quem per se ordinatur potentia, sunt in eodem genere, ideò considerando hanc virtutem Divinam, quatenus *reductivè* potentia quædam est, ad genus & speciem reducitur actûs per eam producti. Unde virtus applicativa rei, quæ sacramentum est, ad supernaturalem operationem, quæ est productio gratiæ, & gratia ipsa *in fieri*, ad genus & speciem reducitur gratiæ, quæ est in primâ specie qualitatis, virtus autem applicativa Verborum Consecrationis ad Transubstantiationem, aut suscitationem mortuorum, vel multiplicationem panum, ad ipsam transubstantiationem, resuscitationem &c. ut potentia activa ad suos actus, ac proinde ad substantiam, cui identificatur Transubstantiatio, resuscitatio &c. est reducenda, & sic de singulis.

CONCLUSIO.

10. Verisimilius est, quòd virtus Miraculorum operativa in Humanâ Christi Naturâ non se habeat per modum formæ Permanentis, sed per modum Transeuntis motionis ac elevationis, Divinitùs impressæ pro illo instanti, in quo Christi Humanitas operatur aliquem effectum Miraculosum ac supernaturalem.

Probatur. Quia effectus supernaturales per Humanitatem Christi producti & producendi sunt in diverso genere; ita ut alij sint supernaturales *quoad substantiam*, veluti gratia sanctificans per novæ legis Sacramenta *ex opere operato* producenda, unà cum virtutibus ac Donis per se infusis: alij verò sint supernaturales *quoad modum* duntaxat *individuationis*, velut transubstantiatio, actionem specierum Eucharisticarum independenter à subjecto sustentativam ex Christi Corpore pendentem importans: alij denique sint supernaturales *quoad modum efficientiæ*, & ex parte actionis sub gradu saltem individuali spectati, veluti resuscitatio mortui, illuminatio Cœci nati, &c. Etsi verò non implicet, Deum ex suâ infinitâ activitatis exemplabilitate formâsse Ideationem virtutis cum omnibus ejusmodi effectibus sub certo numero ac specie per Divinum Intellectum mensuratis, & ut sic ab Humanitate Christi producendis commensuratam: attamen hoc minùs videtur convenire conditioni Humanitatis Christi.

Probatur istud subsumptum. Nam licèt Divina Verbi Hypostasis Humanitatem Christi elevet ad *Esse* Dei subsistens, a que adeo ad *Esse specificè Divinum*, & ex consequenti etiam *ad Operari* non quidem *absolutè*, sed *participativè Divinum*: In hâc ipsâ tamen elevatione Deus omnia suaviter disponens, eatenùs attendit ad subjecti formarum operationis ejusmodi efficientium susceptivi conditionem, ut propterea Divus Thomas *3. p. q. 12. a. 1.* docuerit, Christi Animam species intelligibiles à Deo infusas recepisse in minori universalitate, quàm Angelos. Pari proinde ratione videtur dicendum, Virtutem miraculorum ac supernaturalium effectuum operativam in Christi Humanitate non fuisse unam simplicem formam, seu qualitatem; sed pro diversitate effectuum fuisse diversam. At isto supposito, non est, cur tot virtutes miraculorum effectivas, quot supernaturales operationes ex Humanitate Christi prodibant & prodituræ sunt, adstruamus in Christo; eò vel maximè, quòd aliquando per sputum, aliquando per verba, aliquando per manus, aliquando mediante fimbriâ vestimenti, aliquando solo animæ interiori imperio, & nutu suo fecerit, & facturus sit aliquos supernaturales effectus. Unde oportebat, hisce etiam rebus pro tunc fuisse Divinitùs impressam motionem effectûs ejusmodi causatricem. At verò non est 11.
cur dicatur, talem virtutem per singula quasi membra divisam, imò & fimbriæ vestimenti, ac salivæ aliquando impressam, à primo statim Incarnationis instanti *formaliter* in se ipsâ substitisse, sed *radicaliter* duntaxat in connaturali Unionis Hypostaticæ exigentiâ, ac in morali potestate animæ Christi, ad nutum suum eatenus paratam Divinam Voluntatem & Omnipotentiam habentis, ut eo ipso sit imprimens motionem supernaturalem effectûs miraculosi effectricem, dum, & in quantum Christi humana voluntas, non nisi conformiter ad Divinæ voluntatis in Verbo visæ prædestinationem expetit; ut propterea *Joan. 11.* dixerit: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Consequens proinde est, Virtutem Miraculorum operativam actualiter per modum transeuntis motionis ac elevationis inditam fuisse pro illo duntaxat instanti, in quo *actu* fiebant effectus ejusmodi miraculosi ac supernaturales.

Dices. Oportere, talem in Humanitate Christi poni virtutem Miraculorum effectivam, vi 14.

 cujus

cujus obedientialis ejus potentia *pro aliquo naturæ priori* fuerit *intrinsecè* elevata, sub ratione vis effectûs supernaturalis in actu primo productivæ, uti patet etiam ex dictis in 1. *tom. q.* 8. *a.* 1. *com.* 5. Hinc autem fieri consequens, quòd, si virtus miraculorum effectuva in Humanitate Christi fuerit transiens, impressa pro illo duntaxat instanti, in quo fiebat effectus ejusmodi; tunc oportuerit, duplicem Divinam motionem existere in Humanitate Christi, alteram scilicet ex parte actûs primi, alteram verò ex parte actûs secundi se tenentem.

15. Contra. Nam hoc discriminis est inter Principalem, & Instrumentalem effectûs alicujus supernaturalis effectivam causam, ut forma vim effectûs supernaturalis *Principaliter* causativam animæ per gratiam sanctificantem elevatæ, ejusvè potentijs tribuens, ita fiat illius propria, ut *quoad exercitium* motioni ac usui ipsius vitali subjecta sit. Unde talis forma debet omninò distincta esse ab actu secundo, utpote qui taliter fluere debeat ex formâ ejusmodi, ut hujus exercitium potentiæ ejusdem receptivæ *Principaliter* sit subjectum.

16. Econtra verò de ratione Instrumenti est, ita operari ultra propriam virtutem, ut vis supra intrinsecam activitatis proportionem communicata, non tam instrumenti, quàm causæ principalis proprio usui ac motioni subjecta sit. Unde motio animæ Christi, ejusque potentiarum, vel actûs alicujus ex ipsâ procedentis, prolationis scilicet verborum, tactûs, vel etiam salivæ, ac vestium ad supernaturalem effectum *instrumentaliter* elevativa ita se habebat, ut non deberet *Effectivè* & *obedientialiter* emanare ex animâ Christi, ejusve Voluntate, vel Intellectu; sed ex solâ Divinitate, ceu causâ principali promanabat in animam Christi, ejusve potentiam, vel actum aliquem, v.g. tactum manûs, sive salivam, sive vestis fimbriam.

17. In cujusmodi adeò actum, seu salivam, sive fimbriam tanquam subjectum eatenus erat impressa illa Divina motio, ut duplicem præstaret effectum formalem. Alterum ex parte actûs primi se tenentem, subjecti potentiam obedientialem eatenus elevando, ut *in actu primo* haberet vim, & activitatem elevatam, & ut sic *in ratione instrumenti physici* proportionatam ad producendum effectum supernaturalem. Alterum porro effectum formalem ex parte actûs secundi se tenentem eatenus tribuebat illa Divina motio, ut non quidem respectu causæ instrumentalis, sed respectu Divinitatis ceu causæ principalis haberet rationem actionis & causalitatis inchoatæ, ex se eatenus inferentis transeuntem miraculosi effectûs productricem actionem, ut illa *physicè* procederet ex illâ Divinâ motione, ac per hanc elevatâ naturali potentiæ *obedientialiter* instrumentariæ entitate. Constat proinde, non esse opus, duas, alteram ex parte *actûs primi*, alteram *ex parte actûs secundi* se tenentes Divinas motiones adstruere, sed unicam Divinæ elevationis actualitatem suffìcere. Quam equidem actualitatem eatenus habere formalitatem actionis ex Deo transeuntis, ut tamen respectu subjecti seu causæ Instrumentalis conveniat ipsi, esse rationem virtutis operativæ, ut sic *ad primum supernaturaliter operandi* actum causam instrumentariam *formaliter* elevantis, ut adeò ex hâc parte non incongruè reducatur ad genus supernaturalis qualitatis.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD primum Ysamberti *n.* 1. oppositum Respondetur. Omnia ad patrandum Miraculum requisita eatenus fuisse, ac esse ad nutum animæ Christi parata, quatenus Deus sit eo ipso impressurus Divinam motionem pro miraculo aliquo necessariam, quando Christi humana voluntas cum Divinâ quoad omnes per ipsam producendos effectus in Verbo visâ voluntate semper conformis, expeteret talem elevationem. Et hinc *radicaliter* tum in unione Hypostaticâ, tum in suâ morali, ad quos libuerit effectus producendos, potestate, ac Dominio virtutem Miraculorum patrativam fuisse *permanenter* in Humanitate Christi, quamvis *actualiter* & *formaliter* sita esset in transeunte aliquâ motione & elevatione. 18.

Ad secundum Ysamberti *n.* 2. oppositum Respondetur. Hoc discriminis esse inter Christum & alios prophetas; quòd ille, non verò isti habuerint radicalem in Unione Hypostaticâ, & prætactâ morali potestate sitam miraculorum effectivam virtutem, pro nutu reducibilem ad actualem Divinam motionem, ac elevationem, ex quâ flueret pro libitu quivis supernaturalis & miraculosus effectus. 19.

Ad primum Joannis à S. Thomâ *n.* 3. oppositum fundamentum Respondetur. Virtutem Miraculorum patrativam ex eo, quòd sit accidens, per sui in subjecto receptibilitatem habere quidem limitationem intrinsecam, subjecto tamen eatenus superiorem, quatenus sit *intrinsecè* supernaturalis. Quare ejus limitationem non *præcisè* ex subjecto mensurandam esse, sed ex Divinæ Ideationis, non nisi sub potentialitatis immersione, nec adeò *simpliciter*, sed *participativè* duntaxat ad extra derivabilis formatione. At verò sub istâ posse stare virtutem miraculorum operativam eatenus limitatam, ut non nisi cum numero ac specie effectuum supernaturalium per Christi humanitatem ex vi Divinæ prædestinationis de facto producendorum haberet commensurationis proportionem. Non igitur sequi, illam virtutem fore infinitam, & impossibilem, si per modum unius simplicis formæ se extenderet ad omnes supernaturales effectus sub certâ per Divinam Voluntatem definitâ specierum ac numeri mensurâ producendos à Christi Humanitate. 20.

Ad secundum ejusdem authoris *n.* 4. oppositum fundamentum Respondetur. Ut aliquod Principium sit *simpliciter* & *absolutè* universale, debere formam agendi in ipso non esse coarctatam sub aliqua *essendi* potentialitate. At formam agendi non coarctatam non esse nisi illam, cujus intrinseca specificatio est per *Esse* subsistens, ceu infinitam *essendi* actualitatem, siquidem modus *operandi* sequatur modum *Essendi*. 21.

Neque verò oportere, vim miraculorum operativam in Christi Humanitate esse fundatam super intrinsecâ per *Esse* subsistens specificatione, sed super intrinsecâ duntaxat secundùm quartum *Perseitatis* modum per *Esse* Divinum ideatâ specificatione, licèt per modum unius simplicis formæ extenderet se ad omnes à Christi Humanitate aliquando producendos effectus. Quare talem formam non fore principium *simpliciter* universale, sed sub Divinæ Ideationis formatione *intrinsecâ* determi- 22.

determinatum ad certam effectuum mensuram & numerum.

COROLLARIUM.

Qualiter Humanitas Christi sit Causa sive Principalis, sive Instrumentalis tum *Physicè*, tum *Moraliter* Effectiva Gratiæ Sanctificantis.

23. INfertur 1. Indubitatum esse, quòd Humanitas Christi sit principalis moralis causa omnimodæ Gratiæ Sanctificantis hominibus collatæ, & conferendæ. Ratio est. Quia teste Concilio Trident. *sess. 6. de Justif. cap. 7.* est Justificationis nostræ causæ Meritoria. At meritum ejusmodi in Christo non est condignum duntaxat, sed *infinitè* superabundans, uti *supra* ostendimus.

24. Infertur 2. Humanitatem Christi non esse physicam Principalem Causam gratiæ justificantis. Ita Zumel *1. 2. q. 112. a. 1. disp. 2. concl. 3.* Suarez *disp. 31. sect. 4.* Ioannes à S. Thomâ *disp. 15. a. 4. n. 3.* contra Medinam *præs. q. 13. a. 3. dub. ult. concl. 8.* asserentem, quòd Christus Dominus sit causa principalis gratiæ, secundaria tamen. Ratio nostræ illationis per Divum Thomam 1. 2. *q. 112. a. 1. & super Epist. ad Ephes. cap. 1.* deducta est. Quia solùm illud, quod est tale per Essentiam, producit ut causa principalis physica, sive primaria, sive secundaria id, quod est tale per participationem. Atqui Humanitas Christi non potest per Essentiam habere Naturam Dei: Gratia autem sanctificans est naturæ Divinæ participatio. Ergo non potest Humanitas Christi ut causa principalis producere gratiam sanctificantem; sed ista effectrix gratiæ causalitas soli Deo attribuitur, juxta istud *Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et *Psal. 67. Deus noster Deus salvos faciendi.* Vide, quæ circa hæc ex instituto tradidimus in *tom. 3. q. 4. a. 2. concl. 1.*

25. Infertur 3. Christi Humanitatem ab instanti præsertim resurrectionis per modum instrumenti physici Divinitati *Hypostaticè* conjuncti, mediante Divinâ per hanc impressâ motione & elevatione, produxisse omnimodam gratiam, & Dona supernaturalia tam vi Sacramentorum ex *opere operato*, quàm sine istis ex *opere operantis* collata. Ratio est. Quia exaltatio Nominis super omne Nomen, nec non omnimodæ potestatis in Cœlo & in Terrâ excellentia, ex tunc in vi præmij sub resurrectionis gloriosæ instanti collata, videtur hanc etiàm prærogativam exigere, ut Christi Humanitas omnimodi effectûs supernaturalis præsertim Sacramentalis, velut Transubstantiationis, nec non infusionis Gratiæ sanctificantis esset secundùm Divinitatis sibi personaliter unitæ elevationem ac motionem physica Instrumentalis causa; eo modo, quo in *præced. controvers.* ostendimus.

26. Neque verò cum Amico *præs. disp. 22. n. 25.* dicere liceret, quòd Concilium Trident. *sess. 6. de Justif. cap. 7.* accuratè enumerans omnes nostræ Justificationis causas, solum Deum alignet ejus causam efficientem, Christum verò hominem vocet C ausam duntaxat meritoriam.

27. Etenim sacrum Concilium circa Justificationis causas eatenus statuit ea, quæ essent per Fidem ac revelationem Divinam certa, ut abstrahendo ab illâ Scholasticâ circa physicum instrumentalem Christi Humanitatis in Dona Gratiæ influxum controversiâ, de hac nihil vel negando, vel affirmando definiret, sed in medio relinqueret expendendam Theologis.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽(✽)✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA III.

Utrùm Humanitati Christi sit Potentia, se ipsam circumscriptivè ponendi in dupliti Loco?

HÆC Controversia excitatur ex eo, quòd, dum Christus Dominus *Act. 3.* licatur: Suscepisse Cœlum usque ad tempus restitutionis omnium, oportebat, Christi Corpus, si quando, veluti per Apparitionem Petro è Româ fugienti, nec non B. Carpo, item Paulo Damascum proficiscenti factam, ac per Consecrationem Sacelli Einsidlensis ab ipsomet Christo Domino personaliter peractam, post Ascensionem in terris se exhibuit, videatur per replicationem extitisse simul in cœlo & in terrâ. 1.

Cui videtur suffragari id, quod Divus Thomas *præs. q. 13. a. 3.* docet: Animam Christi non quidem secundùm propriam naturalem virtutem, sed quà Instrumentum Verbo unitum habuisse respectu Corporis Omnipotentiam, ita ut pro nutu posset ultra naturalem dispositionem & proportionem illud immutare. *Cur non igitur posset Anima Christi per Divinæ Virtutis motionem elevata, Corpus suum circumscriptivè ponere in duplici loco, nisi hujus specialis quædam ostendi possit implicantia?* 2.

Referuntur Sententiæ.

DIvus Thomas *quodlib. 1. a. 22. ad 1. & quodlib. 3. a. 1.* duplicis Circumscriptivæ ad duo loca adæquata unius corporis præsentiæ implicantiam asseruit ex sequenti fundamento. Etenim corpus localiter esse in loco, nihil aliud est, quàm circumscribi ac comprehendi à Loco secundùm commensurationem propriarum dimensionum. At quod comprehenditur à loco aliquo, ita est in loco illo, quod nihil ejus extra locum eum sit. Unde ponere, quod localiter sit in hoc loco, & tamen sit in alio, esset ponere contradictoria simul. 3.

Ex opposito stat Scotus *in 4. dist. 10. q. 2. n. 11.* taliter disserens: Cùm dico, idem corpus simul esse localiter in diversis locis, nihil dico super hoc corpus, nisi quendam respectum extrinsecùs advenientem, fundatum in uno quanto ad aliud Quantum circumscribens. At respectum talem plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, non apparet contrà aliquid notum secundùm rationem: cùm respectus etiam intrinsecùs advenientes, de quibus minùs videtur, possint plurificari, fundamento eodem manente, ad diversos terminos; veluti super eandem albedinem possunt fundari duæ similitudines ad duos terminos. 4.

Thomistæ sui Angelici Doctoris sententiam, speciatim Ioannes à S. Thomâ *in physicâ q.* 5.

ss. a. 1.

16. 4. 5. firmant ex eo; quòd, si unum corpus sub unicâ quantitate existens adæquaretur ab unâ circumscriptione; & nihilominùs poneretur in duplici loco *circumscriptivè*, oporteret, ipsum corpus, ejusque quantitatem dividi, & sic esse simul idem, & diversum. Probatur istud subsumptum. Quia corpus sic positum in duplici loco haberet duplicem superficiem terminantem, ita ut, si simul accederent, tangerentur vero contactu, sicut & tangunt illa loca, in quibus ponuntur. At illa se tangunt, quorum extrema, seu superficies sunt simul. Ergo si corpus aliquod poneretur in duplici loco, deberet habere duplicem superficiem: siquidem si poneretur in loco sibi immediato, verè esset sibi contiguum, verumque ad se contactum haberet, sicuti haberent duæ manus. At verò, si corpus posset poni in duplici loco remoto, consequenter posset poni in loco duplici sibi immediato, itaque habere ad se contactum. Cùm igitur contigua sint, quorum extrema sunt simul, consequens est, tale corpus habiturum duplicem superficiem, atque adeò dividendam fore ejus quantitatem, ac ipsummet etiam corpus.

5. Verùm adversùs istud Fundamentum opponi potest ex Scoto *citato*: quòd plurificato posteriori, non sit necessum, plurificari prius. At *ubi* sunt manifestè posteriora ipso Quanto locato, & accidentaliter & contingenter advenientia. Ergo plurificatis *ubi*, non est necessum, plurificari Quantum locatum, eò vel maximè, quòd in multis alijs, ubi major est connexio secundùm rationem, concedamus, unum sine altero plurificari. Vix autem est aliqua habitudo accidentalior suo fundamento, quàm sit *ubi*, & tamen in alijs habitudinibus non ita pro certò asseritur impossibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum.

6. Confirmatur. Quia non magis adæquat quantitatem sua præsentia ad locum, quàm adæquat substantiam sua præsentia sibi conveniens. At substantia ponitur, posse habere plures præsentias etiam *primò*, cùm sit primus terminus multarum conversionum in multis altaribus, & cum hoc tamen est præsens in Cœlo sub modo quantitativo. Ergo &c.

7. Contra hæc tamen urgent Thomistæ, speciatim Didacus Ortiz *Cursus Philosophici tom. 3. tract. 8. Conf. 3. n. 717.* Implicat enim, quòd multiplicetur effectus formalis alicujus Formæ, quin ipsa forma multiplicetur in suâ entitate. Hinc autem etiam implicat, multiplicari effectum secundarium formæ, quin primarius multiplicetur. Atqui extensio localis est effectus saltem secundarius ipsius quantitatis. Ergo implicat, quòd, si est duplex realiter extensio localis, sit una Quantitas realiter. Oportet igitur, quantitatem in entitate suâ dividi & multiplicari, si habeat duplicem extensionem localem.

8. Verùm istud fundamentum videtur, enervari adhuc posse ex sequenti ratione. Etenim unitas effectus formalis secundarij ad unitatem Corporis quanti se habet per modum proprietatis ab intrinseco connexæ cum essentiâ Quantitatis. At unitas Extensionis quantitativæ, sive unius duntaxat corporis Quanti locatio in uno loco Quanto æquè se habet ad Quantitatem per modum proprietatis ab intrinseco debitæ quantitati. Istâ verò connexione intra ipsam Quantitatis naturam fundatâ haud obstante, potest nihilominùs per absolutam Dei potentiam superari, ita ut duo corpora quanta possint esse in uno loco, Uti patet ex Mysterijs Fidei. Cur igitur esset implicantia, quòd Deus superare non posset illam corpori Quanto debitam proprietatem, vi cujus una quantitas non nisi unicum extensionis localis formalem effectum exigat, maximè cùm aliæ etiam proprietates Quantitatis, v. g. occupatio loci, velut in Corpore Christi in Eucharistiâ; possint Divinâ virtute superari? Quinimò Ortiz *cit. conf. 2. n. 707.* expressis verbis docet: posse Deum secundarium Quantitatis effectum suspendere, manente primario. At verò unitas extensionis localis in uno corpore est Quantitatis effectus duntaxat secundarius. Cur igitur primarius quantitatis effectus, qui est extensio partium in ordine ad se, non posset subsistere, multiplicatâ licèt locali in ordine ad aliud extensione?

CONCLUSIO.

9. Replicationis Circumscriptivæ implicantia evincitur ex isto principio, quòd nimirum implicet, formæ alicujus effectum formalem communicari subjecto jam actuato per formalitatem seu actualitatem similis formæ.

Probatur. Nam istud principium habere in Sacris Concilijs firmum & immobile fundamentum, demonstravimus *in præcedentibus*. At verò si corpus in uno loco *Circumscriptivè* positum, posset in alio etiam loco habere localem extensionem, posset corpus Quantum formalitate Extensionis localis jam actuatum habere formalem similis formæ effectum.

Dices. Non repugnare, idem subjectum, 10. actuari Formalitatibus solo numero diversis: Sic enim in oculo stare possunt simul visiones colorum discretorum, solo licèt numero differentium; cujusmodi adeò visiones erunt unius speciei; sic plures Numericè duntaxat distinctæ relationes insunt eidem fundamento. Sic plures ubicationes Sacramentales inexistunt Christo Domino. Cur igitur pluriu circumscriptivarum ubicationum actuatio pro uno instanti seu tempore repugnet eidem corpori, maximè cùm tales ubicationes sint quædam corporis locati ad locum relativæ commensurationes?

Contra. Nam impossibile est, alicujus formæ effectum formalem communicari subjecto, nisi sub quâdam formali actuationis communicatione. At oculo per albedinis A. v. g. visionem informato, stat ejusdem oculi actuabilitas per visionem albedinis B. Hæc ipsa verò albedinis B. informatio sub ratione diversæ perfectionis individualis tribuit effectum formalē sub formalitate actuationis *Numericè* diversum ab effectu formali informationis albedinis B. Unde sub tali duplici informatione est intelligibilis numerica distinctio in ipso formali effectu ut sic. Similiter cùm totum *Esse* relationis prædicamentalis sit *esse Ad*, oportet, sub respectu ad diversos terminos stare diversitatem forma- 11.

litatum

statū Esse ad in relationibus diversos terminos respicientibus Tunc igitur sub relationib' diversos terminos respicientibus, quà ejusdē fundamenti informativis stare potest diversitas effectuū formaliū ut sic. Denique ubicationes Sacramentales
13. Christi Domini ad diversas species Eucharisticas, important actiones specierū ejusmodi sustentativas. Hæc verò *consummativè* spectatæ recipiuntur in ipsis speciebus Sacramentalibus, tribuēdo illis formalem independentiæ à subjecto substantiali, à Christi verò Corpore ceu principio efficienter sustentativo dependentiæ effectum. Ut sic autem intelligitur in illis ubicationibus diversitas non tantùm formalitatum, sed etiam subjectorum, quibus effectuum formalium ex ipsis resultantium fiat communicatio. At verò, licèt illæ actiones sustentativæ *originativè* & *inchoativè* importent formalitates Divinæ motionis in ipsâmet Christi Domini obedientiali potentiâ receptæ, ut sic ejusdem elevativæ ad diversarum specierum sustentativas actiones ex se profundendas. In illis ipsis tamen Divinæ motionis formalitatibus, quà Christi Domini in Eucharistiâ subsistenti Corpori inexistentibus reperitur diversitas quædam, sub ipsâmet effectûs formalis, Corpori Christi vim impressionis diversarum specierum sustentativæ effectricem communicantis ratione.

14. Econtra verò Ubicatio circumscriptiva *Formaliter* & *Essentialiter* est Entitas locato intrinseca, ut sic importans quantitativam loci cum locato commensurationem seu proportionem. Hæc autem non nisi *fundamentaliter* est relatio prædicamentalis ad locum commensurationis, nec non ad alia corpora distantiæ, vel propinquitatis. Eo ipso autem, quòd istæ propinquitatis & distantiæ relationes *Formaliter* dicant *esse ad*; non repugnat, ipsas in uno subjecto *numericè* multiplicari, quatenus sub istâ numericâ distinctione possunt tribuere diversos *Esse ad* formales effectus. At verò, ut commensurationis ad locum relatio Prædicamentalis sub formalis effectûs ratione in uno subjecto esset multiplicabilis, oporteret, ipsam etiam commensurationem quantitativam *Essentialiter* spectatam; utpote illius *Prædicamentaliter* relativæ commensurationis fundatricem admittere in se quandam formalis effectûs multiplicationem. Repugnat autem, unius quantitatis esse simul plures quantitativas commensurationes.

15. Probatur istud subsumptum. Nam ista commensurationis ratio formalis *efficienter* quidem per motum fluit à principio motivo, attamen in ipsius quantitatis connaturali exigentiâ radicatur, cujus ut sic est actuatio & terminatio *connaturaliter* debita, Divinitùs licèt separabilis à corpore quanto, uti patet ex Corpore Christi quà existente in Eucharistiâ. Atqui talis actuatio ut sic est potentialitatis quantitati propriæ reductiva ad actum formalem. Istâ autem potentialitatis Corpori quanto ut sic propriæ ad formalem sui actuationem reductione positâ, non jam est intelligibilis in quantitate aliqua actualitas, quin sub tali formalitate omnimodè sit reducta ad effectum, seu actum formalem. Nequit ergo per aliam *numericè* distinctam commensurationem, utpote sub formali actuationis ejusmodi effectu nihil diversæ formalitatis continentem informari, sicuti neque materia prima per formam substantialem omnimodè actuata est pro tali instanti aliâ formâ substantiali actuabilis. Cujus ratio à priori sic deducitur. Etenim implicat formam aliquam 16.
in ratione Principij formalis esse sui communicativam, nisi suam formalem intrinsecam formalitatem, & actuationem tribuendo subjecto informationis. At si in duabus *numericè* distinctis formis nihil sit diversitatis sub formalitate actuationis, sed sub connotatione duntaxat diversorum subjectorum, vel diversorum principiorum effectivorum, tunc nequit intelligi, quòd subjecto per talem formalitatem jam actuato possit ab aliâ ejusdem speciei formalitate tribui actuatio quædam, sub ratione effectûs formalis ut sic admittens aliquam diversitatem. Et hinc talis speciei formalitas non est multiplicabilis *numericè*, nisi vel in ordine ad diversa subjecta, vel in ordine ad diversa principia mediantibus motibus diversis realem temporis successionem importantibus, effectiva distinctarum circumscriptiuarum ubicationum. Undè sub ipsâ Ubicationis circumscriptivæ, ceu actualitatis quantitatē, ejusdemq; potentialitatem ut sic *intrinsecè* terminantis non potest intelligi possibilis aliqua pro uno instanti multiplicabilitas, sub quâ idem corpus possit sub uno instanti esse *circumscriptivè* in diversis locis. Confirmatur. Nihil enim formalitatis est possibile nisi per intelligibile Divinæ simplicis intelligentiæ formationem & Ideationem. 17.
At ista Divinâ formatio nequit intelligi esse expressiva formalitatum sub unâ infimâ specie solo numero distinctarum, nisi in hisce sit quædam diversitas, vel sub ipsâmet effectûs sui formalis communicabilitate ut sic, vel sub quâdam ad diversos terminos relatione, vel sub diversorum subjectorum, seu principiorum mediante motu, variationem, & ut sic temporis successionem inferente, tales formalitates recipientium, aut efficientium connotatione. Eo ipso autem, quòd circumscriptiva locatio sub formali quantitativâ commensuratione importet actuationem potentialitatis quantitati propriæ terminativam; neque verò ut sic importet prædicamentalem relationem ad locum, sed talis relationis sit fundamentum, nequit sub formali illius commensurationis communicabilitate intelligi quædam ipsius in uno subjecto multiplicabilitas. Ergo non nisi respectu diversorum subjectorum, vel principiorum, formalitates ejusmodi mediante motu variationem, atque adeò successionem temporis inferente, recipientium seu efficientium, potest intelligi circumscriptivæ Corporis quanti præsentiæ multiplicabilitas.

esponsio ad opposita fundamenta.

AD D. Thomæ *n. 2.* deductam doctrinam 18.
Respondetur. Ex eo, quòd quantitativa corporis locatio importet propriarum ejus dimensionum commensurativam circumscriptionem; optimè concludi implicantiam replicationis circumscriptivæ. Etenim illa commensuratio non est solùm materialis, secundùm extrinsecam ex corpore ambiente denominationem, sed est formalis, quantitatem, ejusque proprias dimensiones catenus actuans, ut po-

tentialitas ipsius essentialis per talis Commensurationis actuationem sit *intrinsecè* expleta. At posità tali actuatione, nihil illius corporis potest esse extra locum illum, eo ipso, quòd propriarum quantitatis dimensionum potentialitatem *intrinsecè* actuans commensuratio nihil in corpore taliter locato relinquat potentialitatis per aliam circumscriptivam locationem actuabilis, sicuti neque subsistentia naturam creatam actuans, in istâ relinquit aliquid potentialitatis per aliam subsistentiam actuabilis. Quemadmodùm igitur ex illo fundamento repugnat, in unâ substantiâ creatâ esse duas subsistentias duplicem subsistendi effectum formalem tribuentes, sic ex præallegato fundamento implicat, uni quantitati, seu uni corpori quanto convenire replicatam circumscriptivam præsentiam. Unde

19. quando Christus Dominus post Ascensionem aliquando in terris sub præsentiâ circumscriptivâ apparuit, oportebat, pro illo tempore non extitisse *circumscriptivè* in Cœlo, ut adeò Christus sit quidem permansurus in Cœlo tanquàm ordinario suo throno ac regno, potuerit tamen per breve temporis spatium quandoque sine Majestatis suæ diminutione recessisse de hoc suo throno, absque spatij intermedij transitu se in instanti locando quantitativè in loco aliquo terrestri, uti patet ex D. Thomâ *3. p. q. 57. a. 6. ad. 3.* in quo satis indicat, illum sacrum textum *act. 3.* ubi Christus dicitur *suscepisse Cœlum usque ad tempus restitutionis omnium*, intelligi debere de Jure & dignitate mansionis cœlestis, ita ut tale Jus sit perpetuum, licèt actualis mansio potuerit aliquando interrumpi.

20. Ad Scoti *n. 3.* oppositum Fundamentum Respondetur. Falsum esse, quòd circumscriptiva præsentia *essentialiter* spectata importet duntaxat respectum *extrinsecùs* advenientem; sed locationem quantitativam esse intrinsecè propriarum quantitatis dimensionum potentialitatis perfectivam per modum actualitatis ex formali ejus quidditate resultantis, non nisi *consequenter* importantis Relativam locati cum loco commensurationem. Quam equidem Relativam commensurationem non esse plurificabilem, nisi suppositâ absolutâ, essentialem quantitatis potentialitatem *formaliter* actuante commensuratione. Hanc verò eo ipso non esse in uno corpore multiplicabilem, quòd quantitatis intrinseca actuabilitas per unius præsentiæ circumscriptivæ actuationem circumscripta, nihil habeat potentialitalis per aliam ejusdem speciei formalitatem adhuc actuabilis.

21. Ad Joannis à S. Thomâ *n. 4.* deductum fundamentum Respondetur: Contactum *formaliter* importare omnimodæ à Corporis contacti superficie indistantiæ Relationem, super absolutâ propriarum quantitatis dimensionum commensuratione fundatam. At verò illam indistantiæ Relationem non tantùm ex intrinsecâ suâ quidditate supponere terminorum distinctionem, sed eo ipso, quòd quantitativa commensuratio omnimodam hujus potentialitatem intrinsecam & absolutam sit *intrinsecè* actuans, repugnare, talem circumscriptivam commensurationem replicari, nisi in diversis superficiebus, adeòque quantitatibus & corporibus quantis realiter distinctis.

22. Ad subtilis Doctoris *n. 5.* deductum fundamentum Respondetur. Plurificato posteriore, necessum esse, multiplicari etiam prius, si illud se habeat ad illud per modum potentialitatis, quoad formalitatem *absolutè* ac *sine respectu ad alium* ipsius informativam *intrinsecè* actuabilis. At præsentiam localem esse *intrinsecè* fundatam in quantitate, esseque hujus potentialitatis *formaliter* actuantem sub ratione formalis communicabilitatis, quantitatem *absolutè* ac *sine respectu ad aliud* ut sic perficientis. Ergo istam, licèt quoad naturæ ordinem quantitate priorem, non fore multiplicabilem, nisi plurificatâ quantitate.

Ad Confirmationem *n. 6.* oppositam Respondetur. Corporis Christi in Eucharistiâ Præsentiam Sacramentalem sub unâ specierum Eucharisticarum sustentativæ actionis formalitate non ita adæquare Corporis Christi substantiam, quin sub alterâ actionem aliarum specierum sustentativam ex se originante formalitate sit adhuc actuabilis. Et hinc disparem esse rationem inter præsentiam Sacramentalem & præsentiam Circumscriptivam, ita ut illa, non autem ista sit in uno corpore multiplicabilis, uti *superius* ostendimus. 23.

Ad Didaci Ortiz *n. 7.* deductam doctrinam Respondetur. Verum omnino esse, quòd implicet multiplicatio effectûs formalis, nisi ipsa etiam forma in suâ entitate multiplicetur. At verò effectum secundarium præter formam *radicaliter* sui contentivam supponere adhuc formalitatem à formâ primarium effectum tribuente *à parte rei* distinctam. Oportere igitur, hujus etiam plurificabilitatem repugnare, dum repugnat ejus formalem effectum multiplicari. Unde cur implicet unius Corporis quanti replicata circumscriptiva præsentia, debet hujus ratio vel maximè desumi ex eo, quòd potentialitas quantitatis in se *absolutè* spectata propria per unam circumscriptivam locationem *intrinsecè* actuata, & terminata non habeat actuabilitatem aliâ adhuc circumscriptione locali perfectibilem. 24.

Ad *n. 8.* oppositum fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd effectûs secundarij ad formam connexio connaturalis ex vi suæ præcisæ connaturalitatis non possit ita ligare divinam potentiam, quin istâ mediante, sit *absolutè loquendo* superabilis. Nihilominùs sub tali connaturali connexione latere quandoque talem Divinæ Ideationis rerum essentias ut sic formantis determinationem, ut Essentialis, atque adeò implicatoria sit repugnantia ad oppositum. 25.

Sic enim quia Divina essentia non nisi sub formalitate *Esse* ut sic est exemplativa & effectiva rerum creatarum, idcircò connaturalis essentiæ creatæ ad existentiam à se distinctam connexio est divinitùs insuperabilis, non ex præcisâ essentiæ ad existentiam connexione connaturali, sed ex Divinâ essentiarum ejusmodi Ideatione, & propriæ efficientiæ quâ Divinæ ratione. Pari proinde ratione, cùm nihil formalitatis sit in rerum naturâ possibile nisi ex Divinâ Ideatione, hæc verò non possit intelligi esse formativa alicujus effectûs formalis nisi mediante formæ alicujus actuatione, nequeat verò in subjecto sub aliquâ formalitate specificâ jam actuato intelligi ulterior actuatio, nisi, secundùm alterius cujusdam formalitatis communicabilitatem intrinsecam, ejusmodi autem formalis Communicabilitatis ratio quantitativæ 26. 27.

ac circum-

ac circumscriptivæ locatione propria non sit intelligibilis in corpore per unam ejusmodi ubicationem jam terminato, & non tantùm *extensivè*, sed quasi *intensivè* quoad intrinsecam suæ potentialitatis actualitatem *adæquatè* actuato, evidenter inferri essentialem, ex vi ipsius Divinæ Ideationis insuperabilem repugnantiam replicatæ Circumscriptivæ locationis. Secùs verò esse de Corporum penetratione, vel extensionis localis à corpore quanto separatione, cùm exinde eatenus impediatur quantitatis effectus secundarius, in ejus connaturali exigentiâ radicatus, ut nulla inde sit respectu Divinæ Ideationis repugnantia. Unde cùm Deus suâ infinitâ virtute superare possit omnimodæ Connaturalitatis exigentiam, dum ista ex Divinæ Ideationis formatione non est involvens essentialem necessitatem, ejusmodi verò necessitas secundùm Divinæ Ideationis formationem se teneat in Quantitate in ordine ad unitatem Circumscriptivæ locationis, nec non in ordine ad Extensionem partium Quantitatis ad se, non verò in ordine ad Extensionem localem, uti nec in ordine ad alterius corporis ex loco per unum corpus quantum jam occupato exclusionem; Idcircò circumscriptivam unius Corporis replicationem esse Divinâ quidem virtute insuperabilem, non verò duorum Corporum in uno loco penetrationem, vel extensionis localis à Corpore v.g. Christi in Eucharistiâ separationem.

28\.



ARTICULUS II.

DE

Dominio Humanitatis Christi.

1\. IN præcedenti Articulo egimus de Physicâ Humanitatis Christi potentiâ, acturi modò de ejusdem morali Potestate, importante præcipuè Dominium tum Proprietatis, tum Jurisdictionis. De quo proinde Christi Dominio duas instituemus controversias. Primam *de Spirituali Christi Regno.* Secundam *de ejusdem Dominio erga res temporales.*

CONTROVERSIA I.

Qualem Christus Dominus habuerit Regiam Spiritualem potestatem?

CONCLUSIO.

INdubitatum est, talem erga Ecclesiam potestatem cum Judiciariâ authoritate competere Christo homini, tum ratione Unionis Hypostaticæ per modum dignitatis *connaturaliter* debitæ, tum ratione meritorum per modum præmij ex Justitiâ retributi.

Probatur. Nam David in Personâ Christi effatus est *Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* At sub nomine *Sion* Sanctus Augustinus *ibidem* intelligit Ecclesiam, quam montem appellat propter eminentiam, & firmitatem ejus. Convenit igitur Christo Regia potestas in Ecclesiam. At verò ista dignitas & authoritas oritur ex duplici titulo Unionis scilicet Hypostaticæ, & meritorum Christi Domini. Probatur istud assumptum. 3.
Tum quia Angelus factâ Incarnationis Divinæ annuntiatione *Lucæ 1. cap* statim subjunxit. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* In hisce enim verbis Regia in domum Jacob, seu Populum Judaicum potestas Christi pronuntiata fuit absq; respectu ad merita. Quod 4.
equidem Regnum, ne intelligeretur se extendisse ad Israeliticam duntaxat plebem, dictum est de Christo *Psal. 71. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Ergo Regia in Universam Ecclesiam potestas concessa est Christo homini etiam antecedenter ad merita. Unde *Joan. 5.* dicitur etiam de Christo: 5.
Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. At quia *Tò Filius hominis* importat suppositum, idcircò quatenus applicatur Christo Domino, designat humanitatem; quà unitam Verbo Divino. Ergo ratione Hypostaticæ cum Verbo Unionis concessa est illi judiciaria potestas propria Regiæ in Universam Ecclesiam authoritati. Unde & Daniel prophetabat. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus Cœli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi & tribus, & linguæ ipsi servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ex quibus adeò patet, potestatis ejusmodi ac Regni concessionem ex eo factam esse, quòd filius hominis pervenerit ad Antiquum dierum, & ut talis sit oblatus Deo, tanquam Antiquo dierum. At Christus quà filius hominis pervenit usq; ad Antiquum dierum propter Hypostaticam Humanitatis cum Verbo Unionem, ratione cujus ipsi communicata fuit infinita increatæ Hypostasis, imò ipsius etiam Divinitatis sanctitas & dignitas. Ergo ratione talis Unionis ipsi concessa est illa Regia potestas. 6.

Nihilominùs de eodem Christo Domino canit Ecclesia, *Regnavit à Ligno Deus.* At per hoc datur intelligi regiam Christi potestatem erga Ecclesiam esse ex meritis in Cruce consummatis. Unde & *Roman 14. cap.* dicitur: *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Quibus proinde verbis insinuatur, Christi Domini in Vivos ac Mortuos Dominium dependere ex ipsius morte, atque adeò meritis. Quare dicendum est, regiam potestatem in Ecclesiam, seu regnum, quod ipsomet Christo teste, non esset de hoc mundo, sed Mysticum ac spirituale, convenisse Christo Domino ex duplici titulo tum Unionis Hypostaticæ, tum meritorum ipsius. Quem adeò duplicem in Christo titulum designavit Psaltes *cit. Psal. 2.* ubi, cùm Pater Æternus dixisset Christo Domino, tum quòd *Filius suus esset, quem hodie genuisset, tum quòd, si à se postulaverit, vellet ipsi dare gentes hæreditatem suam, & possessionem suam* 7.
8.

terminos terræ, mox inducitur Christus de se locutus: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Sub quibus adeò Propheticis verbis constitutio Christi in regem super Ecclesiam clarè inducitur concedenda, tum ex titulo Unionis Hypostaticæ per hoc insinuatæ, quòd Christus esset Filius Æterni Patris, quem & in æternitate per generationem Divinam, & in tempore per Incarnationem, seu Unitivam Humanitatis cum Verbo Unionem genuisset, tum ex titulo meritorum per hoc insinuatorum, quòd dependenter à postulatione vellet ipsum constitutum super Sion, sive Ecclesiam etiam Gentium, tanquàm hæreditatem suam.

9. Quemadmodùm igitur ista regia potestas, in illo duplici fundatur titulo, sic ejus exercitium non tantùm est secundùm authoritativam suorum meritorũ applicationẽ, partim in Sacramentis factam ad gratiam ex opere operato conferendam, partim bonis nostris in gratiâ factis operibus conjunctam ad sui pro vitæ æternæ condigno merito in conspectu Dei acceptationem: sed insuper, quia vi Unionis Hypostaticæ competit Christi Humanitati quædam in omnes effectus supernaturales virtutis *Physicè* effectivæ elevatio; Idcirco prætacti Dominij ac regiæ Christi Domini potestatis exercitium est etiam *quoad Physicam* omnimodi à mortis suæ saltem instanti, facti supernaturalis effectûs *effectricem causalitatem.*

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Quale fuerit Christo homini erga temporalia Dominium?

1. QUæstio procedere potest ex duplici titulo. An scilicet 1. *Christus Homo ex titulo Nativitatis, utpote de regiâ Davidis stirpe progenitus habuerit aliquod Ius in regnum Judaicum? 2. An ex titulo Unionis Hypostaticæ habuerit dominium universi mundi, ejusque regnorum?*

2. Et quidem circa primum Armacanus *lib. 4. quæst. Armenicar. cap. 15.* arbitratus est: Christum Dominum ex vi generationis temporalis fuisse regem Judæorum. Verùm facilè refellitur. Tum quia regnum temporale Davidis in formâ Principatûs permansit tantùm usque ad Machabæos, qui erant de progenie David per lineam Maternam, uti notat D. Augustinus *12. de Civit. Dei. cap. 45.* Et verò sub adventum Christi fuisse extinctum regnum Judaicum, eruitur ex illâ Prophetiâ Jacob *Gen. cap. 49.* affirmantis. *Non auferetur sceptrum de Iudâ, & Dux de femore ejus,*
3. *donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Tum quia si quis dicat, hæc procedere quidem de facto, non tamen de Jure, sed Jus Dominij in temporale regnum permansisse penes descendentes ex regiâ Davidis stirpe: Ne tunc quidem asserere licet, Regnum Davidicum ex titulo Generationis temporalis, seu de Jure successionis fuisse penes Christum Hominem, eò quòd Beatissima Virgo descenderit ex David per Nathan: uti patet ex *Lucæ 3. cap.* successio autem Regni Davidici fuerit per Salomo-
4. nem. Tum denique licèt S. Joseph fuerit ex successione Salomonis, Christus tamen Dominus non erat ejus Filius, nec constat, Principatum Judaicum S. Joseph, ut legitimo successori debitum fuisse. Quare missis istis, restat exponendus secundus ex Unione Hypostaticâ desumptus in Christo homine titulus.

Referuntur Sententiæ.

CArdinalis de Lugo *disp. 30. sect. 1.* cum alijs docet. 1. Non posse negari, quòd Christus habuerit aliquod Jus regis, saltem in actu primo in universa regna, & in omnes res mundi. 5.
Fundamentum est. Quia sicuti ratione Unionis Hypostaticæ debentur Christi Humanitati aliæ excellentiæ, potestas patrandi miracula, plenitudo scientiæ, Visio clara Dei in summo gradu, Dignitas capitis, & hujusmodi: Sic debetur ipsi dignitas Principatûs, & Regnum in omnes res creatas. Unde Sacræ Scripturæ Christum vocant Regem & Dominum. *Apoc. 1. Princeps Regum terræ.* Et *Act. 10. Annuntians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus.* Et *1. ad Corinth. 11. Omnia subjecta sunt ei, præter eum, qui subjecit ei omnia.* Et hinc est, quòd Christus homo & Angelis & hominibus possit præcipere in quâcunque materiâ non solùm spirituali, sed etiam temporali in ordine ad Gubernationem Politicam, vel temporalem Universi: v. g. potest alicui Angelo mandare, ut taliter moveat Cœlum, ut aliquas causas naturales applicet ad generandam pluviam, & similia.

2. Idem de Lugo *sect. 2.* ponit in Christo homine etiam Dominium in actu primo erga res universas. 6.
Fundamentum est. Quia Christus homo, cui procul dubio potestas tradita est à Patre, moderandi pro libitu hoc Universum, potest licitè per ministros suos, Angelos videlicet, vel dæmones, morti homines tradere, non solùm in pœnam delictorum, sed alias etiam ob causas v. g. ne malitia mutet intellectum alicujus justi; vel etiam ob bonum commune, ne aliquis puer, si ad ætatem virilem veniat, impediat fratrem minorem magnæ indolis succedere in regno, vel denique propter majorem gloriam Ipsius Christi. Hoc autem argumentum videtur pleni Dominij. Quod enim majus Dominium, quàm posse de vitâ servorum disponere absque eorum injuriâ? Unde Christus de se ipso dixit *Math. 10. Non est Discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum.* Et *Joan. 13. Vos vocatis me Magistrum, & Dominum, & bene dicitis, sum etenim.*

Verùm 3. Author *citatus sect. 1. n. 8.* ait, illam Dominij, & regni potestatem Christo homini convenisse solùm in actu primo, eò quòd noluerit sibi assumere exercitium, & munus regnandi in temporalibus Provinciam, vel regnum aliquod. Hinc enim cuidam petenti *Lucæ 12. Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, respondit, *Homo, quis me constituit Judicem, aut divisorem inter vos?* scilicet quoad usum & exercitium. Unde *Joan. 18.* dixit etiam Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et *Joan. 6.* cùm vellent eum constituere regem, *fugit in montem.* 7.

Etsi verò potestas regia in actu primo, & Universale Dominium, Cardinali de Lugo *cit. sect. 2. n. 23.* advertente, competierit Christo homini à primo statim conceptionis instanti: Hinc enim, cùm introduceretur à Patre in or- 8.

bem te

bem terrarum, jussi sunt Angeli, eum adorare, utique ut Regem & Principem suum. Nihilominùs post mortem, & resurrectionem suam dicitur illam potestatem accepisse, quia tunc accipiebat ejus usum & exercitium, sive Dominium expeditum. Et hinc *Math. ult.* dixit post Resurrectionem: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & terrâ.* Et *ad Rom. 14. In hoc mortuus est, & resurrexit, ut vivorum & mortuorum dominetur.*

9. Ysambertus Sorbonicus *ad praes. q. 22. disp. 3. a. 2. & 3.* pluribus alijs Doctoribus allegatis, docet 1. Christum Dominum quà hominem non habuisse Dominium aliquod vulgare & humile, sive quoad proprietatem, sive quoad Jurisdictionem in aliqua regna mundi. Fundamentum est, tum ex allegatis Sacrae Scripturae textibus, tum ex eo, quòd Christus Dominus *Math. 8.* de se ipso dicat: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum.* Et hinc dum in Extravagante *Cùm inter nonnullos.* & Extravag. *Quia quorundam. De verborum significat.* à Joanne XXII. definitur: Christum Dominum & Apostolos habuisse rerum aliquarum Dominium, eo ipso insinuatur, non fuisse Dominos rerum omnium eo speciali modo, quo homines solent possidere res aliquas. Unde Sanctus quoque Augustinus *tract. 15. in Joann.* ita differit de Christo homine: *Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostes visibiliter debellandos venit.*

10. Author citatus docet 2. Christo Homini convenisse Dominium altum tam Jurisdictionis, quàm proprietatis in omnia regna mundi, & Universas res creatas. Hinc enim dici *Heb. 1. Constitutum esse heredem universorum.* Et *apocal. 19.* dicitur, *in femore ejus* (id est humanitate ipsius) *scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.* Cu-

11. jusmodi equidem Dominium exercuit, dum *Math. 8.* & *Luca 8.* ejiciens legionem dæmonum ab homine, concessit ipsis, ut intrarent in porcos, non absque magno damno Gerasenorum. Et *Math. 12.* arefecit ficulneam, in quâ fructum non reperit. Item *eod. cap. Math.* jubens, ad se adduci asinam, quam reperirent alligatam, & pullum ejus, subjecit: *Si quis autem aliquid dixerit: dicite,*

12. *quia Dominus his opus habet.* Denique *Joann. 18.* cùm Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ad ipsum adducerent, & coram ipso accusarent, ex vi Dominij alti Jurisdictionis absolvit ipsam non tantùm à reatu peccati, sed etiam à pœnâ lapidationis in lege Moysis indictæ.

CONCLUSIO.

Christo homini vi Hypostaticæ cum Verbo Unionis erat Dominium Jurisdictionis & proprietatis eminentiale, non autem formale, super omnia regna mundi, & universas res creatas.

Probatur. Nam istud Dominium Eminentiale erat Jus sub se continens quæcunque tam spiritualia, quàm temporalia tum proprietatis, tum Jurisdictionis Dominia, cùm econtra Dominium formale sit potestas moralis disponendi pro libitu circa ipsammet rem Dominio ejusmodi subjectam. At verò licèt Christus nollet sibi appropriatum Jus aliquod in res temporales, nisi paucissimas; attamen tum titulo Hypostaticæ Unionis à primo conceptionis instanti, tum titulo meritorum à die resurrectionis suæ habebat supereminens quoddam Jus, vi cujus Regum ac Dominorum temporalium Jura posset pro libitu destruere, vel transferre, vel sibi appropriare. Et hinc quando illi, qui petebat, ut fratri suo mandaret hæreditatis divisionem, respondit, quis me constituit Judicem? clarè insinuavit; nolle sibi venditare formale Jurisdictionis Dominium. Quando verò mulierem in adulterio deprehensam à pœnâ lapidationis absolvit, evidenter ostendit, esse sibi Jus Mosaicæ Legi supereminens ad absolvendum. Quando insuper se omninò egenum fassus est, ita ut non haberet, ubi caput suum reclinaret, Dominij formalis in res temporales abdicationem à se profitebatur. Quando verò de rebus temporalibus aliorum Dominio subjectis pro libitu suo disposuit, Jus suum Eminentiale omnium Regnorum Jura, ac Universorum Dominia sibi subjecta continens palam in se testatus est. 13. 14. 15.

16. Vi cujus equidem eminentialis Dominij eatenus habet moralem potestatem, ut pro libitu citra cujusque injuriam cum vi aliorum etiam Jura extinguendi, possit de quibuslibet non tantùm terrestribus & elementaribus rebus, sed influxibus etiam cœlestibus, imò & astrorum motibus, solis v. g. cursu in novo etiam testamento ex speciali providentiâ Divinâ ad Hæreticos in acie profligandos aliquando retardato, nec non solis & lunæ præsertim in die judicij extremi Immutationibus disponere, quinimò vi ejusdem Dominij habeat in morali suâ facultate motiones quoque Divinas potentiæ suæ obedientialis elevativas ad quosque miraculosos & supernaturales effectus. Et hinc vel maximè verificatur, Christi regnum non esse *de hoc mundo*, vel non esse *hinc*, quòd, licèt illud Christi hominis Eminentiale Dominium comprehendat omnia etiam terrestria, eo ipso tamen non possit esse *hinc*, dum & radicatur in Unione Verbi Hypostaticâ, & per naturam suam sublimius est quocunque puræ creaturæ rationali competente Dominio; & per Eminentiam suam habet virtutem omni creato Dominio eatenus superiorem, ut omnia Jura ejusmodi teneat sibi subjecta sub pedibus suis. 17.

***



QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

DE

NONNULLIS CHRISTI HOMINIS ATTRIBUTIS.

1\. Ribus Articulis constabit præsens Quæstio. Primus erit *de Sacerdotio Christi,& officio Mediatoris.* Secundus, *Qualiter conveniat Christo, esse subjectum, Servum, & Filium adoptivum Dei?* Tertius, *Qualiter Christus dici possit prædestinatus?*



ARTICULUS I.

DE

Christi Sacerdotio, & Officio Mediatoris.

1\. CHristum fuisse verum Sacerdotem, ex eo evincitur, quòd oblatio sacrificij sit propria Sacerdotij. At in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1. & 2.* definitur, Christum obtulisse verum Sacrificium. Est autem Sacrificium à Christo oblatum duplex, alterum cruentum in Cruce, de quo dicitur ad *Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & Hostiam Deo in odorem suavitatis.* Cujus Sacrificij ipsemet etiam Christus meminit *Joan. 17* dicens; *Et pro eis ego sanctifico meipsum.* Alterum proinde Sacrificium incruentum est Eucharisticum; cujus probatio desumi potest *ex 1. ad Corinth. 10.* ubi dicitur, non posse eos, *qui participatione mensæ Dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri.* At per mensam hic intelligi Altare, declarat citatum Tridentinum Concilium *cap. 1.* Non est autem Altare, nisi in ordine ad Sacrificium. Est igitur oblatio seu consecratio Eucharistiæ Sacrificium. Cùm ergo Christus obtulerit Sacrificium, consequens est, ipsum fuisse Sacerdotem.

********)(********

CONTROVERSIA I.

Quale fuerit Christi Sacerdotium, & quos habuerit effectus?

1\. CHristus Dominus *Psalm. 109.* dicitur *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, non quidem successione, sed repræsentatione. Etenim Sacerdotium Melchisedech neque *Formaliter* in se ipso, neque *Effectivè* ratione effectuum erat perpetuum. Econtra verò Christi Domini Sacerdotium est æternum tum *Causaliter*, ac *Effectivè*, ratione suorum effectuum, gratiæ scilicet & gloriæ ex Crucis Sacrificio, ejusque meritis derivatæ in Sanctos & Electos Dei. Erat insuper æternum seu perpetuum *formaliter*, tum perpetuitate restrictâ ad statum præsentem Ecclesiæ, quatenus scilicet Christi Sacerdotium unà cum statu præsenti Ecclesiæ usque in finem Mundi eatenus sine interruptione est duraturum, ut Christus in Sacrificio Missæ sit adhuc Principalis offerens: tum æternitate *strictè* & *propriè* sumptâ, quatenus post diem quoque Iudicij per totam æternitatem potest Christus Homo facere actum aliquem Sacerdotij situm in precibus publicis, seu meritorum in Cruce consummatorum, sub Æterni Patris conspectum oblatione, ac repræsentatione ad impetrandum v. g. alicui sancto quandam Gloriam accidentalem. Nequit ergo Christi Domini æternum Sacerdotium comparari cum temporali Melchisedech Sacerdotio, nisi secundùm quandam figuralem repræsentationem.

Cujus equidem figurativæ similitudinis conditiones expressit Paulus Apostolus *ad Heb. 7.* Nam *primò.* Melchisedech idem sonat, ac Rex Iustitiæ; eratque Rex Salem, id est pacis. At verò Christus Dominus offerendo Sacrificium, peccatorum nostrorum ex Justitiâ expiativum, sibi & Patri eatenus reconciliavit mundum, ut Justitia & pax se invicem oscularentur. *Secundò.* Melchisedech *in præcitato 7. ad Heb. cap.* dicitur, fuisse sine Matre & absque genealogiâ, quòd scilicet in sacris litteris nulla fiat mentio ejus genealogiæ, & Patris, ac Matris ipsius. At per hoc figurabatur, quòd Christus quà homo esset sine Patre, & quà Deus sine Matre. *Tertiò* in eâdem scripturâ inducitur Sacerdotium Melchisedech sine Principio & Fine, dum nimirum neutrius in sacris litteris fit narratio. At Christi Domini Sacerdotium quoad Dignitatem importat Hypostasin Verbi per æternam generationem absque ullo Durationis initio procedentis à Patre: Quoad potestatem verò Sacrificandi, & ut sic in signum suæ subjectionis se immolandi importat Humanitatem absque

ullo

nullo fine per æternitatem subsistentem in supposito Verbi Divini, cum authoritate offerendi merita sua per Crucem consummata, atque adeò exercendi actum Sacerdotij.

5. *Quartò.* Quia Melchisedech fuit Rex simul & Sacerdos non Gentilium duntaxat, sed etiam Judæorum, ita ut obtulerit Sacrificium etiam pro Abrahamo. At Christus Dominus & Gentium & Judæorum erat Sacerdos, pro utrisque sanctificans se ipsum.

Quintò. Nullus in Sacerdotio Melchisedech narratur sacerdos, qui ipsi successerit. At Christus Dominus instituit quidem Apostolos in suos Ministros, non autem successores.

Sextò. Sacerdotium Melchisedech, uti & Christi Domini, erat superiùs Sacerdotio Aaronico, cùm ille fuerit Aarone superior, utpote cui in Abrahami lumbis contento benedixerit, ac exinde ut superior decimas acceperit.

6. *Septimò* denique addi potest, quòd, sicut Melchisedech panem & vinum obtulit, sic sublimiori ratione Christus Dominus panem & vinum *Transubstantiativè* convertendo in suum Corpus & Sanguinem, obtulerit panem & vinum, horum substantias destruendo per modum Sacrificij, & se ipsum tanquam panem, vinum, suumque sanguinem, ex ipsomet ceu vite verâ in Christo expressum sub speciebus panis & vini offerendo.

Quibus adeò suppositis, restant hic examinanda. Primò. *Utrùm Sacerdotij munus conveniat Christo qua Deo, vel qua Homini?* Secundò. *Utrùm Christus Sacerdos etiam pro se ipso potuerit offerre sacrificium?*

Conclusio I.

7. Sacerdotij munus *quoad Dignitatem* conveniebat Christo ratione Hypostasis *immediatè*, & ratione Deitatis *mediatè* unitæ cum Humanitate: at *quoad potestatem* offerendi Sacrificium competebat ipsi ratione Humanæ naturæ, quà Verbo Divino *Hypostaticè* unitæ.

Probatur. Quia circà Sacerdotium Christi considerari possunt tum Dignitas Sacrificantis, quà potentis offerre Sacrificium infiniti valoris, tum ipsa potestas sacrificandi, tum prima radix, ex quâ quodammodò dimanat ista potestas. At Sacrificij à Christo oblati valor infinitus est *formaliter* derivatus ex infinitâ Christi Hypostasi, ac ex Deitate per sui cum Humanitate Sacrificium ejusmodi offerente unionem Hypostaticam sive mediatam, sive immediatam profundens in actum Sacrificij illam ipsam Hypostasis Christi ac Deitatis Dignitatem, utpote super quam fiebat moralis quædam reflexio oblationis, & quasi subjectionis ac Humiliationis, dum in Sacrificio Crucis Christus personam suam, ceu Principium *Quoad* actûs sacrificandi humiliaret, factus obediens usque ad mortem. Manifestum igitur est, Dignitatem Sacrificij Christi tam *quoad valorem Sacrificij*, quàm *quoad potentiam offerendi Sacrificium infinitè dignum* esse *formaliter* ex Hypostasi Verbi Divini.

8. Deinde Potestas offerendi Sacrificium ut sic, abstrahendo à Dignitate tum sacrificantis, tum ipsius Sacrificij importat Principium Humiliationis erga Deum. At actus Humiliationis ut sic *quoad Substantiam, suique existentiam* respicit Principium creatum. Humanitati igitur Christi, quæ secundùm se, ac secundùm potentiam suam obedientialem erat Principium *Quo* Radicale, secundùm infusas verò Charitatis & Justitiæ erga Deum virtutes Principium *Quo* proximum actûs sacrificandi, *quoad Entitatem ac substantiam suam* spectati, competebat potestas sacrificandi. At verò in illis ipsis actibus sacrificandi erat formalitas alicujus erga Deum, ceu Primùm universale Principium & supremum Dominum protestationis, exhibitæ à Personâ publicâ, quâ universi generis Humani voluntates in se *moraliter* translatas sub eminentiali quâdam ratione habente. At verò ista eminentialis omnium hominũ sub Christi Sacrificio inclusorum continentia, ipsaque adeò potestas non vicaria, sed eminentialis Sacrificium loco universi generis Humani offerendi, itaque Deum pro peccatis placandi, in Humanitatem Christi fuit derivata ex unione Hypostaticâ.

Constat igitur, Potestatem sacrificandi eatenus convenisse Humanitati Christi, ut ejus tamen radix prima esset unio Hypostatica, imò Sacerdotij Dignitas in Christo esset *formaliter* per infinitam Verbi Hypostasin, ac Deitatis Sanctitatem personalem. Et hinc Cardinalis de Lugo *disp. 29. sect. 1. n. 7.* ait, optimam esse locutionem, quâ dicitur, *Christus ut Christus seu Homo Deus est Sacerdos.* Cujus propositionis fusiorem expositionem videre licet apud Cardinalem citatum.

Conclusio II.

Neque simpliciter dici potest Christus, pro se obtulisse Sacrificium, neque effectus Sacerdotij Christi *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat redundare poterat in ipsummet Christum. 9.

Probatur. Nam in Concilio Ephesino *To. 1. Concil. cap. 14.* ita definitur: *Si quis dicit, Christum pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solùm (non enim indiguit Sacrificio, qui peccatum nescit) anathema sit.* Ex quo adeò patet, oblationem Sacrificij *formaliter* quà talis, respicientis peccati expiationem, non posse offerri nisi pro illo, qui peccato obnoxius esse potest. Et hinc Sacerdos constituitur medius inter Deum & Populum; quòd, dum Populus peccatis scilicet præpeditus per se ipsum accedere non potest ad Deum, mediante sacerdote patere debeat accessus ejusmodi. At verò Christo non competebat, ut indigeret Mediatore, utpote de quo Apostolus *ad Heb. 7.* taliter disserat; *Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ergo non conveniebat Christo, offerre pro se Sacrificium; sive in se suscipere effectum Sacerdotij, sed potiùs ipsum alijs communicare, uti Divus Thomas *præs. q. 22. ar. 4.* argumentatur.

Dices, Sacerdotem tam novæ, quàm antiquæ legis potuisse pro se offerre Sacrificium. Ergò non esse, cur dicatur sacerdos quoad omnes effectus sui sacerdotij eatenus esse medius inter Deum & populum, quin in suam etiam perso- 10.

nam

nam redundare possit sacrificium. Quinimò Christum ex morte suâ ceu sacrificio, atque adeò actu sacerdotij accepisse gloriam Corporis, & exaltationem sui Nominis. Ergo sacerdotij ipsius effectum fuisse communicatum Christi quoque Humanitati.

11. Contra. Nam in actu sacerdotij, seu sacrificio duo sunt consideranda, alterum ex parte offerentis, Dignitas nimirum, sub quâ possit *authoritativè* accedere ad Deum, alterum ex parte illius, pro quo offertur sacrificium, ejus nimirum indigentia. At in sacerdotibus novæ legis tanta est quoad gratiam, & à peccatis puritatem indigentia, ut in genere effectuum ad lineam gratiæ sanctificantis spectantium non possint habere Dignitatem, & Authoritatem accedendi in suâ personâ ad Deum, sed in Personâ Christi duntaxat. Et hinc, licèt Sacerdotes novæ legis in ordine ad obtinendos effectus lineam gratiæ sanctificantis respicientes, possint offerre pro se sacrificium, hoc tamen non faciunt nisi *ministerialiter*, ita ut indigeant alio principali sacerdote, scilicet Christo, tan-
12. quàm mediatore inter Deum & Homines. Etsi verò sacerdos Aaronicus posset etiam pro se offerre Sacrificium, hoc tamen non habebat vim ullam intra lineam interioris sanctificationis ac peccatorum remissionis. Unde quoad istam lineam utpote respectu omnis creabilis substantiæ superexcessivam, nec nisi cum Hypostatico ordine omnimodæ peccabilitatis ac *in genere morali* defectibilitatis *formaliter* exclusivo proportionabilem specialiter procedit, quòd non sit intelligibilis Sacerdos per se ipsum potens *de condigno* accedere ad Deum, nisi sit de Hypostatico Divinæ alicujus personæ cum intelligentiâ creatâ unionis ordine. Atqui tales hypostaticam Divinæ Personæ sanctitatem *intrinsecè* communicans Sacerdos neque potest habere defectibilitatem in *genere morali*: neque indigentiam ullam in lineâ sanctitatis & Justitiæ erga Deum. Ergo in tali lineâ nequit dari sacerdos, nisi medius inter Deu & populum: neque potest pro se offerre sacrificium *formaliter* spectatum, utpote indigentiæ ejusmodi ex parte illius, pro quo offertur, protestativum, nec adeò effectus Sacerdotij quà talis *formaliter* spectatus potest in ipsum redundare, sed *materialiter* duntaxat consideratus *quoad substantiam meriti*, quà ex Dignitate Personæ infinitâ dignificati, ut sic in Christo *de Condigno* meritorij gloriæ Corporis, & exaltationis nominis ipsius. Constat igitur, effectum sacerdotij non *formaliter*, sed *materialiter* duntaxat redundasse in Christum.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter Christo Domino conveniat officium Mediatoris?

1. CHristo Dominò convenire officium Mediatoris, evincitur ex illo 1. *ad Timoth. 2. Unus est Mediator Dei & Hominum homo IESVS Christus.* Ex quo statim occurrit difficultas per modernos hæreticos mota. Quo Jure igitur Beatissima quoque Virgo ab Ecclesiâ salutetur Mediatrix nostra? Verum ista difficultas facilè evanescit, si distinguatur Mediator in Principalem, ac Ministerialem seu secundarium. Etenim Christus independenter ab aliâ Causâ quà meritoriâ, atque adeò officium Mediatoris gerente, *Authoritativè* habet Dignitatem Mediatoris, quatenus merita sua de se habent valorem condignum Æterno Patri secundum Justitiæ æqualitatem reconciliandi Humanum genus, & quodvis gratiæ effectus promerendi; cùm econtra Beatissima Virgo non ex vi meriti condigni, sed congrui & impetratorij, non nisi dependenter à meritis Christi quà causis moralibus, non tantùm effectivis, sed cooperativis, imò secundùm extrinsecam quandam conjunctionem Dignificativis habeat officium Mediatricis non *authoritativè*, adeòque *independenter* ac *principaliter*, sed *ministerialiter* ac *dependenter* exercendum.

Etenim ad hoc, ut preces ac merita Sanctissimæ Deiparæ sortiantur effectum nobis impertiendum, oportet, esse eatenùs acceptata à Patre Æterno, ut eorum intuitu decernat effectum ejusmodi. At, licèt preces & merita Beatissimæ Virginis Mariæ non nisi mediante auxilio, & influxu Dei, ex Christi meritis Divinitùs definito, facta habeant tum ex suâ intrinsecâ Honestate supernaturali, tum ex gratiæ habitualis per Christum datæ dignificatione valorem Congruitatis & impetrationis ad effectus gratiæ pro alijs obtinendos: hic tamen valor est *in actu quasi primo*. Undè ad effectus ejusmodi *in actu secundo* efficientiâ opus est acceptatione divinâ, importante decretum precum ejusmodi ac meritorum intuitu præfinitivum, & ut sic *efficienter* causativum postulati effectus. At licèt proprius Meritorum Sanctissimæ Deiparæ valor habeat vim motivi Divinæ effectum illum præfinientis volitionis ex parte volitorum *finaliter* terminativi; Deus tamen ex respectu talis valoris nullum cujuscunque gratiæ effectûs præfinitivum, atque adeò effectivum Decretum habet, nisi *dependenter* à meritis Christi tanquàm principaliori, illiusque valoris de se duntaxat congrui dignificativo commotivo. 2.

Constat igitur, uni Christo proprium esse, quòd *absolutè* ac *principaliter*, seu *independenter* habeat officium Mediatoris, quamvis non repugnet, Deiparam, aliosque Sanctos esse Mediatores *secundùm quid*, *minùs principaliter*, *ministerialiter* seu *dispositivè*, uti probat etiam Divus Thomas *3. p. q. 26. art. 1. in corp. & ad 2.* ex sanctis præsertim Augustino & Dionysio Areopagitâ ostendens, Angelos esse mediatores inter Deum & Homines. Quibus proindè suppositis, restat hîc unicè decidendum, *Qualiter verum sit, quòd Christo quà homini conveniat esse Mediatorem?*

CONCLUSIO.

CHristo quà Homini eatenùs convenit, esse mediatorem Dei & Hominum, ut hoc tamen officium *formaliter* sub ratione Principij Dignificativi importet infinitam Hypostasis Verbi, & Deitatis sanctitatem, *materialiter* verò sub ratione Principij reconciliationis inter Deum & homines 3.

homines effectivi importet Facultatem meritorum pro humani generis Redemptione, ac reconciliatione sufficientium effectricem, cum Authoritate offerendi eundem Deo Patri ad effectus gratiæ hominibus obtinendos.

Probatur. Quia officium Mediatoris Principalis dicit in hoc genere independentiam & Authoritativam inter Deum & Homines mediandi, suâque mediatione conjungendi homines cum Deo potestatem. At ista potestas est talium meritorum exhibitiva, quæ ex se ipsis debeant habere valorem condignum ad quosvis gratiæ & gloriæ, ipsiusque adeò peccatorum reconciliationis effectus impetrandos. Ejusmodi verò valoris condignitas est *formaliter* per Dignificationem personalis infinitæ sanctitatis Verbi. Ex hujus verò unione hypostaticâ secundùm connaturalitatis exigentiam eatenus fluit in Christi Humanitatem gratiæ tam actualis, quàm habitualis plenitudo, ut exinde habeat vim meritorum omnimodæ in humanum genus diffundendæ gratiæ *moraliter* causantium effectivam. Hæc ipsa verò vis meritorum effectiva se habet in Christo ad officium Mediatoris per modum quasi Materialis; vis verò eorundem meritorum dignificativa ut sic Hypostasin Verbi quà humanæ Christi naturæ unitam importans, se habet per modum quasi Formalis. Ergo officium Mediatoris per modum *quasi formalis* Dignificativi importat in Christo Hypostasin Verbi quà Humanitati unitam: per modum verò *Materialis* Principium *effectivè* reconciliativum importando, dicit Humanitatem quà Donis gratiæ meritorum effectivis, meritorumque etiam præcedentium *authoritativè* exhibitivis ornatam.

4. At eo ipso, quòd in istâ prædicatione, *Christus quà Homo est mediator, Tò Mediator* ex parte prædicati se tenens, importet duplicem formalitatem, alteram hominibus puris superiorem, cujus ad Deum *hypostaticè* accedendo, intelligatur hominum ad Deum Mediator, alteram Deo inferiorem, vi cujus ad homines accedend, ointelligi queat Dei ad homines mediator; consequens est, in prætactâ propositione reduplicationem voci *Tò Homo* annexam cadere tum super hypostasin, tum super Humanitatem, siquidem subjectum *reduplicativè* positum, teste Divo Thomâ *3. p. q. 16. art. 10.* resumi soleat in vi prædicati. Quare illa per Divum Thomam *cit. q. 26. art. 2.* exposita enunciatio, secundùm quam Christus quà Homo dicitur esse Mediator, eatenus procedit, ut *Tò Homo* sub istâ reduplicatione importet tam Hypostasin, quàm Humanitatem.



ARTICULUS II.

DE
De subiectione, servitute & adoptione Christi.

1. DOctor Angelicus *præf. q. 20. art. 1.* triplicem naturæ Humanæ propriam in Christo ponit respectu Dei subjectionem. Prima est secundùm gradum Bonitatis. Est enim Natura Divina ipsa Essentia Bonitatis. ex D. Dionysio *cap. 1. de divinis nominibus.* Natura verò creata habet quandam participationem Divinæ Bonitatis. Vi cujus adeò Participationis natura humana est quasi radius Divinæ Bonitatis, ejusque adeò naturæ subjecta. At verò istum subjectionis modum Christo homini erga Deum convenire, evincitur ex *Matth. 19.* Ubi Christus Dominus ait. *Quid me interrogas de Bono? Unus est bonus Deus.* Super hunc verò sacrum textum taliter disserit Divus Hieronymus. *Qui Magistrum vocaverat bonum, & non Deum, vel Filium Dei confessus erat, dicit hominem quamvis sanctum in comparatione Dei non esse bonum. Per quod dedit intelligere, quòd ipse secundùm humanam naturam non pertingebat ad gradum Bonitatis Divinæ.* Quia proinde in his, quæ non mole magna sunt, idem est majus, quod melius. ex Divo Augustino. *6. Trinit. cap. 8. circa med.* Idcirco Pater dicitur etiam major Christo secundùm Humanam naturam. Secunda Christi erga Deum subjectio est servitutis. Nam eo ipso, quòd qualibet creatura subjaceat operationi Divinæ dispositionis, oportet, naturam humanam subjici Deo, quantum ad Dei potestatem. Unde talis quoque subjectio in tantum attribuitur Christo, in quantum omnia, quæ circa Humanitatem Christi acta sunt, Divinâ dispositione gesta creduntur; Divino Dionysio *Cælesti Hierarch. cap. 4. circa finem.* attestante, quòd Christus *subjiciatur Dei Patris ordinationibus.* At ista subjectio est servitutis, secundùm quam omnis creatura Deo servit, quà subjecta est ejus ordinationi, juxta illud *Sap 16. Creatura tibi factori deserviens.* Unde etiam Filius Dei *Philip. 2.* dicitur. *Formam servi accepisse.* Tertia Christi erga Deum subjectio est obedientiæ, vi cujus convenit naturæ Humanæ, quantum ad proprios actus, propriâ Voluntate obedire mandatis Divinis. At istam subjectionem sibimet attribuit Christus *Ioan. 8.* dicens: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Unde *Philip. 2.* dicitur *etiam factus obediens usque ad mortem.* Quibus adeò ex Divo Thomâ suppositis, circa tertiam subjectionem occurrit prima difficultas, *Quibus legibus subjectus fuerit Christus Dominus?* Exinde circa secundam subjectionem veniet discutienda controversia. *An Christus propriè dici possit Servus?* Denique circa tertiam subjectionem erit difficultas. *An Christo Homini, vel etiam Humanitati convenire possit, esse Filium Dei adoptivum?* 2. 3. 4.

CONTROVERSIA I.

Quibus legibus subiectus fuerit Christus?

CONCLUSIO I.

CHristus erat subjectus legibus naturalibus, in quantum sub formalitate suâ propriâ locum habebant in naturâ Verbo Divino Hypostaticè unitâ.

1. Probatur. Nam lex naturæ sub formalitate suæ vis obligatoriæ per Divinam simplicis Intelligentiæ scientiam ex ipsamet sanctitatis & Honestatis,

Honestatis, seu Puritatis Dei infinitæ imitabilitate *idealiter* est formata, & ut sic immutabilis, omnem adeò naturam Intellectualem ex Divinâ Ideationis, Finalizationis, & Efficientiæ Causalitate procedentem ex intrinsecis Essentiæ suæ principiis afficiens. Nisi ergo Dignitas Humanæ ad Verbum *Hypostaticè* unitæ naturæ faciat, quòd formalitas Juris alicujus naturalis constitutiva respectu talis naturæ non habeat locum,
2. non potest Christi Humanitas non esse subjecta omnimodo Juri naturali. At verò præceptum de subjiciendo se parenti, eatenus fundatur in ratione principij de substantiâ suâ per generationem filio communicantis, ut hæc ipsa tamen Principij Matri Deiparæ competentis ratio fuerit subordinata Christo, utpote creaturarum Primogenito, seu in universæ creaturæ finem per Divinæ prædestinationis Decretum eatenus præstituto, ut consequenter omnimodus Matris Deiparæ in Humanitate Christi influxus ex vi Divinæ præfinitionis esset Humanæ Verbo unitæ naturæ, ejusque Dignitati, ceu principio sui finalizativo, imò *Moraliter* ac *Meritoriè* etiam effectivo subjectus. Unde fiebat, quòd formalitas filij erga parentem subjectionem fundans de Jure naturæ non haberet locum in Christi Humanitate, quin potiùs Christus homo de Jure haberet sibi subjectam Matrem suam. Et hinc quando *Lucæ 2.* dicitur de Christo; *Et erat subditus illis*, scilicet Beatissimæ Virgini, & S. Josepho, non est intelligendum de subjectione ex obligatione præcepti naturalis, sed ex liberâ ejus voluntate, & ad nostram instructionem, uti ex Patribus à se allegatis tradit Ysambertus *ad præs. q. 20. disp. un. ar. 3. propos. 1.*

Conclusio II.

Christus non fuit subjectus Legibus positivis tam Novi, quàm Veteris Testamenti, ex Divo Thomâ *3. p. q. 37.*

3. Probatur. Tum quia lex nova in quantum ultra Juris naturalis supernaturali etiam ad gratiam elevationi congruentis obligationem, habet de debito morali, ut sic respiciebat media ex ipsiusmet Christi meritis peccatorum expiativa, & sanctificativa. At præcepta ejusmodi quoad formalitatem Debiti moralis fundatricem, uti Humanitati Verbo *Hypostaticè* unitæ, adeòque ex intrinsecis Principijs impeccabili non congruebant, ita nec eandem obligabant, maximè cùm eorundem esset legislator.

Tum quia legis Mosaiæ præcepta afficiebant
4. illos duntaxat, qui ex seminali Abrahæ propagatione descendebant. Nec obstat tum quòd *Galat 4.* dicatur Christus, *Factus sub lege*, tum quòd *Matth. 5.* dixerit, *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Etenim in priori sacro textu *To factum* non obligationem, sed usum, non Jus, sed factum importat, uti ex Divo Anselmo observat Cornelius à Lapide *in cit. cap. ad Galat. vers. 4.* At verò textus posterior accipiendus est de adimpletione figuræ per exhibitionem veritatis, ex Ysamberto *citato propos. 2.*

Conclusio III.

Dum Christus dicitur subjectus Patri, vel *expressè* apponenda, vel *tacitè* subintelligenda est determinatio *secundùm naturam Humanam*, ex Divo [illegible] *art. 1. ad. 1.*

Probatur. Quia propositio, quâ Christus dicitur subjectus Patri, est similis illi locutioni, quâ enunciatur Creatura. At Christus non *simpliciter* dici potest creatura, sed sub determinatione *secundùm naturam humanã* tacitè saltem subintellectâ. Sub simili ergò determinatione verificatur duntaxat, quòd Christus sit Deo subjectus. Et hinc quia propositio, quâ *Christus dicitur sibi subjectus*, sub tali locutione *absolutè & simpliciter* prolatâ videtur sonare distinctionem suppositorum; nemo enim secundùm proprietatem sermonis intelligitur sibi ipsi subditus, Idcirco non nisi sub expressâ determinatione *secundùm Humanam naturam* dici debet, Christus sibi subjectus. 6. Cujus rationem Divus Thomas *cit. q. 20. art. 2.* sic deducit. Nam Christus est nomen personæ. Unde ea, quæ conveniunt ipsi ratione suæ personæ, possunt *per se* & *absolutè* de eo dici, quæ verò conveniunt ipsi secundùm Humanam naturam, sunt ei potiùs attribuenda cum determinatione. Cùm igitur esse subjectum, non conveniat Christo, nisi secundùm naturam Humanam, nequit nisi cum tali determinatione *saltem tacitè* subintellectâ dici Deo subjectus.

CONTROVERSIA II.

An Christus propriè dici possit servus Dei?

Cardinalis de Lugo *præs. disp. 21. sect. 3. n. 16. & sect. 5. n. 38.* advertit, duplicem esse servi acceptionem, ita ut per hanc vocem quandoque significetur subjectio, & subordinatio Creaturæ intellectualis ad Deum, quandoque verò talis inferioritas, quæ excludat æqualitatem in Throno, & honore cum Domino. Et quidem author *citatus* arbitratur, hanc posteriorem significationem esse propriam, nec adeò posse in toto rigore nomen servi Christo attribui. 1.

Fundamentum desumitur ex Epistolâ Concilij Francofordiensis ad Episcopos Hispaniæ. Ubi ex isto, *Amplioris enim gloria præ Moyse dignus habitus est. Ad Heb.* sacro textu sic arguitur: *Quomodo amplioris gloriæ, si servus, sicut Moyses, vel ex servo adoptivus?* At verò per hoc datur intelligi, servo non esse Jus ad gloriam & honorem Domini habendum, sed semper debet manere inferior. Si ergo Christus fuisset servus, non habuisset ampliorem gloriam & honorem, saltem in specie, quàm Moyses, & alij servi Dei. Eo ipso igitur, quòd Christi Humanitati debeatur cultus latriæ proprius Divinitatis, nequit Christo homini convenire *strictè loquendo*, esse servum Dei. Unde Patres præcitati Concilij sic concludunt, *Si ergò Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus, Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum. Et si eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex Humilitatis obedientiâ, quâ factus est Patri obediens usque ad mortem.*

Hanc Cardinalis de Lugo præallegatus *n. 34.* 2.
advertit,

advertit, quando Patres Christum vocant servum, oportere, id accipi non de servitute *radicali*, seu *debito* servitutis, sed de servitute in *actu secundo*, sive de servitio & obsequio, seu actionibus servilibus à Christo præstitis; vel certè locutos fuisse quandoque Patres in significatione altiori, ac minùs rigorosâ, licèt communiter usurpatâ, quâ dicitur servus, quisquis ex debito suæ conditionis; sive creationis, sive Emptionis, sive Captivitatis debet opera & obsequia alteri.

Didacus Alvarez *disp. 74.* distinguit dupli-
3. cem servitutem; Alteram legalem seu pœnalem, eorum v. g. qui capti in bellis sunt de Jure antiquo in servitutem redacti, quomodò, ait, eum, qui facit peccatum, esse servum peccati. Alteram servitutem dicit naturalem, quâ Jure creationis quælibet Creatura est sub Dominio Dei. Etsi proinde neget, Christum quoad servitutem legalem posse propriè dici servum Dei, eò quòd Christus habuerit quidem carnem similem carni peccati, non tamen habuerit carnem peccati; juxtà illud Apostoli, *Misit Deus filium suum in similitudinem Carnis peccati.* Verùm quoad servitutem
4. naturalem sub implicitâ saltem determinatione *secundum naturam Humanam*, posse Christum Dominum verè & propriè dici servum, cum Doctore suo Angelico *cit. q. 20. art. 1. ad 2.* probaur tum ex illo *Isaiæ 42. Ecce servus meus, suscipiam illum*, tum ex illo Hieronymi *in cap. 49. Isaiæ. Parum est mihi, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israel convertendas, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Conclusiò.

In propriâ aliquâ significatione veri-
5. ficatur, Christum sub implicitâ saltem determinatione *secundùm Humanitatem*, esse servum Dei.

Probatur. Nam *Tò servus* non est nomen suppositi, sed eius significatum proprium est transcendens in ipsâ Essentiâ Creaturæ qua Intellectualis præsertim *formalissimè* imbibitum; utpote radicatum super essentiali dependentiâ ex Divinâ Causalitate. At verò prædicata Humanitatis secundùm essentiæ, non verò subsistentiæ, ac Existentiæ statum etiam Physicum; id est causalitatis Divinæ effectricis terminativum spectatæ propria, vel etiam transcendentalia verè dicuntur de Christo; sub implicitâ saltem determinatione *secundùm Humanam naturam*. Non est igitur, cur nomen servi secundùm præadductam saltem determinationem in proprio; ac rigoroso loquendi modo negetur de Christo.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad Cardinalis de Lugo n. 1. deductum fundamentum Respondetur. Aliam esse æqualitatis in Throno exclusionem *purè* præcisivam.
6. Aliam verò esse positivâ, seu privativam, vel etiâ *physicè* præcisivam. At istam quidem repugnare Humanitati Christi; utpote à primo conceptionis instanti eatenus unitæ Verbo Divino; ut ratione hujus unionis dicatur sedere ad dexteram Patris; utpote ob Divinitatem seu hypostasin Verbi indissolubiliter sibi unitam ejusde cum Patre consors latriæ cultûs. At verò æqualitatis in Throno exclusionem *purè*, ac *levi* [illegible] cisivam stare sub tali Essentiæ [illegible] Christi consideratione, ut sub suis naturalibus prædicatis *præcisè* cognoscatur. Ut sic autem humanam Christi naturam antecedenter ad hypostaticam sui cum Verbo unionem *pro signo priori* esse intelligibilem, sub statu etiam physico, si non formalis, saltem causalis extra nihilum positionis, quoad omnia Essentiæ quà creatæ propria & transcendentalia prædicata. At verò sub istâ præcisione omnino intelligibilem esse formalem, & propriam servitutis naturalis rationem. Cùm igitur prædicata Essentiæ creatæ ut sic propria, seu transcendentalia possint Christo attribui sub implicitâ saltem determinatione *secundùm Humanam naturam*, non videri, cur negetur, posse Christum in sensu aliquo propriò dici servum Dei. Imò Cardinalis de Lugo *infra disp. 35. sect. 3. n. 41.* docet, non repugnare *physicè loquendo*; quòd Humanitas Christi, prout præci- 7.
sa à Verbo, possit adorari cultû latriæ. At verò Humanitas Christi ut sic intelligeretur sub aliquâ inferioritate exclusivâ æqualitatis in Throno. Cur igitur secundùm istam Cardinalis de Lugo suppositionem, per nos tamen *inferiùs* refutandam, non posset Christi Humana natura eatenus intelligi sub conditione servitutis, ut consequenter Christus sub determinatione saltem plicitâ *secundùm Humanitatem* posset etiam in rigore dici servus Dei.

Ad præcitati Authoris *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. Ex eo rectè evinci, non posse Christum dici servum Dei, in quantû nô ex 8.
vi alicujus adoptionis, sed ex debito connaturalitatis tale sortitur Jus gloriæ, ut sub hoc ipsò ad jus gloriæ connaturali Jure fundetur etiam titulus Cultûs latriæ Christo; ejusque Humanitati debitus. At verò istud Jus fundari super Hypostasi Verbi, ejusque ad Humanitatem Personali unione. Quemadmodùm igitur *Tò filius adoptivus* ex proprietate sermonis afficiens personam, nequit cadere in Christum: Sic neque *Tò servus* quatenus intelligitur afficere suppositum Christi, posse verificari de Christo. Ut sic autem Patres Concilij Francofordiensis negasse de Christo; posse dici servum Dei. Etenim istud Concilium non aliter reprobâsse hanc propositionem, *Christus est servus Dei*, nisi quà conjun- 9.
ctam cum istâ, *Christus est filius Dei adoptivus.* At verò sicuti *Tò adoptivus* secundùm suam proprietatem cadit super suppositum, *uti seq. tom.* ostendetur, sic ex vi illius conjunctionis intendisse Concilium enunciationem; *Christus est Servus*, non aliter reprobare, nisi prout *Tò servus* afficit personam. Etsi verò *Tò filius adoptivus* non possit taliter distrahi, quin semper involvat suppositum tanquàm primarium denominatum: Attamen *Tò servus* applicatum Christò sub tacitâ saltem determinatione *secundùm naturam Humanam*, intelligitur *per se primò* cadere super Humanitatem: Ergò ut sic posse in rigore loquendo verificari; quòd Christus, secundùm Humanam scilicet naturam, sit servus Dei.

IESUS

CONTROVERSIA III.

An Christo homini vel eius Humanitati convenire possit esse filium Dei adoptivum?

1. IN Concilio Francofordiensi, approbante Adriano Papâ *in Epist. ad Hispaniæ Episcopos*, adversùs Helipaldum & Felicem definitum est, *Christum non esse filium Dei adoptivum*. Nam Adrianus *in citatâ suâ Epistolâ* sic argumentatur. *Nunquidnam dixit Petrus: Tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es filius Dei: absit, hoc nec Petrus confessus est, nec sancta Ecclesia.*

2. Hinc Doctores *communiter* concludunt, esse de fide, quòd Christus sit filius Dei naturalis, & non adoptivus; siquidem id efficaciter probent sacræ Scripturæ testimonia, speciatim tum illa confessio Petri, quam fecit *Matth. 16.* dicendo, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, tum illa Æterni Patris *Matth. 3.* ad Christum edita vox. *Hic est filius meus*

3. *dilectus, in quo mihi bene complacui.* Cujus equidem ratio demonstrativa per sanctum Thomam *præs. q. 23. ar. 4.* sic deducitur. Etenim Filiatio propriè convenit Hypostasi, vel personæ, non autem naturæ. Unde in *primâ parte* dicitur, quòd Filiatio sit proprietas personalis. At de fide est, quòd in Christo non sit alia persona, vel Hypostasis, quàm Divina & Increata. Est autem etiam de fide, quòd personæ Christi conveniat, esse Dei filium per naturam. At verò filiatio adoptionis est similitudo participata Filiationis naturalis. Nequit autem aliquid dici *participativè*, quod *per se* dicitur. Ergo Christus tanquàm filius Dei naturalis, nullo modo dici potest filius adoptivus Dei.

4. Quibus adeò positis, duæ hìc emergunt difficultates. Altera, *Cur Christus etiam cum addito quà Homo, sive secundùm Humanitatem, non possit dici filius Dei adoptivus, sed naturalis duntaxat?* Altera. *An, & quomodò Christus qua Homo dici possit filius naturalis totius Trinitatis?*

5. Circa primum Suarez *præs. disp. 49. sect. 1. & 2.* docet, Christum etiam ut Hominem esse Filium Dei naturalem. Fundamentum est. Quia Christus etiam ut homo habet ratione unionis Hypostaticæ Jus ad Bona Dei, & ut sic etiam est hæres: juxta illud *Heb. 1. Locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum*: hoc enim non competit Christo ut Deo, sed ut homini. At Jus ad Bona paterna est proprium filiorum. Cùm igitur Christus ratione unionis hypostaticæ habeat Jus illud, consequens est, ut sic habere aliquam filiationem. At ista non est adoptiva. Ergo naturalis, non quia fundetur in generatione & nativitate naturali propriâ, sed quia oriatur ex Principijs intrinsecis ipsius filij, scilicet ex unione ad suppositum, per quod compleatur natura Hu-

6. mana in ratione personæ. In quo adeò sensu secundùm Suarezium *citatum* Christus dici poterit filius Dei naturalis, quatenus unio hypostatica in Christo fundans filiationem naturalem, dicitur naturalis non Humanitati, sed Christo, qui intrinsecè resultat per illam unionem.

7. Hinc consequenter circa secundum Suarez *citatus*, & Vasquez *disp. 89. cap. 14.* colligunt, per illam filiationem Christum dici filium non solius Patris Æterni, sed totius Trinitatis. Fundamentū est: quòd à totâ Trinitate *Efficienter* sanctificetur.

Verùm Cardinali de Lugo *præs. disp. 31. sect. 3. n. 21.* non videtur, quòd Christus *in quantum homo* dici possit filius naturalis totius Trinitatis. Fundamentum est. Quia non est filiatio naturalis, nisi fundata in generatione naturali. At præter generationem Æternam non est alia generatio, quâ Christus ut homo procedat à Trinitate in similitudinem naturæ, ex vi processionis. Ergo nec est fundamentum filiationis naturalis respectu totius Trinitatis. 8.

CONCLUSIO.

EO ipso quòd Filiatio afficiat Hypostasin, seu personam, nequit Christus quà Homo, imò ipsa etiam Humanitas Christi dici Filius Dei adoptivus. 9.

Probatur. Nam subiectum supponit secundùm naturam prædicati: Unde reduplicatio *quà homo* non potest eatenus cadere super naturam Humanam, ceu formale vocis *Tò homo* significatum, cum in prætactâ enunciatione, ratione prædicati *Tò Filius Dei* ut sic personam denotantis, significaretur, Christo homini, sive ejus Humanitati convenire, esse adoptivum Dei filium. At istud est hæreticum.

Deinde licèt Humanitati Christi *formaliter* inexistat gratia sanctificans, cujus effectus formalis in nobis est, constituere filium Dei adoptivum. Hic tamen effectus formalis non est ex præcisâ naturâ illius gratiæ, sed quatenus procedit ex tali gratuiti Divini Decreti causalitate, quæ nullum in animâ ejusdem gratiæ Principium, in vi connaturalis exigentiæ intrinsecum supponat. At verò gratia sanctificans in Humanitate Christi supponit intrinsecum connaturalitatis Principium, Hypostasin scilicet Verbi Divini, Humanæ Christi naturæ substantialiter unitam. Eo ipso autem, quòd ista Hypostatica unio sit ratio ex parte volitorum Divinæ volitionis eatenus motiva, seu *Finaliter* terminativa, ut Deus Christi Humanitati prædefinierit gratiam Sanctificantem ex respectu ad personalem Verbi cum Humanitate unionem, ceu connaturale gratiæ Sanctificantis Principium, sequitur, tum quòd ista gratia non sit merè ab extrinseco, sed ex connaturalitatis Debito, ac principio intrinseco. Nequit ergo ista gratia in Christi Humanitate fundare filiationem Dei adoptivam, sed se habet in ipsâ per modum Proprietatis ex naturali Dei filiatione, quà Humanæ Christi Naturæ substantialiter unitâ, & *formaliter* communicatâ *connaturaliter* resultantis. 10.

Dices. Humanitatem Christi sub suâ præcisâ Entitate esse intelligibilem ut sic actuatam & informatam à gratiâ Habituali. At verò sub istâ præcisâ consideratione non esse Humanitatem Christi intelligibilem, quà filium Dei naturalem. Cur ergo ut sic dici non posset filia Dei adoptiva? 11.

Contra. Nam Humanitas Christi quà per gratiam habitualem actuata non est Intelligibilis, nisi sub statu Existentiæ, utpote in substantiâ & naturâ creatâ *Essentialiter* requisitæ ad Physicam formæ accidentariæ receptionem. At Huma- 12.

Humanitas Christi non est intelligibilis sub alio, quàm Increatæ Verbi Existentiæ statu. Hæc verò Existentia *formaliter* importans subsistentiam, eamque correlativam ad Patrem, ut sic *formalissimè* importat filiationem Divinam naturalem. Quare Humanitas Christi quà per gratiam Habitualem actuata non est intelligibilis, nisi saltem in obliquo importetur Filiatio Dei naturalis, tanquàm radix, seu intrinsecum connaturalitatis Principium, ut sic in se fundans Gratiam Habitualem. At verò gratia Habitualis quà fundata in intrinseco Humanitatis Christi proprio Existentiæ statu, nequit esse ratio filiationis Dei adoptivæ, sed habet se ut proprietas Filiationis Dei naturalis. Cùm igitur Humanitas Christi eo ipso, quòd sit Christi, *Essentialiter* denotet Hypostaticam cum Verbo unionem, nequit sub ullo quantumvis præciso statu intelligi tanquàm filia Dei adoptiva.

13. Instabis. Ex eo, quòd Existentia Humanitatis sit *Essentialiter* prærequisita ad Physicam gratiæ Habitualis receptionem, non sequi, nisi quòd subsistentiæ Verbi ad Humanitatem unio sub formali existentiæ ratione *per se formaliter*, sub formali vero correlationis conceptu *quasi Concomitanter duntaxat* sit prærequisita ad illam gratiæ Habitualis receptionem. Quare Humanitatem Christi quà Gratiæ Habitualis receptivam, esse intelligibilem sub formali per Increatam Verbi Hypostasin existendi effectu, quin secundùm talem intelligendi modum oporteat, involvere Verbi ad Patrem Correlationem. At verò ut sic intelligi Humanitatem Christi absq; naturali Filiatione Dei. Ergo Humanitatem Christi quà gratiâ Sanctificante actuatam *sub aliquo Præcisionis statu* esse intelligibilem sine naturali Filiatione Dei.

14. Contra. Nam ipse etiam formalis existendi status per Increatam Verbi Hypostasin Humanæ Christi naturæ *formaliter* communicatus eatenus est Humanitatis Christi *intrinsecè substantialiter* in Essendo Sanctificativus, ut sub tali Essendi modo fundet *intrinsecè* gratiam Habitualē, ac virtutes infusas, supernaturaliaq; Dei auxilia, ut sic ad lineā operativam *specificè participativè* Divinam spectantia. Unde formalis existendi status in Christo quantumvis præcisè spectatus, est *radicaliter* spectans ad lineam operativam *quasi specificè* Divinam. At verò formalitas Essendi modum Divinum *Formaliter*; & operandi modum *quasi specificè* divinum *radicaliter* importans, seque ut sic Humanitati *substantialiter intrinsecè* communicans, eo ipso tribuit formalem Filiationis Dei effectum.

15. Probatur ista Minor. Nam Filiatio fundatur super generatione, quæ sit origo viventis à vivente à Principio conjuncto in similitudinem naturæ. At verò ista in similitudinem Naturæ procedens origo, alia est Univoca quoad ipsam consubstantialem Naturæ Divinæ Communicationem, alia est Analoga, quoad talem Naturæ Divinæ Participationem, ut ex vi talis Participationis competat vis modo *quoad gradum quasi specificum* Divino operativa. At Humanitati Christi vi actionis cum Verbo unitivæ, ceu Originis ex Deo procedentis est conjuncta intrinseca per Increatam Verbi existentiam *substantialiter* existendi formalitas, ut consequenter Humanitas Christi quà existens sit à Principio conjuncto. Ex vi autem ejusdem originis est in similitudinem Consubstantiale existendi ac subsistendi. Etsi verò per illam unionem Hypostaticam, ejusq; effectricem originem non sit facta intrinseca naturæ Divinæ ut sic primam ex puro subsistente *Esse* specificatam operandi lineam importantis communicatio, & unio Consubstantialis: attamen ille ipse per Increatam Verbi subsistentiam existendi ac subsistendi effectus formalis, quà *intrinsecè* cōmunicatus Humanitati, fundat in illâ *Radicaliter* lineam operativam *quasi specificè*, non quidem *consubstantialiter* & *univocè*, sed *participativè* & *Analogicè* Divinam. Ergo ut sic Humanitas Christi est etiam in similitudinem Naturæ Divinæ, non quidem *consubstantialiter* & *univocè*, sed *participativè* & *Analogicè*. At eo ipso, quòd illa similitudo Naturæ Divinæ ut sic primam in lineâ operativâ super puro subsistente *Esse* fundatam radicem importans, *Radicaliter* conveniat Humanitati Christi per ipsammet Verbi Hypostasin, seu formalem ex hujus subsistentiâ *intrinsecè* communicatum Existendi quasi effectum, *Formaliter* autem competat per gratiam habitualem, & virtutes infusas, nec non auxilia supernaturalia illi *connaturaliter* connexa: nequit illa similitudo Naturæ Divinæ, licèt non *consubstantialiter* ex vi generationis æternæ, sed *participativè* ex vi actionis cum Verbo unitivæ communicatæ in Humanitate Christi fundare Filiationem adoptivam; utpote quæ non ex intrinsecis status existendi Principijs, sed ex gratuitâ Divinâ nullam sui *Connaturalitatis* radicem in proprio *Essendi*, vel *Existendi* statu supponente Causalitate debeat originari. Oportet igitur, super prætactâ naturæ Divinæ per unionem Hypostaticam *participativè* communicatæ similitudine fundari Filiationem Dei naturalem.

16. Urgebis. Ex hoc discursu inferri, quòd Humanitati Christi, seu Christo quà Homini conveniat, esse filium Dei naturalem, non tantùm respectu Æterni Patris, sed respectu Totius Trinitatis. 17. Probatur istud assumptum. Nam Filiatio est respectus similitudinis ad Principium naturæ *Efficienter* communicativum. At prætacta similitudo Naturæ Divinæ, super quâ in Humanitate Christi fundatur filiatio Dei, à Totâ Trinitate procedit, quà Principio suo effectivo. Ergo Christus quà Homo secundùm nostram doctrinam dici posset totius Trinitatis filius naturalis. At hoc videri absurdum, eo ipso, quòd filiatio sit afficiens Hypostasin, ratione cujus nequit in Christo esse relatio filiationis, nisi ad primam personam Divinam.

18. Contra. Nam Filiatio dupliciter intelligi potest afficere Hypostasin; *primò* ut sui formale in primo *Perseitatis* modo constitutivum: *secundò* ut sui formale in secundo *Perseitatis* modo specificativum. At hujus *secundi* modi à *primo* est discrepantia, quòd iste importet Essentiale constitutivum, ille verò proprietatem ex essentiâ quasi emanantem. Est autem Hypostasis Verbi Divini eatenus proprium, esse *Essentialiter* filiationem, ut hæc dicat relationem ad primam duntaxat in Divinis Personam, seu ad Patrem Æternum, à quo unicè tanquam à Principio sui productivo procedit. Hæc ipsa verò eatenus est *intrinsecè formaliter* per unionem Hypostaticam cōmunicata Christi Humanitati, ut, si Christus quà Homo dicatur Dei Filius naturalis, secundùm primum per se dicendi modum, non posse

possit esse filius nisi Patris Æterni; non autem Spiritûs sancti. At eo ipso, quòd per illam Verbi Hypostasin eatenus sit *formaliter* communicatus Existendi ac subsistendi modus *intrinsecè* Divinus, ut super hunc sit radicatus modus quoque operandi *specificè* Divinus, sequitur; vi mediante Hypostaticæ unionis effectricis causalitate, processisse Christi Humanitatem in talem Naturæ Divinæ similitudinem, ut super ipsâ fundetur Dei filiatio naturalis, non in primo modo, sed secundo dicendi modo *per se* instar proprietatis *connaturaliter* se habens ad Hypostasin Verbi, non ut *in se* purè subsistentem, sed quà mediante actione creatâ unitam Humanitati, ipsique ut sic formalis Existendi Effectûs *intrinsecè* communicativam. At verò ista communicatio, & naturæ Divinæ super ipsam fundata similitudo, atque adeò etiam Filiatio exinde resultans, est *Essentialiter* à totâ Trinitate.
19. Quamvis igitur Christus secundùm primum Dicendi modum *per se* non possit dici naturalis Filius nisi Æterni Patris, attamen ut homo potest *quà secundum Dicendi modum per se* eatenus dici Naturalis filius Totius Trinitatis, quatenus per istam denominationem non aliud insinuatur, nisi quòd ex Causalitate totius Trinitatis in Humanitatem Christi procedat naturalis, intra ipsius existendi statum intrinsecum radicata filiatio Dei, in secundo *Perseitatis* modo se habens ad Hypostasin Verbi propriam, non ut purè *in se* subsistentem, sed quà *Hypostaticè* vi effectricis à tota Trinitate emanantis causalitatis communicatam Christi Humanæ naturæ.

20. Et hinc facilis ad Cardinalis de Lugo n. 1. oppositum fundamentum patet responsio. Etenim verùm est, quòd non alia præter æternam sit generatio, quâ Christus in similitudinem naturæ secundùm primum & secundum *Perseitatis* modum *per se formaliter* procedit. Nihilominùs falsum est, quòd non detur aliqua per totam Trinitatem originata actio, vi cujus Christi Humanitati eatenus fiat participatio Naturæ Divinæ, ejusque adeò similitudo, ut ista juxta secundum *Perseitatis* modum deduci debeat in Verbi Hypostasin, qua humanæ Christi naturæ *substantialiter* unitam. Ut sic autem super istâ similitudine fundari Filiationem Dei naturalem non in primo, sed in secundo Dicendi modo *per se* habentem se ad Hypostasin Verbi, non quà *in se* purè subsistentem, sed quà actioni *Hypostaticè* unitivæ substantem. Ex quâ proinde super totius Trinitatis Causalitatem *indi-*
21. *viduè* fundatâ filiatione Christum quà Hominem posse totius Trinitatis, ipsiusque adeò Spiritûs sancti denominari filium naturalem.



ARTICULUS III.

De Prædestinatione Christi.

1. INdubitatum est, quin Deus in æternitate habuerit Decretum, vi cujus Humanitas in Christo fuerit præelecta ad unionem Hypostaticam cum Verbo Divino. Et quia ex vi Divinæ Causalitatis factum est, ut suppositum Verbi Divini sit subsistens in naturâ Humanâ, rectè dicitur Christus, esse prædestinatus, id est, ex causalitate Divinæ Prædestinationis productus, ex Sancto Thomâ *pres. q. 24. art. 1.* Cujus 2.
ratio sic deducitur. Etenim Prædestinatio est pars Divinæ providentiæ, quâ Deus præordinavit ab æterno, quæ per gratiam facienda sunt in tempore. Atqui unio Verbi Hypostatica, per quam est Christus subsistens in Divinâ & Humanâ naturis, est omnium maxima gratia. Ergo per ordinationem illius unionis eatenus intelligitur Christus prædestinatus, quatenus vi illius ordinationis præfinitum erat, ut Christus existeret. Quæ equidem Christi Existentia, 3.
licèt non sit alia, quàm Increata Divini Verbi, nec adeò *secundùm* se cadat sub divinæ Prædestinationis Decretum, attamen, quà sui ad Humanitatem unitiva, & *formaliter* communicativa, supponit Divinæ Causalitatis gratuitam causalitatem, ad quam Divina Verbi Hypostasis, ejusque Existentia se habet *terminative*; vi cujus adeò gratuitæ Causalitatis Divinæ Hypostasin Verbi, ejusque Existentiam tanquam terminum, mediante tali Causalitate, seu unione effectivâ per se ipsam *formaliter* sui communicativam respicientis, factum est, ut Christus *existens* sit positus in rerum naturâ. Ergo ut sic rectè dicitur prædestinatus. Verùm hic discutiendum superest, Primo. *Qualiter verificetur, quòd Christus sit prædestinatus filius Dei.* Secundò. *An etiam Humanitas Christi dici possit prædestinata ad Filiationem Divinam?* 4.



CONTROVERSIA I.

Qualiter verificetur, quòd Christus sit Prædestinatus Filius Dei?

1. PAulus Apostolus ad *Rom. 1.* loquens de Christo, apertè ponit istam enuntiationem. *Qui prædestinatus est Filius Dei.* Unde ob paritatem rationis indubitanter tenendum est, istas etiam propositiones veras esse. *Hic homo* (demonstrato Christo) *prædestinatus est Filius Dei*; vel *Filius Dei secundùm quod Homo, prædestinatus est Filius Dei.* Verùm hinc emergit statim 2.
difficultas: quòd, cùm prædestinatio pertineat ad ordinem gratiæ, oporteat, terminum *ad Quem* prædestinationis esse gratiam respectu prædestinati. At Filiatio Dei nequit se habere ut gratia respectu Christi, utpote ejus Essentiale constitutivum. Videtur igitur, Christum non posse dici prædestinatum ad Filiationem Dei.

CONCLUSIO.

3. IN illâ propositione, *Christus est prædestinatus Filius Dei*, *To Christus* ratione prædicati intelligitur supponere pro supposito Divino, quà Humanitatis terminativo, cujusmodi terminationem *ratione nostrâ ratiocinatâ* eatenus consequitur, *Hominem Christum, seu Verbum Humanatum esse Filium Dei*, ut ista Divina Filiatio respectu Humanitatis per Verbum suppositatæ sit simpliciter gratia.

Proba-

Probatur. Quia subjectum supponit secundùm naturam prædicati. At prædicatum τὸ *Prædestinatus* significat causalitatem Dei ad extra effectricem. Nequit autẽ Divina ad extra causalitas cadere super Hypostasin Verbi ut sic, sed super eandem, quà Humanitatis terminativam eatenus cadit Divina Causalitas, ut ipsam quidem Hypostasin *Terminativè* duntaxat respiciat, Humanitatem verò *subjectivè* & *informativè* afficiat. At verò sicuti Divina Verbi Hypostasis per purissimũ in se subsistens *Esse*, omnimodamq; sui independentiam de se habet indifferentiam non alicujus potentialitatis, sed supereminentialis actualitatis mediante causalitate Effectricem, non *Formaliter* ac *subjectivè*, sed *terminativè* determinabilem ad sui subsistentis *Esse* formalem creatæ naturæ tribuendam communicationem, sic Humanitas per sui *in Subsistendo* ac *Existendo* potentialitatem habet respectu suæ tum propriæ, tum Divinæ Hypostasis indifferentiã, mediante causalitate Dei transeunte *subjectivè*, ac mediante sive propriâ, sive Increatâ Divinâ subsistentiâ *formaliter* determinabilem, ad formalem *Existendi* ac *Subsistendi* effectum *intrinsecè* participandum. Ex hâc

4\. verò tam Hypostasis Verbi supereminentiali, quàm humanitatis potentiali indifferentiâ fit, quòd Causalitas Divina ejusdem determinativa sit gratuita, sitque adeò gratia, respectu quidem Hypostasis *solùm terminativè*, respectu verò Humanitatis *subjectivè* se habens. At eo ipso, quòd Divina Hypostaseos Verbi communicativa causalitas per modum gratiæ se habeat ad istam Hypostasin *terminativè*, ad humanam verò naturam sub formali gratiæ ratione se habeat *subjectivè*, sequitur, terminum *ad Quem* talis causalitatis esse etiam gratiam, non quidem respectu Hypostasis, utpote, quæ ita sit terminus *formaliter* communicatus, ut simul sit ipsum suppositum subsistens in Humanitate, cui fit talis communicatio, seu unio Hypostatica. Quare terminus *ad Quem* prædestinationis, quà Christus dicitur prædestinatus Filius Dei, est gratia

5\. duntaxat respectu Humanitatis. At verò ut filiatio Dei dicatur vi prædestinationis Divinæ convenire Christo, sufficit tum quòd filiatio ejusmedi sit gratia respectu humanitatis, nec opus est, quòd sit gratia respectu Hypostasis seu suppositi ut sic, tum quòd ipsum suppositum, non ut in se purè sub quàm Humanitate subsistens, sed sistens eatenus sit ex gratuitâ Dei Causalitate, quatenus ista sub formali gratiæ *Causalis* ratione ad Hypostasin, utpote ad taliter subsistendum *supereminentialiter* indifferentem, se habeat *Terminativè*, ad Humanitatem verò tali subsistentiâ actuatam se habeat *Subjectiv.*

Dices. Oportere, prædestinatum intelligi pro aliquo signo priorem termino *ad Quem* sal-

6\. tem quà *formaliter* communicato. At Christum *essentialiter* importare suppositum Filij Dei, nec adeò filiationem Divinam utpote ipsammet filij Dei Hypostasin quà Humanitati *formaliter* communicatam, & ut sic Christi *essentialiter* constitutivam intelligi posse pro aliquo signo posteriorem Christo ad filiationem Divinam prædestinato.

Contra. Nam eo ipso, quòd prædicatum τὸ *prædestinatus* involvat causalitatem effectri-

7\. cem, nequit etiam sub ratione causalis communicationis cadere supra Divinam, sed Humanam duntaxat Christi naturam. Unde in illâ prædicatione, *Christus est prædestinatus Filius Dei*; τὸ *Christus* supponit pro supposito Verbi quà Humanato, sive quà subsistente in Naturâ humana. Ut sic autem supereminentialis Verbi Hypostaseos ad sui Formalem cum humanitate unionem indifferentia eatenus intelligitur determinata per actionem unitivam, ceu causalem unitionem, ut sub istâ consideratione intelligatur *præcisè*, tribuere *Terminativè* illum subsistendi effectum, quem propria alioquin creata subsistentia præstaret. At verò filiatio Divina in Humanitate Christi talem tribuit subsistendi effectum formalem, ut sub tali filiationis utpote similitudinem in Naturâ seu consubstantialitatem importantis consideratione intelligatur esse *formaliter* Divinizativa. Hoc autem fit solùm *mediatè* ex Hypostasis ad humanitatem unione. Unde pro *aliquo priori* intelligitur Humanitas Christi per Hypostasin Verbi sub formali subsistendi quasi effectu actuata, antequàm intelligatur, formalem filiationis Divinæ quasi effectum utpote ex mediatâ Divinæ naturæ consubstantialitatem fundantis unione consummandum Humanitati tribuere. Consequens igitur est, Christum quà in naturâ Humanâ vi Hypostaticæ Verbi unionis subsistentem pro aliquo signo, non quidem *prioritate reali*, sed *rationis ratiocinatæ* intelligi posse priorem filiatione Divinâ. At verò sufficit, ut prædestinatus pro aliquo signo *secundùm rationem ratiocinatam* intelligatur prior termino *ad Quem* prædestinationis. Nihil ergo obest, quò minùs Christus verè ac in rigore dicatur prædestinatus Filius Dei.

Ad difficultatem *n. 2.* oppositam Respondetur. Terminum *ad Quem* Prædestinationis 8.
debere esse gratiam respectu prædestinati *saltem inadæquatè* spectari. At verò filiationem Dei esse gratiam respectu Christi, non quidem *quoad Hypostasin*, sed *quoad naturam Humanam* spectari. Imò actionem filiationis Divinæ communicativam eatenus comparari ad Humanam Christi naturam, ut illa respectu illius actionis tanquàm gratiæ in se *formaliter* receptæ se habeat *subjectivè*, Hypostasis autem Christi respectu ejusdem actionis, quà supereminentialem ipsius indifferentiam *Terminativè* determinantis, seu gratuitæ alicujus *ad Extra* Causalitatis se habeat *Terminativè*. Unde licèt filiatio Divina sit essentiale Hypostasis Christi constitutivum, quia tamen eadem filiatio quà Hypostaticè unita se habet ad Humanitatem tanquàm gratia per se ipsam *Formaliter*, per actionem verò sit unitivam *Causaliter* communicata, nihil obstare, quò minùs Christus quà Homo dici possit prædestinatus ad filiationem Divinam.

Ex quo infertur. Christum quà hominem dici etiam posse prædestinatum ad gratiam ha- 9.
bitualem & gloriam. Ratio est. Quia licèt gratia Habitualis, & gloria comparata ad Christi Humanitatem quà subsistentem ac existentem, sit *connaturaliter* debita, attamen Christi natura humana, si spectetur *præcisè* secundùm *physicum* etiam Essentiæ statum, quem ex vi Causalitatis sui effectricis ad se terminatæ *antecedenter* ad subsistentiæ & Existentiæ Verbi Increatæ Unionem Hy-

nem Hypostaticam *pro aliquo priori natura* intelligitur habere, ut sic respectu ipsius habet rationem gratiæ tum subsistendi per Verbum actualitas, tum gratia & gloria *connaturaliter* quodamodò resultans ex hypostaticâ Verbi unione. Ex quo proinde fundamento optimè subsistit, quòd Christus quà homo dici possit prædestinatus ad gratiam & gloriam.

CONTROVERSIA II.

An etiam Humanitas Christi dici possit prædestinata ad filiationem Divinam, vel ad unionem Hypostaticam?

1. CArdinalis de Lugo *præs. disp. 32. sect. 3. num. 30.* existimat, admitti posse istam propositionem, *Humanitas est prædestinata ad unionem Hypostaticam.* Fundamentum est, Quia ad istâ unionem non possunt ordinari nisi extrema: nam homo, vel persona non unitur cum Verbo, sed sola Humanitas. Ergo Deus voluit, uniri Humanitatem cum Verbo. Hoc autem voluit ex maximâ benevolentiâ ergà illam Humanitatem, quam elegit & destinavit ad hanc unionem. Ergo prædestinavit eam naturam ad hanc unionem. Quamvis igitur istæ propositiones, *Humanitas est prædestinata in Filium Dei, nec non ad gratiam & gloriam,* non sint veræ secundùm rigorem: eò quòd istæ denominationes sint suppositorum: illa tamen Enuntiatio, *Humanitas est prædestinata ad Unionem Hypostaticam*, ex eo tenet capite, quòd Humanitas duntaxat, non autem suppositum *Homo* dici possit ordinari ad talem unionem.

CONCLUSIO.

2. EO ipso quòd *Tò prædestinatus* sit cadens super suppositum, nequit ista propositio, *Humanitas est prædestinata ad Unionem Hypostaticam, vel filiationem Dei*, in rigore verificari. ex Divo Thomâ *præs. q. 24. ar. 1. ad 2.* & S. Bonaventurâ *in 3. dist. 7. ar. 2. q. 3. ad 2.*

Probatur. Quia si agatur de modo loquendi, oportet, in materijs Theologicis insistere mori antiquorum, illorum præsertim Doctorum, qui Theologiæ Scholasticæ fundamenta jecerunt. At *Tò prædestinatus* secundùm Sanctos Thomam & Bonaventuram est nomen suppositi. Non igitur est applicandum Humanitati *abstractè* sumptæ, sed in *concreto* duntaxat Humanitati suppositatæ eatenus convenit ut *Quo*, ut tamen suppositum sit denominatum *Quod*.

3. Ad Cardinalis de Lugon. 1. oppositum Respondetur: Ordinationem ad Unionem Hypostaticam esse partim Deo immanentem, quæ solùm *Causaliter* respiciat id, quod dicitur prædestinatum, seu ordinatum ad Unionem Hypostaticam: partim esse actionem ex Deo transeuntem *subjectivè* receptam in Humanitate. At licèt *subjectivè* non possit suppositum homo dici ordinatum ad unionem Hypostaticam, sed humanitas duntaxat: attamen *causaliter* dicitur ordinari ad hanc unionem, quod vi talis causalitatis *per se primò Formaliter* eatenus est causatum, ut ejusdem causalitatis terminus *ad Quem* sit personalitas Verbi, quà per unionem Hypostaticam communicata Humanitati. Unde cùm prædestinatio importet ordinationem non *subjectivè* receptam in Humanitate, sed Deo *formaliter* immanentem, & *Causaliter* seu *virtualiter* duntaxat transeuntem, non est afficiens Humanitatem, utpote quæ *per se primò* non sit fluens ex tali causalitate, sed suppositum Christi quà hominis, se habens per modum termini, mediante illâ causalitate *per se primò* causati. Et hinc, quando *Christus homo dicitur prædestinatus ad filiationem Divinam, seu unionem Hypostaticam*, considerare oportet, tum quòd denominatum *Quo* prædestinationis sit humanitas, denominatum verò *Quod* suppositum Hominis Christi. Tum quòd terminus *ad Quem* sit Filiatio Divina, quà Humanitati communicata, medium verò *Quo* ad istum terminum intelligatur esse unio Hypostatica. 4.

Instabis. Id, quod dicitur prædestinatum, debere respectu termini *ad quem* saltem pro aliquo *signo* rationis habere prioritatem. At Christum quà Hominem non posse intelligi priorem Hypostaticâ Verbi unione. Ergò non posse dici prædestinatum ad unionem Hypostaticam. 5.

Respondetur. Christum quà Hominem posse in duplici physico, statum possibilitatis jam supergresso statu considerari, purè scilicet *causali*, & *formali*. At statum Christi quà Hominis purè causalem esse ex denominatione extrinsecâ causalitatis, Christum quà hominem efficientis, ac Deo immanentis, quæ sit ipsamet Divina prædestinatio: statum verò Christi quà hominis *formalem* esse per intrinsecam formalem Humanitatis ex hypostasi Verbi *substantialiter* unitâ actionem. Manifestum autem esse, quòd iste intrinsecè per hypostasin Verbi *substantialiter* unitam actuationis status sit consequens illum statum *causalem*. Quare quando Christus dicitur *prædestinatus ad unionem Hypostaticam*, tum ex parte subjecti non importari, nisi illum Christi statum, quem prædicatum *Tò prædestinatus* exigit. At eo ipso, quòd istud prædicatum *formaliter* importet causalitatem Deo immanentem, eatenus afficere subjectum *pro signo* aliquo terminum *ad Quem* antecedente, ut subjectum ejusmodi intelligatur sub statu *purè causali*. Unde statum Christi quà hominis *formalem* primùm importari per terminum *ad quem*, Hypostaseos scilicet Verbi exercitam cum Humanitate unionem. Consequens proinde esse, quòd Christus quà homo verè dici possit prædestinatus ad unionem Hypostaticam & Filiationem Divinam, ita tamen ut in istâ prædicatione denominatum *Quo* sit Humanitas, Denominatum verò *Quod* suppositum Christi quà hominis *in statu purè causali* considerati, *cui pro aliquo rationis signo posteriori* intelligatur supervenire Hypostatica Filiationis Divinæ, seu personalitatis Filij Dei unio, secundùm physicum formalem statum *exercitè* se habens. 6. 7.

COROL

COROLLARIUM.

8. INfertur. Christi prædestinationem esse nostræ prædestinationis non *formaliter* in se ipsâ, sed *objectivè* ac *effectivè* ex parte effectuum ex ipsâ emanantium spectatæ causam sub triplici ratione.

Etenim Christus, ceu terminus ac effectus prædestinationis est omnimodæ gratiæ & gloriæ per prædestinationem hominibus conferendæ causa Exemplaris, juxta illud ad *Rom. 8. Prædestinavit nos conformes fieri imaginis filij sui.* Est insuper causa meritoria, imò & Finalis omnimodi talis effectûs. ex Divo Thomâ *cit. q. 24. a. 3. & 4.* Patetque ex antecedentibus.

QVÆTSIO DECIMAQVINTA.

DE

ADORATIONE CHRISTI.

1. ADoratio ex Sancto Damasceno *orat. 1. de imag. post. init.* definiri potest, quòd *sit submissionis, & Humiliationis nota*, sive ut habet *orat. 3. Animi cedentis, atque humilis significatio.* Unde patet, non sufficere ad Adorationem, quòd sit quidam Cultus supremæ Divinæ Majestati exhibitus, sed oportere, quòd *signatè* sit protestativa & significativa Humiliationis Deo ob supremæ Majestatis Jus debitæ.

2. Porrò triplex est adorationis species, *Latria* nimirum, *Hyperdulia*, & *Dulia*: Latria soli Deo conveniens respicit ad primam universalissimi Essendi Principij ac finis Ultimi fundatricem Majestatem.

3. Quia verò eadem simplicissima in omni formalitate Divinâ est perfectionis ac dignitatis, atque adeò Primæ super *Esse* purè subsistente radicatæ Majestatis ratio, ideò pro diversitate virtuali attributorum, ac formalitatum Dei non debent distingui diversæ species Latriæ.

4. Hyperdulia convenit Sanctissimæ Deiparæ ob singularem sanctitatem congruam Maternitati Divinæ, ut sic spectanti ad ordinem Hypostaticum. Qui proinde cultus superior est cultu Sanctis ob gratiam Habitualem debito, utpote non attingente ordinem Hypostaticum; est tamen inferior cultu Humanitati Christi debitæ, siquidem Maternitas Divina eatenus pertineat ad ordinem Hypostaticum, ut *solùm extrinsecè* ac *Respectivè* se habeat ad Verbi Divini Hypostasin; Humana verò Christi natura istam *intrinsecè* communicet sub formali existendi ac

5. subsistendi quasi effectu. Dulia denique fundatur super sanctitate ac Dignitate gratiæ Habitualis, nec non Excellentiarum cum istâ *connaturaliter* connexarum.

6. Quibus adeò de Adoratione in genere breviter annotatis, tres hic instituemus articulos, in primo acturi *de Adoratione Christi*. In secundo *de Adoratione Crucis, & aliorum Passionis Christi Instrumentorum, sive rerum cum Christo Moraliter connexarum.* Et quia Sanctorum omnimoda excellentia eatenus reducitur in Christum ac Deum, ut eorundem quoque cultus redundet in ipsum, videbimus in tertio articulo;

Qualis cultus exhibendus sit Sanctis?

ARTICULUS I.

DE

Adoratione Christi.

INdubitatum est, ac de fide certum, quòd Christus etiam quà homo, sive secundùm Naturam humanam adorandus sit Latriâ. Sic enim extat definitum in V. Synodo generali *collat. 8. can. 9. Si quis duas adorationes introducat, & non unâ adoratione Verbum Incarnatum cum propriâ ejus carne adoret, anathema sit.* Similiter in Concilio Ephesino *cap. 8.* habetur definitum, quòd *Christus homo unicâ adoratione sit adorandus.* Unde etiam S. Cyrillus *lib. 1. de fide ad Reginas* ait: *In Christo non esse unam naturam, quæ adoretur, & alteram, quæ non adoretur, sed utramque simul adorari unâ adoratione.* Cùm igitur Divinæ, & Humanæ naturæ in Christo unica debeatur adoratio, neque verò Divinæ naturæ sit conveniens alia, quàm Latriæ Adoratio, evidenter sequitur, Christum etiam quà Hominem adorandum esse Latriâ. 7.

Nihilominùs, quia dupliciter aliquid se habere potest ad Adorationem, *Motivè* per modum rationis, propter quam congruat adoratio, ac *Terminativè* per modum rei adoratæ, sive Termini Adorationem non ex suâ præcisè entitate, ceu ratione motivâ, sed ex quâdam sibi inexistente Excellentiâ in se ipsâ tamen terminantis. Idcirco hic specialiter venit adnotandum, quòd, dum dicitur, Christus *in quantum* homo adorari Latriâ, per *τὸ in quantum* non significetur, quasi Humanitas sit motivum, seu ratio *propter quam* Adorationis ejusmodi, sed quòd se habeat per modum rei adoratæ, seu termini in se terminantis Adorationem. Hinc oritur difficultas primò. *Utrùm Humanitas Christi adoretur Latriâ perfectâ & absolutâ, vel respectivâ duntaxat seu imperfectiori Latriâ?* Secundo. *Utrùm Humanitas Christi quà præcisa à Verbo possit adorari Adoratione Duliæ, seu Hyperduliæ?* 8.

CONTROVERSIA I.

Utrùm Humanitas Christi adoretur perfectâ & Absolutâ, vel Respectivâ duntaxat ac imperfectiori Latriâ?

1. NOnnulli à Suarezio *præf. disp. 53. sect. 2. §. Secundò oportet.* allegati existimabant, Humanitatem Christi etiam in Verbo non adorari Latriâ perfectâ, sed imperfectiori. Fundamentum est. Cùm enim Latria perfecta soli Deo debeatur, Humanitas verò Christi nequeat esse Deus, non potest adorari Latriâ perperfectâ, sed aliâ imperfectiori; per quam adoretur Humanitas illa ut conjuncta Divinitati. Unde sanctus Damascenus *orat. 1. de Imagin.* loquens de Humanitate Christi ait, *Materiam verò, per quam mihi salus parta est, colere non desinam, non tamen ut Deum.*

2. Adstipulatur Ysambertus Sorbonicus ad *præf. q. 25. disp. 2. art. 2. suâ quæst. 1.* tenens, Humanitatem Christi non absolutâ, sed respectivâ duntaxat Latriâ adorari. Fundamentum est. Tunc enim aliquid adoratur respectivâ duntaxat adoratione, quando ratio motiva adorationis ipsi non inest, nec ei secundùm se convenit: sed tamen, quia habet ordinem & habitudinem ad illam, adoratur. At increata Excellentia, quæ est ratio motiva Latriæ, non inest Humanitati Christi, sed tantùm humanitas hunc habet ordinem & habitudinem ad Verbum Divinum. Et hinc S. Damascenus *lib. 4. de fide. cap. 2. & 3.* ait. *Caro secundùm ipsius naturam inadorabilis est, ut creatura; unita autem Deo Verbo, propter ipsum, & in ipso adoratur.*

3. Cardinalis de Lugo *præf. disp. 34. sect. 2. n. 27.* ex communi sententiâ tradit; Humanitatem eâdem prorsus Latriâ adorari, quâ Verbum Divinum. Fundamentum est. Quia licèt Humanitas non sit ratio, propter quam adoratur, est tamen id, quod adoratur, sive coadoratur in Christo. Sicut enim adoratur totus homo Duliâ propter Excellentiam gratiæ Habitualis, quæ solùm est in animâ, & tunc coadoratur Caro hominis: sic etiam adoratur totus Christus quoad omnes suas partes propter Excellentiam Divinitatis, quæ est in illâ Personâ, licèt non sit in singulis partibus.

CONCLUSIO.

4. CHristi Humanitas adoranda est Latriâ etiam absolutâ & perfectâ, non quidem *Motivè*, sed purè *Terminativè* se habendo ad talem adorationem.

Probatur. Nam Latria absoluta distinguitur à Respectivâ, quòd ista terminetur ad suppositum, cui non *intrinsecè* convenit Excellentia *Formaliter* specificativa & Motiva adorationis Latriæ, sed cui inest duntaxat respectus ad Divinam Adoratione Latriæ dignam Excellentiam. At Humanitatis Christi super unione Hypostaticâ fundatus ad Verbum Divinum respectus tanquàm fundamentum supponit in eâdem Humanitate Christi formalem *sub ratione subsistendi* ac *existendi* ex Hypostasi Verbi tanquàm formâ non quidem informativâ, sed per modum Actûs puri *intrinsecè* terminativâ actuationem. Unde Adorationis seu Latriæ Humanitati Christi exhibendæ ratio *motiva* non est *præcisè* respectus ad Divinam Excellentiam ac Majestatem ejus infinitam, sed est ipsummet Divini Verbi *Esse* subsistens *Formaliter intrinsecè* non quidem *Informativè*, sed *Terminativè* se habens ad Humanam Christi naturam. At verò Latria est 5.
hoc ipso absoluta, si motivum adorationis in eo, cui exhibetur, non sit respectus duntaxat ad Divinam Latriâ dignam Majestatem ac Excellentiam, sed sit intrinseca Divini subsistentis *Esse* se ipsum *Formaliter Terminativè* communicantis actuatio. Consequens igitur est, Humanitatem Christi ex Divino Verbi subsistente *Esse formaliter intrinsecè*, non quidem *Informativè*, sed *Terminativè* actuatam, esse adorabilem absolutâ Latriæ adoratione. At hujus adorationis obje- 6.
ctum aliud est *formale Motivum*, aliud *materiale purè Terminativum*. Est autem *formale* Adorationis Latriæ Motivum Excellentia Divinæ Majestatis. Unde Humanitas Christi eo ipso, quòd secundùm *Esse* Essentiæ maneat omninò distincta ab *Esse* Verbi subsistente Divinæ Majestatis Excellentiam *Formaliter identicè* importante, nequit Humana Christi natura secundùm Essentiæ *Esse* spectata se habere *Motivè* ad Latriæ adorationem. At verò quia eadem Humanitatis Essentia non 7.
per aliam, quàm per Increatam Verbi Existentiam est subsistens ac existens, consequenter sub statu subsistendi considerata importat ut sic formale Adorationis Latriæ *Motivum*. Ex hoc autem fit denuò consequens, ipsammet etiam Essentiam, & naturam creatam Humanitatis Christi sub tali per *Esse Verbi* existendi statu esse in se ipsâ *quoad propriam Entitatem*, objectum *materialiter Terminativum* absolutæ Latriæ adorationis. Patet igitur, Humanitatem Christi sub statu Existendi, *concretè* adeò spectatam, *intrinsecè* includere objectum tam Motivum, quàm Terminativum Latriæ absolutæ, sub ratione verò Essentiæ & naturæ *absolutè* ac *præcisè*, quoad Exercitum tamen ac physicum Essendi statum consideratam eatenus connotare formalem ex Verbi subsistente *Esse*, ceu formâ intrinsecè Terminativâ actuationem, ut ratione hujus se habeat *Terminativè* ad Latriæ absolutam adorationem.

Dices. Adorationem Christi eatenus ter- 8.
minari ad Christum in statu suo integrali perfectionis tam substantialis, quàm accidentalis per modum objecti totalis quasi indivisibiliter spectatum, ut consequenter accidentia Humanitatis Christi sint etiam objectum talis adorationis. Atqui rationem formalem motivam talis ad Christi accidentia terminatæ adorationis esse unionem non quidem immediatam, sed mediatam cum Hypostasi Verbi, tanquàm ipsorum subjecto *Quod*. Etsi verò Hypostasis Verbi *immediatè* sit conjuncta Humanitati, huic tamen *solùm mediatè* uniri Divinam Verbi naturam. Unde ex respectu saltem ad Divinitatem non videri Humanitatem Christi adorabilem alio adorationis genere, quàm ejus accidentia sint adorabilia ex respectu ad Verbi Divini suppositum, tanquàm subjectum *Quod*. At verò acciden-

accidentia Humanitatis Christi ex respectu ad Hypostasin Verbi non adorari absoluto, sed respectivo tantùm Latriæ Cultu. Ergo nec Humanitatem Christi ex respectu saltem ad naturam Divinam, si non etiam ad Verbi Hypostasin, videri adorandam Latriâ absolutâ, sed duntaxat respectivâ.

9. Contra. Nam Accidentia Humanitatis Christi eatenus solùm se habent ad Divinam Verbi Hypostasin, quatenus ista sub formali *existendi* ac *subsistendi* ratione se habet per modum conditionis *essentialiter* necessariæ ad Physicam tum effectuum ex Humanitate Christi, ceu principio Radicali *Quo* emanationem, tum accidentium in eadem Humanâ naturâ Christi, ceu subjecto *Quo* receptionem. Quæ proinde ratio est, cur suppositum Christi, atque adeò Verbi Hypostasis dicatur tum principium *Quod* actionum ex Humanitate Christi *effectivè* procedentium, tum subjectum *Quod* accidentium in Humanâ Christi naturâ *physicè* receptorum. At hinc non evincitur, quòd Divina Verbi Hypostasis accidentibus in humanitate Christi receptis tribuat formalem intrinsecæ alicujus actuationis quasi effectum, quin potiùs accidentia ejusmodi habeant proprias suas existentias, non verò existant per Increatam Verbi Existentiam. Unde Hypostasis Verbi *solùm extrinsecè* se habet ad Christi Humanitatis accidentia. Ergo ista propter mediatam sui cum Verbo tanquam subjecto *Quod* unionem non sunt adorabilia per Latriam absolutam ex intrinsecâ scilicet Divinæ Excellentiæ actuatione, sed per Latriam duntaxat respectivam, ex respectu scilicet *solum extrinsecè* se habente ad Divinam Verbi Hypostasin.

10. At verò licèt Divinitas sub formali naturæ ratione Humanitati Christi non tribuat aliquam intrinsecam formalis quasi effectus actuationem, nequit tamen Divina natura ut sic intelligi, quin *Transcendentaliter* in suo formali conceptu involvat Divinum subsistens *Esse*. Hoc verò eatenus est *formalissimè* imbibitum in Verbi Hypostasi, omnique formalitate Divinâ, ut suppositum Verbi *Hypostaticè* se uniendo Humanæ Christi naturæ, huic *intrinsecè*, non quidem *informativè*, sed *Terminativè* tribuat formalem ejusdem subsistentis *Esse* quasi effectum. Unde ipsum *Esse* naturæ Divinæ per intrinsecam actuationem se *Formaliter* communicando Humanæ naturæ, facit istam *intrinsecè* dignam adoratione Latriæ. A qui objectum ex intrinsecâ Divini subsistentis *Esse*, primæque adeò Majestatis, ceu formæ terminativæ actuatione adorabile est in se eatenus terminativum Latriæ, ut eo ipso adoretur absolutâ Latriâ per modum objecti non quidem *formalis*, sed *materialis* ac *terminativi*.

11. Cùm igitur Humanitas Christi *Formaliter Terminativè* in se habeat actuationem Divini subsistentis *Esse*, hæc ipsa verò *Esse* subsistentis actualitas *Formaliter identicè* inexistens Divinitati, sit in hâc ratio perfectionis ac Excellentiæ Latriâ *per se formaliter* ac *motivè* dignæ, consequens est, perfectionem ac Excellentiam naturæ Divinæ non quidem sub formali ratione naturæ, sed sub formalitate subsistentis *Esse* eatenus se communicare *intrinsecè* Humanitati Christi, ut ista ex mediatâ ad naturam Divinam unione ut sic immediatam cum Verbi subsistente *Esse*, ejusque ad Patrem Æternum relatione conjunctionem importante; non respectivâ duntaxat, sed absolutâ Latriâ sit per modum objecti materialis *per se terminativè* adorabilis, eo ipso, quòd in se *Formaliter intrinsecè*, non quidem *motivè*, vel *Informativè*, sed *Terminativè* habeat formalitatem Divinam Latriâ dignam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

Ad n. 1. oppositum Respondetur. Ex illo duntaxat probari, quòd Humanitas Christi non possit ad absolutam Latriam se habere *motivè*, sed *purè terminativè*, nec adeò ut Deus utpotè per suam Essentiam *motivè*, sed ut creata natura ad Divini subsistentis *Esse* actuationem *intrinsecè terminativè* se habens, solùm *terminativè* sit adorabilis. 12.

Ad Ysamberti *n. 2.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd Divini subsistentis *Esse* actualitas *formaliter intrinsecè*, sive *essentialiter* ac *transcendentaliter* non insit Humanæ Christi naturæ; Nihilominùs Divinum subsistens *Esse* suam existendi ac subsistendi actuationem *formaliter intrinsecè* per modum formæ non quidem informativæ, sed terminativæ communicare Humanæ Christi naturæ. Hinc autem fieri consequens, quòd ratio motiva adorationis *terminativè* insit Humanitati Christi. Ex hoc autem rursus sequi, quòd Humana Christi natura non ex respectu, tantùm *extrinsecè* ad Hypostasin Verbi se habente, sit adorabilis latriâ duntaxat respectivâ, sed absolutâ, utpote ad Humanitatem quà ex Verbi subsistente *Esse intrinsecè* actuatam terminatâ. Et hinc S. Damascenum *citatum* solum intendere, quòd Humana Christi natura non propter se ipsam, sed propter Verbum *hypostaticè* sibi unitum eatenùs sit adorabilis, ut ad talem adorationem non se habeat *motivè*, per modum objecti formalis *specificativè*, sed *terminativè* duntaxat per modum objecti materialis. 13.

CONTROVERSIA II.

Utrùm Humanitas Christi quà præcisa à Verbo, possit adorari adoratione Duliæ, sive Hyperduliæ?

Suarez *disp. 54. sect. 3. in fine.* Ysambertus ad *præs. q. 25. disp. 2. art. 5.* & alij tenent; Humanitatem Christi Domini unitam quidem Verbo, non tamen sic apprehensam, sed tantùm secundùm alia Dona supernaturalia gratiæ spectatam, esse (*speculativè loquendo*), capacem adorationis Hyperduliæ. Fundamentum est. Eo ipso enim, quòd abstrahentium non sit mendacium, potest cum veritate apprehendi Humanitas Christi sine unione hypostaticâ, cum alijs gratiæ supernaturalibus Donis. Ut sic autem est digna aliquâ adoratione. Non verò Latriâ, cùm sub tali apprehensione nihil includatur, nisi merè creatum: neque item Duliâ communi sanctis, quia Excellentia Humanitatis Christi sub tali etiam apprehensione est superior, & Humanitati singularis. Ergo ut sic est adorabilis adoratione Hyperduliæ. Nam ad 1.

 hoc

hoc ut adoratio aliqua in ratione adorationis vera sit, sufficit, quòd respondeat apprehensioni, & quòd Excellentia per Intellectum apprehensa insit rei adoratæ. Ergo quemadmodum apprehensio Humanitatis Christi secundùm Excellentiam & Dignitatem creatam, non apprehensâ unione ejus ad Verbum, est vera & legitima: ita etiam & affectus Voluntatis, & nota submissionis ei exhibita erit vera & legitima in ratione adorationis.

2. Cardinalis de Lugo *præf. disp. 35. à n. 55.* tenet, *physicè loquendo* non quidem repugnare, quòd Humanitas Christi præcisa à Verbo adoretur adoratione Hyperduliæ, attamen *moraliter loquendo*, verisimiliter id non licere, nec decere talem adorationem. Fundamentum est. Omnis enim persona, quando decenter colitur, debet coli non quocunque, sed meliori genere Cultûs, quem habere potest. Ergo cùm Humanitas Christi capax sit adorationis perfectæ Latriæ, quando scilicet adoratur cum Divinitate, non tractatur, nec colitur debito modo ab illo, qui præscindit solam Humanitatem sine Divinitate, ut eam inferiori aliquo cultu afficiat.

3. Huic fundamento eatenus quidem defert Ysambertus *cit. disp. 2. n. 6.* ut asserat tamen, Humanitatem Christi unitam Verbo non verò sic apprehensam, sed nudè tantùm, non adorari decenter, sed adorandam esse simul cum Verbo.

CONCLUSIO I.

4. EO ipso, quòd Christi Humanitas existat per Increatam Verbi existentiam, non est sub ullâ prorsus præcisione eatenùs intelligibilis, ut solo Hyperduliæ cultu possit adorari.

5. Probatur. Nam Dona supernaturalia gratiæ non possunt se habere ut motivum adorationis Humanitati exhibendæ, nisi quatenus per physicam eorum actuationem constituitur eatenus digna cultu ejusmodi, ut ejusdem adorationis sit objectum terminativum. At verò Humanitatis Christi per creata supernaturalia Dona actuatio physica *essentialiter* supponit talem Humanitatem quà existentem. Nequit ergo Humanitas Christi propter supernaturalia Gratiæ Dona adorabilis esse, nisi prout *physicè* existens est, non per aliam, quàm Increatam Verbi existentiam. Unde Humanitatis Christi per supernaturalium gratiæ Donorum actuationem adorabilitas eatenus importat Dignitatem sanctitatis creatæ, ut sic adorationis Duliæ sive Hyperduliæ motivam, ut *intrinsecè* tamen supponat Dignitatem ex increatâ Verbi existentia *formaliter* provenientem, adeò ut, dum Humanitas Christi propter supernaturalia gratiæ Dona adoratur, ipsamet Verbi existentia Humanitatem illam ad physicam Donorum actuationem per modum intrinsecæ, ac *essentialiter* prærequisitæ conditionis afficiens, debeat talis adorationis esse quodammodò terminativa. At verò intrinseca *in genere Moris* est indecentia, quòd existentia Verbi se habeat ad illam adorationem *purè terminativè*, gratia verò creata *motivè*, eò vel maximè, quod illa sit illi *essentialiter* subordinata in genere causæ, tum efficienter, tum finaliter motivæ. Imò gratia creata, cùm nihil habeat appretiabilitatis nisi quà participata & Ideata ex supereminentiali Humanam Christi naturam *formaliter terminativè* actuante, & ut sic *substantialiter* sanctificante, atque ad supernaturalium gratiæ Donorum physicam actuationem *intrinsecè* habilitante *Esse* Divino; 6.
oportet, habitualem Christi Humanitati *physicè* inexistentem gratiam non posse adorationis esse motivum, nisi sub essentiali sui ad Divinum Increatæ Verbi existentiæ *Esse*, tanquàm Principalius motivum subordinatione. Hinc autem fit, 7.
quòd eatenus possit Humanitas Christi adorari propter creatam gratiæ Habitualis sanctitatem, ut ad eandem tamen Adorationem per modum *primi motivi* concurrere simul debeat sanctitas substantialis per Increatam Verbi Existentiam Humanitati Christi *formaliter* communicata: Ex hoc autem rursus sequitur, posse 8.
quidem creatam habitualis gratiæ sanctitatem in Christi Humanitate fundare adorabilitatem Hyperduliæ; ut adoratio tamen ex tali sanctitatis creatæ motivo exhibita, simul respiciat increatæ Verbi Existentiæ, Humanitatem Christi actuantis, & ut sic pro physicâ illius creatæ sanctitatis receptione habilitantis Dignitatem, tanquàm principalius creatæ sanctitatis adorabilitatem *supereminenter* sibi subordinans Motivum. At verò adoratio ex creatæ sanctitatis motivo exhibita habet specificam rationem Duliæ, sive Hyperduliæ, mota verò ex substantiali Increatæ Verbi existentiæ sanctitate supereminentiali, quà Humanam Christi naturam actuante, & ut sic ad creatam gratiæ habitualis sanctitatem physicè recipiendam habilitante, habet specificam rationem latriæ. Constat igitur, adorationem Hyperduliæ ex creatæ sanctitatis Christo Homini inexistentis Dignitate, 9.
ceu motivo specificatam, eatenus habere locum respectu Humanitatis Christi, ut ejusmodi tamen adoratio debeat esse conjuncta cum adoratione latriæ, ut sic terminatæ ad Humanitatis Christi ex Verbi unione *Formaliter* communicatam existentiam & subsistentiam, tanquàm Principalius sanctitatis creatæ Dignitatem *supereminenter* sibi subordinans motivum: Divo Thomâ *præf. q. 25. art. 3.* attestante, unam, eandemque personam Christi adorari tum adoratione latriæ propter suam Divinitatem, tum adoratione Duliæ propter perfectionem Humanitatis omni munere gratiarum perfectæ.

10. Dices. Sanctum Thomam *præf. q. 25. art. 2. ad 1.* ex S. Damasceno expressè docere, quòd, si Humanitas separatim à Verbo intelligatur, deberi ipsi adorationem Hyperduliæ. Ergo non repugnare, quòd adoratio Hyperduliæ terminetur ad Humanitatem Christi à Verbo præcisam, quin ad ipsam feratur etiam adoratio latriæ. 11.

Contra. Nam aliud est, Hyperduliæ ac latriæ adorabilitatem respectu Humanitatis Christi *in actu signato* eatenus considerare, ut unius, ejusdemque actûs adorationis per rationem veram præcisionem diversæ considerentur formalitates, quarum una ex creatâ Humanitatis Christi sanctitate tanquàm motivo specificata, habeat rationem Hyperduliæ, altera verò ex Increatâ Verbi existentiâ quà Humanitatis per sui substantial- 12.

tialem unionem sanctificativâ, tanquam motivo principaliori specificata habeat rationem latriæ. Aliud verò est, Hyperduliæ ac latriæ adorabilitates respectu Humanitatis Christi *secundùm intellectivam præcisionem* eatenus posse separari, ut diversi adorationis actus possint *exercitè* ex illis specificari, ita ut unus præcisam latriæ, alter autem Hyperduliæ specificam Honestatem *realiter* obtineat. At licèt prius sit possibile, ac sancti Doctoris præcitatæ doctrinæ conforme: posterius tamen nullatenùs concedi debet. Probatur istud subsumptum:
2. Nequit enim per ipsamet virtutis Essentiâ subsistere alicujus virtutis ratio, dum aliqua moralis indecentia commiscetur objecto ipsius formali ac specificativo. Atqui Humanitatis Christi propter habitualis gratiæ sanctitatem creatam adorabilitas non est intelligibilis, nisi ex parte Humanitatis involvatur Existentia *essentialiter* prærequisita ad illius creatæ sanctitatis physicam receptionem. Hæc verò utpote ipsa Verbi Increata existentia non potest citra indecentiam moralem ad Christi Humanitatis adorationem se habere purè *terminativè* per modum objecti materialis, sed ipsius supereminentialis sanctitatem creatam sibi *essentialiter* subordinans Dignitas exigit, ut respectu talis adorationis se habeat per modum objecti formalis *motivè*. Cùm proinde, si Christi Humanitas ex creatæ duntaxat sanctitatis motivo *præcisè* adoraretur, ejusdem per Verbum existentiâ ad talem adorationem *purè terminativè* se habente, aliqua involveretur moralis indecentia, consequens est, talem adorationem eatenus esse impossibilem, ut ne Hyperduliæ quidem Honestas, & virtu-
3. tis puritas sub tali adorationis modo subsistere posset. Quare eo duntaxat sensu præscindere licet in Christi Humanitate adorabilitatem Latriæ, & Hyperduliæ, quatenus utriusque istius virtutis specificatio in unum adorationis actum ex sanctitate Humanitati Christi tum creatâ, tum Increatâ secundùm Quartum *Perseitatis* modû re ipsâ *indivisibiliter* derivata, per nostrum præcisivum intelligendi modum est *metaphysicè* divisibilis in duplicem *ratione ratiocinatâ* distinctam formalitatem, quarum altera obtineat Honestatem Latriæ, altera verò Hyperduliæ. Et sic facilè patere potest responsio ad opposita Fundamenta.



ARTICULUS II.

DE

De Adoratione Eucharistiæ, Crucis, Imaginum, aliorumque Instrumentorum Passio-
1. *nis Christi.*

IMagines Christi & Sanctorum ritè collocari in templis, est indubitata fidei orthodoxæ Veritas. Uti probat usus Ecclesiæ, ab ipsomet etiam Christo derivatus. Etenim Christus faciem suam expressit in linteo sanctæ Vero-
2. nicæ, asservaturque ista faciei Christi imago Romæ in Basilicâ sancti Petri. Insuper Christum sui ipsius imaginem misisse Abagaro Regi Edessæ, præter alios testatur Damascenus *lib. 4. de Fide. cap. 17. de orat. 1. de imagin. circa finem.* Ex traditione etiam habetur, uti refert Nizephorus *lib. 2. hist. cap. 43. & lib. 6. cap. 16.* Item *lib. 14. cap. 2.* Lucam Evangelistam depinxisse imaginem Christi, & Beatæ Virginis. Denique antiqua Historia intra Breviarium etiam *9. Novembris in officio Dedicationis S. Salvatoris* relata recenset, tempore Sylvestri Papæ apparuisse imaginem
Salvatoris in pariete ejusdem Ecclesiæ. 3

Cujusmodi proinde Imagines adorandas & venerandas esse, inde evincitur, tum quòd in sacris litteris dicantur adorandæ aliquæ creaturæ irrationales propter ordinem, aut respectum peculiarem, quem habent ad Deum. Sic enim Arca Dei adoranda proponitur Psal. 66. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Et
Psal. 131. dicitur: *Adorabimus in loco, ubi steterunt* 4
pedes ejus. Insuper mensam & Propitiatorium ac Tabernaculum adorata fuisse ab Israelitis, testantur S. Damascenus *lib. 4. de Fide. cap. 17.* Et VII. Synodus *act. 7. in epist. Theod. Patriarch. Hierosol.* Tum quòd vasis etiam sacris in Testamento veteri ceu cultûs Divini instrumentis adhiberetur honor, utpote ad quæ reverenter tractanda fuerint selecti homines sacri ex tribu Levi. Neque populo concessum erat, ut proximè ad Arcam accederent. *ex Iosue 3. & 1. Reg. 3.* Moyses insuper propter sanctitatem jubebatur solvere calceamenta de pedibus *Exod. 3.* Ve-
stes etiam Sacerdotales sanctæ dicuntur *Exod. 12.* 5.
Denique res quoque inanimatæ ex respectu ad Deum assumuntur tanquàm materia juramenti, cùm tamen in Iuramento exhibeatur cultus, & reverentia circa rem illam, per quam juratur. Pari ergo ratione ex tali respectu, quem sub aliquâ repræsentativâ vi ad Deum, seu Christum, aut Sanctos *moraliter* habent imagines, hisce exhibendus est cultus ac veneratio: prout definitum habetur in Concilijs Romano sub Gregorio III. item Romano sub Stephano, VII. Synodo seu Nizenâ II. *act. 7.* Trident. *sess. 25. in Decreto de Reliquijs & Veneratione Sanctorum.*

Quibus adeò suppositis, Controversiæ hic discutiendæ veniunt; prima, *Utrùm Imago possit adorari, non adorato exemplari saltem in recto?* Secunda. *Qualiter Crux Christi sive originaria, sive imitativa sit adoranda?* Tertia. *Qualiter oporteat adorare Eucharistiam?*



CONTROVERSIA I.

Utrùm Imago Dei, seu Christi, ac Sanctorum possit adorari, non adorato exemplari saltem in recto?

VAsquez *disp. 108. per totam* negat. Funda-
mentum est. Nam in adoratione di- 1.
stingui debent, tum interna erga rem adorabilem submissio adorantis, tum istius submissionis exterior nota, scilicet genuflexio, seu capitis inclinatio. At imago non est capax illius internæ submissionis, licèt propter excellentiam Exemplaris per Imaginem repræsentati possit isti exhiberi exterior submis-

ſionis nota, genuflexio ſcilicet, deoſculatio &c.

Suarez *præſ. diſp. 54. ſect. 6.* aſſerit, poſſe aliquem actum adorationis ferri in recto ad Imaginem, quin feratur *in recto* ad Exemplar, ſed ſolùm in *obliquo*. Fundamentum eſt. Nam ſicut poteſt amari medium propter finem, & diligi proximus propter Deum, quin Deus ametur *in recto*, ſed ſolùm *in obliquo*; ſic etiam poterit adorari Imago *in recto*, non ſolùm per notam externam, ſed etiam per actum internum propter Exemplar, ſine eo, quòd Exemplar terminet actum internum, vel externum *in recto*, ſed ſolùm *in obliquo*. uti pluribus firmat Suárez *citatus*.

3. Cardinalis de Lugo *præſ. diſp. 36. ſect. 3. à n. 26.* quatuor ponit reſolutiones circa præſens punctum. *Primò* aſſerit, caſu, quo Imago ſimul cum exemplari adoratur, ſeu quando adoratur aggregatum ex imagine & exemplari, tunc affectum quoque ſubmiſſionis internæ *partialiter terminari* ad Imaginem, tanquàm objectum partiale illius Totius, quod adoratur. Fundamentum eſt. Quia licèt Imago *ſecundùm ſe* non habeat Excellentiam, ratione cujus poſſit creatura rationalis ſe illi ſubmittere; illud tamen totum aggregatum ex Imagine & exemplari verè habet talem excellentiam, ratione cujus ſit excellentius adorante. Ergo hic rationabiliter ſe ſubmittit Toti ejuſmodi.

4. *Secundò.* Author citatus *n. 28.* tenet, non repugnare, quòd ſola Imago adorari poſſit, quin Exemplar *in recto* adoretur.

Fundamentum eſt. Sunt enim diverſa objecta in Signum adorationis oſculari v.g. imaginem, & oſculari exemplar, quando adeſſet. Ergo poſſum velle unum abſque eo, quòd velim *in recto* alterum. Ergo eo genere adorationis, quæ terminatur ad imaginem (quæcunque illa ſit) non adoro tunc exemplar ſaltem *in recto*.

Nihilominùs *tertiò* idem de Lugo citatus *nu. 30.*
5. probat, non poſſe adorari imaginem, quin per illummet actum non *arguitivè* duntaxat, ſed *formaliter* & *expreſsè* adoretur exemplar, ſaltem *in obliquo*. Fundamentum eſt. Cùm enim Religio & Dulia ſint ex illis virtutibus, quæ ſunt ad alium, conſequens eſt, adorationem ſaltem ex naturâ ſuâ poſſe eſſe partem poteſtativam Juſtitiæ. Atqui Juſtitia tam ſubjectiva, quàm poteſtativa non eſt niſi in ordine ad naturam intellectualem, cui ſolvit debitum aliquod.

Quartò denique Author prætactus *à n. 35.* docet,
6. adorationem eatenus terminari ad imaginem, quatenus huic internus etiam ſubmiſſionis affectus unà cum exteriori iſtius notâ exhibeatur, non quidem per modum cultûs abſoluti, ſed reſpectivi, ita ut exemplar colatur tanquàm id, cui debemus cultum, & cui ſolvimus debitum, imaginem verò adoremus tanquàm terminum illius cultus, quem alteri debemus, ſcilicet exemplari.

7. Yſambertus Sorbonicus *ad cit. q. 25. diſp. 4. a. 1. & 3.* docet. Imaginem tripliciter poſſe adorari. *Primò*, ita ut tota adoratio dirigatur ad exemplar, tanquàm objectum *Quod*, Imago tamen dicatur adorari, quatenus ad ejus præſentiam adoretur exemplar, atque ad hujus recordationem ac repræſentationem ſe habeat imago, tanquàm medium. Quo proinde pacto dici imaginem adorari ut *Quo*, non ut *Quod*. Fundamentum eſt. Nam coram Imaginibus Sanctorum preces fundimus, non quidem ab ejs aliquid poſtulando, ut quaſi aliquam in ejs fiduciam collocemus, uti tradit Concilium Tridentinum *in Decret. de Reliquijs, & Venerat. Sanct.* ſed quòd dirigamus noſtras preces ad illarum exemplaria, quorum memoriam excitant nobis imagines.

Secundò ait prædictus Doctor: Imaginem tali- 8.
ter poſſe adorari, ut ex prototypo, & ejus imagine unum totum & adæquatum objectum conficiatur per apprehenſionem & conceptionem adorantis, ad quod ſe ſe terminet unicus actus adorationis. Fundamentum eſt. Ubi enim eſt eadem ratio formalis terminandi actum, ibi eſt etiam idem actus. At eo ipſo, quòd formalis actus adorandi tam imaginem, quàm ejus prototypon, ſit hujus excellentia, ſequitur, in imagine & prototypo eſſe eandem rationem formalem terminandi actum adorationis. Ergo unus eſt adorationis actus ſimul terminatus ad imaginem ac Prototypon.

Tertiò author *citatus* affirmat, adorationem 9.
poſſe etiam dirigi ad imaginem tanquàm rem, quæ terminet adorationem, ad Exemplar verò, ut ad rationem adorandi. Fundamentum eſt. Quia in tali adorationis actu motivum eſt excellentia Prototypi *ſecundùm Eſſe repræſentativum*, quod habet in imagine, ut ſic *Formaliter* ſpectatâ. Tunc autem honor iſte refertur ad Prototypon.

Conclusio.

Nullatenus repugnat, Adorationis 10.
cultum non quidem abſolutum, ſed reſpectivum tam *Motivè*, quàm *Terminativè* ſe habere ad Imaginem Chriſti & Sanctorum.

Probatur. Hoc enim intereſt inter abſolutum, & reſpectivum adorationis cultum, quòd iſte tanquàm rationem formalem motivam non reſpiciat aliquam excellentiam, adorabilitatis in naturâ duntaxat intellectuali fundatricem, ſed reſpectum aliquem ex tali excellentiâ ſpecificatum. At imago ſub formali ſuâ ratione eatenus habet *Eſſe repræſentativum* Prototypi, ut ſub talis *Eſſe repræſentativi* reſpectu in ſeipsâ adoretur, juxta illud Synodi VII. *Act. 4.* ubi, cùm recitaretur Teſtimonium Maximi Abbatis dicentis: *Venerandam Crucem, & Imaginem Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, nec non Dominæ noſtræ Deiparæ ſalutarunt.* Conſtantinus Cypri Epiſcopus illud verbis *ſalutarunt* accepit pro *adorarunt*. In 11.
cujuſmodi adeò adoratione ipſamet Imago eatenus ſe habet *Terminativè*, ut in ſe terminet adorationem ejuſmodi. Imò reſpectus *Eſſe repræſentativi* eatenus fundat adorabilitatem reſpectivam, ut talis reſpectus ſit formale Motivum ac ſpecificativum adorationis ejuſmodi. Quamvis proinde imago non niſi *indirectè* per modum inſtrumenti repræſentationem Prototypi rememorativam excitantis ſe habere poſſit ad abſolutam adorationem, ut ſic *Terminativè* ac *Motivè* ſe habentem ad Prototypon, ejuſque ſanctitatem ac excellentiam naturæ duntaxat intellectuali propriam: attamen ad reſpectivam adorationem poteſt Imago ſub ſuâ formali *Eſſe repræ-*

ſentativi

sentativè ratione se habere *immediatè* tanquàm objectum non terminativum duntaxat, sed eti-
12. am motivum. Unde sicuti honestates moralium virtutum quà ex Divinæ sanctitatis Increatæ puritate ideatæ & participatæ possunt *Motivè* & *Terminativè* se habere ad actum Voluntatis, quin Divina Increata bonitas ejusdem finalizativa *Formaliter*, sed *Virtualiter* duntaxat debeat esse intenta per actum ejusmodi: Sic formalitas adorationis quà respectivæ specificatur *Formaliter* ex solo imaginis ad Prototypon respectu, licèt tota in hoc adorabilitatis respectivæ ratio sit in Quarto *Perfectatis* genere *specificativè* derivata ex Prototypi excellentiâ, non *Formaliter*, sed *Virtualiter finalizativè* concurrente ad Imaginis adorationem quà respectivam.

Responsio ad opposita fundamenta.

13. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Verum esse, quòd imago non sit capax internæ submissionis *intransitivè* erga se exhibendæ. At verò talem submissionem posse *Transitivè* per adorationem respectivam eatenus terminari ad imaginem ut, sicuti tota ista respectiva Imaginis adorabilitas quoad suam honestatem objectivam est finalizata, & ut sic derivata ex Prototypo, sic adoratio ejusmodi etiam *Formaliter* sub adorationis quà respectivæ ratione considerata debeat *Virtualiter* esse finalizata, & ut sic specificata ex prototypi excellentiâ, uti probat fundamentum Suarezij *n. 2.* deductum.

14. Ad Cardinalis de Lugo *n. 3. ac seqq. præsertim n. 5.* deductam doctrinam Respondetur. Verum quidem esse, quòd adoratio utpote actus Religionis, vel Duliæ pertineat ad partem potestativam Justitiæ. Quam equidem *intransitivè* & *absolutè* non posse exhiberi, nisi erga naturam Intellectualem. Attamen actum Justitiæ posse in creaturâ etiam irrationali quà ad naturæ alicujus intellectualis Jus, vel excellentiam sive Physicam, sive moralem habente respectum eatenus *Transitivè* respicere honestatem sui specificativam, quatenus ista tamen sit finalizata ex intellectualis, ad quam refertur, naturæ excellentiâ, nec adeò nisi in virtute per istius excellentiæ finalizationem impressâ possit esse motiva & specificativa actûs ad Justitiam spectantis. Hinc autem fieri consequens, quòd actus respectivæ adorationis non semper *Formaliter*, sed quandoque *Virtualiter* duntaxat debeat esse *finaliter* motus ex intellectualis naturæ *absolutè* & *intransitivè* adorabili excellentiâ.

15. Ad Ysamberti *n. 7. ac seqq. præcipuè n. 9.* deducta fundamenta Respondetur. Aliter se habere excellentiam Prototypi sub suo *Esse reali*, & aliter *sub suo Esse repræsentativo*. At verò *Esse repræsentativum* esse ipsammet vim imaginis ad repræsentandam Prototypi excellentiam, illam verò rationem repræsentativam eatenus esse motivam adorationis respectivæ erga imaginem *immediatè*, sed erga Prototypon *transitivè* factæ, ut realis & Physica Prototypi excellentia non nisi *immediatione virtutis Esse* sui repræsentativo *finaliter* impressæ, atq; adeò *Virtualiter* duntaxat, non autem *Formaliter* debeat *motivè* concurrere ad specificationem adorationis quà respectivæ. Quam proinde eatenus dici transitivam, quatenus in ipsum Exemplar redundet, non quidem semper *Formaliter*, sed quandoque *Virtualiter* duntaxat, ita ut tota non nisi sub respectu ad Prototypon imagini competens adorabilitatis ratio ex Prototypi excellentiâ in quarto *Perfectatis* genere, sub suo *Esse morali* specificata, *Virtualiter* reducatur in eandem Exemplaris excellentiam, ceu virtutem moralis in adorabilitate quà respectivâ Honestatis finalizativam.

❀❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Qualiter Crux Christi adoranda sit?

CONCLUSIO.

EX fide orthodoxâ indubitatò tenendum est, Crucem Christi esse cultu Latriæ respectivo adorabilem, ex Synodo VII. *Act 7.* & Synodo VI. *can. 37.*

Probatur. Tum quia Crux Christi Originaria fuit altare, in quo Christus se ipsum 1.
obtulit Patri in Sacrificium & reconciliationem generis humani, fuitque instrumentum, quo vicit Diabolum, estque sanctificata ipsomet sanctissimi Corporis, & Sanguinis Christi contactu. Tum quia qualibet Crux est imago Crucis salutiferæ, in quâ Christus mortuus est, imò 2.
est figura ipsius etiam Christi Crucifixi repræsentativa. Ex quibus proinde respectibus Crux tam Originaria, quàm exemplata est adoranda cultu Latriæ respectivo, cum isto ta- 3.
men discrimine, partim quòd singulæ partes Crucis Originariæ etiam separatim, reliquæ verò Cruces tamdiù duntaxat, dum retinent formam Crucis, coli debeant: partim quòd Crux originaria cultu respectivo *immediatè tantùm* propter Christi excellentiam, quà motivum *Virtualiter* saltem finalizativum coli debeat, Crux verò exemplata possit etiã *mediatè* propter Christum cultu respectivo adorari, ita ut sub immediato ad Crucem Originariam, & mediato ad Christum respectu colatur.

❀❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA III.

Qualiter adoretur Eucharistia?

INter Catholicos de reali Christi intra Eucharistiam præsentiâ per fidem Divinam omninò certificatos, est indubitatum, quin 1.
Eucharistia absoluto Latriæ cultu adoranda sit. In quâ proinde adoratione species quoquè Eucharisticæ ex sui ad Corpus Christi, non quidem formali, sed causali earundem accidentium sustentativâ à Corpore Christi *physicè obedientialiter* exercitam actionem importante, unione se habet ut objectum, non quidem *motivum*, sed *materiale terminativum*. Quo adeò tanquàm certo supposito, controvertitur inter Theologos, *Utrùm in adoratione Eucharistiæ oporteat, implicitam saltem facere conditionem, si species nimirum sint consecratæ?*

Referun-

Referuntur Sententiæ.

2. VAsquez *disp.* 110. *cap.* 5. tenet, Etiamsi tali conditio non apponeretur, neque species essent consecratæ, non fore periculum Idololatriæ. Fundamentum est. Quia affectus summissionis internæ fertur in solum verum Christum. Quare, licèt ibi non existat, adoratur tamen, & terminat illum internum affectum.

3. Verùm ista doctrina Cardinali de Lugo *præs. disp.* 37. *sect.* 4. *n.* 44. videtur difficilis. Fundamentum est. Quia eâ positâ, sequitur, ferè nunquam dari Idololatriam, ipsi enim Ethnici ideò adorant Jovem, quia existimant, habere Divinitatem: qui tamen error non obstat, quò minùs ille cultus sit idololatricus, eo ipso, quòd feratur super subjectum, in quo non est vera Divinitas. Pari ergo ratione, dum species panis non essent consecratæ, eatenus ferretur adoratio in subjectum Divinitatis non contentivum, ut talis cultus absolutè exhibitus contineret Idololatriam materialem.

4. Hinc author *proximè* allegatus *n.* 46. *& seq.* concludit, in adoratione Eucharistiæ semper requiri conditionem implicitam, seu virtualem legitimæ consecrationis, licèt *Regulariter* non sit necessum, imò nec expediat, illam conditionem *explicitè* apponere. Fundamentum est. Quia per illam conditionem virtualem intelligitur talis adorandi modus, ut interpretemur, quòd tunc Catholicus, si sciret sub illis speciebus non esse Christum, non adoraret contentum sub ipsis.

CONCLUSIO.

5. HAbito prudentiali de specierum consecratione dictamine, sive certitudine morali, non est periculum idololatriæ, etiamsi *absolutè* absque ullâ conditione adorentur species solùm *putativè*, non autem *verè* ac *realiter* consecratæ.

Probatur. Nam honestas adorabilitatis Christi, quà in Eucharistiâ contenti est omninò certa per fidem Divinam. Hæc autem adorabilitatis ratio *signatè* & *in abstracto* indubitanter vera & certa ad istas in particulari species Eucharisticas reduci debet per morale prudentiale Judicium. At istud morale prudentiale Judicium, si supernaturale sit, ab ipsomet Spiritu sancto eatenus est depuratum ab errore, qui sub materiali istarum specierum adorationi expositarum, reipsâ tamen non consecratarum concretione latet, ut Christum quà in Eucharistiâ contentum sub purâ adorabilitatis ratione absque ullâ falsitatis commixtione & coinquinatione repræsentet, erroneo circa Christi sub hisce speciebus præsentiam Judicio se habente *solùm concomitanter* ad dictamen supernaturale à Spiritu sancto inspiratum, ut sic supernaturalis

6. adorandi actûs directivum. Quòd si verò Judicium de Christi sub speciebus non *verè*, sed *putativè* tantùm consecratis adorabilitate formatum fuerit naturale, potest quidem habere intrinsecam sibi identificatam istius erroris concretionem. Attamen ubi habita fuit moralis circa consecrationis veritatem diligentia, tunc ille error est purè speculativus, nec est falsitatem suam influens in voluntatem, sed istius actus potest ex verâ Christi adorabilitate, ceu motivo suo formali specificari, adeò ut concretio talis adorabilitatis in se ac *signatè* omninò veræ ac certæ ad exercitum sub hisce speciebus adorabilitatis statum se habendo *solùm materialiter*, ac *speculativè*, non sit influens, nec adeò impediat adorationis ex verâ Christi, quà in Eucharistiâ *signatè* sumptâ contenti adorabilitate specificationem essentialem, uti *in tomo.* 2. *q.* 9. *a.* 4. *cont.* 2. ostendimus. Eo ipso autem, quòd 7.
judicium in hisce speciebus solùm *putativè* consecratis adorabilitatem erroneè repræsentans in actum voluntatis non influat suam materialem erroneam concretionem, sed honestatem ex verâ Christi in Eucharistiâ *signatè* sumptâ contenti adorabilitate in quarto *Perseitatis* modo *Formaliter* specificatam, nequit tunc subesse in genere moris Idololatria etiam materialis, dum hæc scilicet *etiam materialiter* considerata, ne quidem *indirectè* in actum voluntatis *quà Moralem*, sed *quà Physicum* duntaxat influere potest individualem aliquam conditionem.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Vasquezij *n.* 1. deductum fundamentum Respondetur. Verum omninò esse, quòd 8.
voluntatis actus quà moralis ad species falsò consecratas, sed ad Christum, quà in Eucharistiâ Divinitùs institutâ *signatè* sumptâ verè contentum ne quidem *indirectè* terminetur, dum morali per sufficientem de veritate diligentiam certitudine, ac securitate practicâ habitâ, ille de specierum consecratione error *solùm speculativè* se habet ad Christi sub talibus speciebus adorationem *practicè* & *formaliter* veram, nec nisi *materialiter physicè*, non autem respectu *moralitatis* etiam quà *exercitè* ponendæ *practicè* falsam.

9. Ad Cardinalis de Lugo *n.* 2. oppositum fundamentum Respondetur. Gentiles Jovem adorando, *practicè* etiam *in genere moris* contrahere falsitatem, dum absque securitate morali Divinitatem, atque adeò adorabilitatem huic unicè debitam attribuunt supposito Divinitatis experti. In quo adeò disparem esse rationem illius, qui cum morali per sufficientem de consecrationis veritate diligentiam fundatâ certitudine speciebus *reipsâ* non consecratis impendit Latriæ cultum, siquidem error de talium specierum putatitiâ duntaxat consecratione se habeat tunc solùm *speculativè*, nec adeò *in genere moris* intervenire possit idololatria etiam *materialis*, sed in *genere* duntaxat *Physico* actus adorandi contrahat individualem quandam falsæ adorationis concretionem.

COROLLARIUM.

10. INfertur. In omnibus rebus etiam inanimatis quà Dei effectibus, & quibusdam Deitatis per Divinæ imitabilitatis ideationem expressis, ac per physicam earundem effectionem, ac finalizativam causalitatem impressis vestigijs inveniri Divinæ Excellentiæ repræsentationem, sub quâ possint cultu respectivo latriæ adorari. Ita ex communi Theologorum sententiâ tradit Cardinalis de Lugo *præsent. disp.* 37. *sect.* 1. Ratio est.

est. Quia vi talis causalitatis Deus per suum *Esse* etiam intimè illabitur rebus à se effectis. Et hinc dicitur etiam *Math. 5. Nolite jurare per cælum, quia Dei thronus est, nec per terram, quia scabellum est pedum ejus.*



ARTICULUS III.

De

Adoratione Sanctorum, præsertim Deiparæ, nec non Reliquiarum.

1. ADoratio Sanctorum, ac Reliquiarum ex duplici titulo aliquam cum Christi adoratione proportionē habet. 1. ex generali materiæ connexione. 2. Ex speciali adorationis Sanctorum, quoad omnimodā suam sanctitatem ex Christo regeneratorum, ad Christum tanquàm Caput habitudine ac redundantiâ in ipsammet Christi gloriam. De quâ proinde adoratione Sanctorum hic breviter tres instituemus controversias: In primâ acturi de *Sanctorum cultu.* In secundâ *de adoratione Deiparæ.* In tertiâ denique *de Veneratione Reliquiarum.*



CONTROVERSIA I.

Quali cultu adorandi sint Sancti?

2. HÆretici negant, cultum Sanctis exhibendum. 1. Quia adoratio videtur in Sacrâ Scripturâ appropriari soli Deo, juxta *Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et *1. ad Timoth. 1.* habetur. *Soli Deo honor & gloria.* 2. Quia Paulus & Barnabas, cùm à Lycaonibus adorarentur, id vehementer recusarunt. *Heb. 4.* 3. Petrus cùm à Cornelio adoraretur *Act. 10.* prohibuit eum, dicens, *Surge, & ego ipse homo sum.* Imò & Angelus, cùm à Joanne Apostolo adoraretur, prohibuit ipsum. *Apocal. 19.* 4. Mardochæus recusabat, genuflexionem Amano deferre. 5. Si enim non sit de fide, hunc sanctum esse in cælo, quomodò esset de fide, quòd sit adorandus.

3. Verùm per Apostolicæ Ecclesiæ usum primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorum Patrum consensionem, atque sacrorum Conciliorum decreta, indubitatum subsistere dogma fidei de Sanctorum intercessione, & invocatione, patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. in Decret. de Invocat. & Reliquijs Sanctorum* damnante illos, qui negant, æternâ felicitate in cælo fruentes invocandos esse, vel qui asserunt, talem invocationem esse idololatriam.

CONCLUSIO.

4. SAncti non possunt coli duntaxat respectivo Latriæ, *Virtualiter* saltem ex Divinâ creatæ sanctitatis Exemplativâ effectivâ, & finalizativâ Excellentiâ specificatæ ac finalizatæ, sed speciali Duliæ cultu.

Probatur. Tum quia sancti sunt templa Dei viva, in quibus mediante Gratiâ habituali & Charitate inhabitat Deus. Sub ejusmodi verò alijsque ad Divinam majestatem, ejusque excellentiam respectibus fundatur ratio Latriæ respectivæ specificativa. Tum quia sicu i excellentia creata naturalis fundat Civilem adorationem, sive honoris publici exhibitionem: sic excellentia creata supernaturalis fundat altiorem honorationis & adorationis titulum. Hic verò in se *formaliter* habet honestatem adorabilitatis, seu honorabilitatis ex Divinâ Increatâ excellentiâ participatæ, atque adeò distinctæ ab adorabilitate Divinæ illam infinitè superexcedenti Majestati & sanctitati debitâ. Ergo sanctis debetur honor, & adoratio, quæ tamen ex parte sui specificativi infinitè inferior sit cultu Latriæ. Eo ipso autem, quòd fundetur super excellentiâ creatâ supernaturali, tanquàm sui specificativo, pertinet ad lineam supernaturalis specificationis. Quæ proinde à Theologis vocari solet Dulia, de cujus naturâ agemus in Tractatu de Religione: ubi speciatim videbimus, an non tantùm *quoad actum*, sed etiam *quoad habitum* sit *realiter* distincta à virtute Latriæ, ac Religionis. 5.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Hæreticorum argutias Respondetur 1. Ex Sacræ Scripturæ textibus unicè probari, quòd adoratio & honoratio latriæ sit solius Dei propria, non verò inferioris speciei, quæ Dulia dicitur. 2. Paulum & Barnabam *Act. 4.* meritò recusâsse adorationem, cùm à Lycaonibus adorarentur tanquàm Dij. 3. Petrum *Act. 10.* adorationem seu honorationem sibi à Cornelio exhibitam recusâsse modestiæ & humilitatis causâ. 4. Joannem verò ab Angelo, ne se adoraret, prohibitum esse, ut significaretur, tum quantam natura humana dignitatem accepisset ex humanitatis in Christo ad Verbum unione Personali; tum quanta deceat Veneratio Apostolicâ dignitatē, quâ Joañes præfulgebat. 5. Mardochæum recusâsse genuflexionem Amano sub ratione Civilis etiam honorationis exhibendam, ne scandali occasionem præberet, dum adorationis modum soli Deo tunc temporis præstari solitum etiam *materialiter* duntaxat, sub aliâ Civilis nimirum cultûs formalitate exhiberet homini. 6. Sicuti per Canonizationem publicam & authoritativam, vi cujus ex Divinarum litterarum principijs eruitur conclusio Beatitudinis de particulari aliquo Sancto demonstrativa, mediante lumine fidei, sive *Formaliter* sive *Virtualiter* constat de hominis Canonizati sanctitate: Sic adorabilitatem Duliæ eidem exhibendam ex tunc *Virtualiter* saltem reducendam esse ad lumen fidei. Quòd si tamen argumenta sanctitatis de viro aliquo fundent prudentiale duntaxat dictamen nullâ fidei certitudine *Virtualiter* nixum, posse tunc etiam Sanctum cultu Duliæ honorari, siquidem ista virtus, utpote moralis, sufficienter nitatur morali prudentialis dictaminis certitudine. 6. 7. 8.

Hh CONTRO-

❀❀❀❀❀❀❀❀)(❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Qualiter adoranda sit Virgo Deipara?

1. SIcuti Beatissimæ Virginis adorabilitas Ecclesiæ usu recepta, SS. Patrum consensu firmata,& ab Oecumenicis Concilijs, (prout Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 1. fusius* deducit) definita, nullam penes Orthodoxos admittere potest dubitationem, sic fidei quoque certitudine manifestum est,non licere, ipsi cultum latriæ adhibere, hâc enim de causâ apud S. Epiphanium *hæres. 48. circa finem. & hæres. 79.* reprehendebantur mulierculæ aliquæ, imaginem Beatissimæ Virginis circumducentes, eique liba & munera (per modum scilicet sacrificij soli Deo debiti) offerentes. Quare alio inferioris adorabilitatis titulo licet duntaxat colere Sanctissimam Deiparam, uti probat Divus Thomas *præs. q. 25. a. 5.*

CONCLUSIO.

2. VIrgo Deipara triplici ratione adorari potest.

Explicatur & probatur. Nam 1. ex respectu tum contactûs ad Humanitatem Verbo Divino unitam, tum ratione sui in hanc influxûs potest æquè, ac in Cruce Christi, in ipsâ considerari dignitas fundans respectivam latriæ adorabilitatem, ex ipsâmet Verbi Divini, cujus Hypostasin sui influxûs contactu *moraliter* attingebat, excellentiâ specificatam. Verùm quia iste cultus respectivus non sistit intra Virginem Deiparam, sed ex hac *Virtualiter* reducitur in Divini Verbi sanctitatem, ceu respectivæ illius adorabilitatis terminum specificativum. Idcirco ex propriâ etiam dignitate est Virgo Deipara 2. in seipsâ *absolute* adorabilis ob maternitatem Divinam. Quæ equidem maternitas *moraliter* & *formaliter* quà Divina spectata, ad Ordinem Hypostaticum pertinens cum gratiâ sanctificante sit sublimior, altiorem etiam fundat Duliæ cultum, qui dicitur Hyperdulia. Et
4. quia 3. puritas sanctitatis in Virgine Deiparâ se habebat ad maternitatem Divinam per modum condignæ ex illâ maternitatis quà Divinæ formâ quasi *connaturaliter* debitæ dispositionis. Idcirco exigit cultum Duliæ excellentiorem,quàm in cæteris Sanctis Dei. De quo adeò Hyperduliæ cultu,qualiter tam quoad actum, quàm quoad habitum distinguatur à latriâ & Duliâ,expendemus, ubi agemus de Virtute Religionis.

❀❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA III.

Qualiter colenda & adoranda sint Reliquiæ Sanctorum?

1. NOmine Reliquiarum veniunt ossa, carnes, imò & vestes, aliaque, quibus Sancti specialiter utebantur. Cujusmodi adeò Reliquias veneratione dignas esse, negant Hæretici præsertìm moderni 1 Quia *Lucæ* 11. à Christo reprehendebantur Scribæ & Pharisæi, quòd ædificarent & exornarent monumenta Sanctorum. *Væ vobis*, inquiebat Christus: *Qui ædificatis monumenta Prophetarum. Patres autem vestri occiderunt illos; profectò testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* 2. Quia in *Epist. Canon.* Judæ Apostoli dicitur altercatio facta Michaeli cum Sathan,dum iste contendebat detegere Corpus Moysi, Michael verò resistebat. Consequens proinde videtur, quòd instinctu dæmonis proponantur cadavera Sanctorum adoranda fidelibus. 3. In Concilio Elberitano *can. 4.* prohibentur cerei interdiu ad sepulchra accendi, non enim ait Concilium, *inquietandos esse spiritus Sanctorum.* 4. Divus Hieronymus *post. Epist. 53. contra Vigilantium n. 17.* ita disserit. *Cereos clarâ luce non accendimus, sicuti frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel Religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere confiteor; Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* 5. Quia nihil in Reliquijs restat de sanctis, nisi materia prima, Quæ per aliam formam tunc informata non videtur digna veneratione.

6. Verùm indubitata fidei veritas speciatìm à Concilio Tridentino *sess. 28. in decret. de Venerat. & Reliquijs Sanctorum* definita est, Reliquias esse venerandas cultu sacro & religoso. Fundamentum *primum* est ex sacris litteris, speciatim *ex 4. reg. 3.* ubi Deus legitur in honorem cadaveris Elisæi edidisse miraculum, suscitando mortuum ab illo tactum. Et *Act. 19.* legimus, Cinctoria Pauli & sudaria delata fuisse super ægros. *Secundum* ex ratione, si enim cadavera regum cultu politico & Civili rationabiliter honorantur,cur non & Corpora Sanctorum;utpote quorum partes extiterint,ac instrumenta pietatis operum, cum morali Jure ac ordine ad reassumptibilitatem in gloriosâ resurrectione.

CONCLUSIO.

SAcris Reliquijs eodem modo, ac Sanctorum imaginibus adhibendus est cultus.

Explicatur & probatur.Nam Reliquiæ ejusmodi dupliciter se habere possunt ad cultum Religiosum. 1. duntaxat *instrumentaliter*, quatenus sub ipsorum expositione excitatur recordatio animæ sanctæ jam beatæ, cui exinde exhibeatur Duliæ cultus, Reliquijs per modum signi Sanctorum memorias excitativi solùm *instrumentaliter* concurrentibus. 2. Ut ipsis etiam Reliquijs ex morali ad Sanctorum animas respectu exhibeatur cultus religiosus. Ut sic autem non licet Reliquias in seipsis venerari, nisi cultu respectivo, ex ipsius Sancti excellentiâ specificato, in ipsumque adeò Sanctum *Virtualiter*, imò dum unà cum Reliquiarum veneratione ipsa quoque anima sancta per Invocationem honoratur, etiam *formaliter* ac *explicitè* redundante.

Respon-

Responsio ad opposita Argumenta.

8. AD 1. Hæreticorum argutiam Respondetur. Christum *cit. 11. cap.* Lucæ reprehendisse Pharisæos non ex hoc præcisæ, quòd ædificarent monumenta Prophetarum, sed quòd ex intentione, ut apparerent justi, indeque Christo se liberiùs opponendi pondus in vulgo obtinerent, atque ex hoc Patrum suorum mensuram adimplendi viam sibi sternerent, sanctorum illorum sepulchra honorarent.

9. Ad 2. Respondetur. Cùm Deus voluerit, ut Corpus Moysis Angelorum ministerio sepeliretur, ut colligitur *ex cap. Deut. ult.* consequens esse, Deum non prohibere honorem Corporibus sanctorum exhibendum. Quare ex speciali duntaxat ratione, ne scilicet Judæi ad Idololatriam valde propensi Moysen tanquàm Deum adorarent, factum esse, ut Moysis corpus ex divinâ dispositione absconditum maneret, atque adeò diabolum cum sancto Michaële concertando, intendisse Corporis Moysis revelationem tanquàm Idololatriæ in Judæis occasionem.

10. Ad 3. Respondetur. In Concilio Elberitano prohiberi cereorum ad sepulchra Martyrum accensionem, quatenus ex vanâ quâdam Gentilitatis superstitione fiebat: solebant enim Gentiles accensis facibus & incantationibus animas defunctorum evocare, cujusmodi adeò evocationem vocatam fuisse inquietationem, seu sollicitationem spirituum, uti patet *ex Reg. 28.* ubi anima Samuelis per mulieris Pythonissæ incantationem ad Saulis instantiam evocata dicebat, *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Talem proinde spirituum inquietationem mediante superstitiosâ cereorum accensione, fuisse à Concilio Elberitano interdictam, eò vel maximè, quòd talis evocatio eâ etiam ratione dici posset inquietatio Sanctorum Spirituum, quatenus illis displicebat, & ut sic eosdem contristabat eo modo, quo ad *Ephes. 4.* Spiritus Sanctus dicitur contristari malis nostris operibus.

11. Ad 4. Respondetur. Sanctum Hieronymum non improbare sanctorum Martyrum, mediante cereorum accensione, Venerationem, ex sanctâ & piâ intentione profectam, ait enim nihil perdi, si fiat ex sancto Zelo, ac pro honore Martyrum. Nihilominùs quia ille modus colendi Martyres nondum erat satis in usu, & aliàs gentilium superstitionem redolebat, ideo cultum ejusmodi Sanctus Doctor *citatus* minuebat, ex Zelo indiscreto à simplicioribus, sanctè tamen exhiberi solitum fuisse. Nequit ergo ille coram Sanctorum Reliquijs cereorum accensorum usus, piâ intentione factus *per se loquendo* ex S. Hieronymo reprobari, eò vel maximè, quòd ex contextu pateat, hunc Ecclesiæ Doctorem refutasse talem duntaxat cereorum accensionem, qualis in objectione meminerat Vigilantius, dum nimirum aliqui ex superstitiosâ intentione accendebant cereos ejusmodi, existimantes, Martyres exinde illustrari.

12. Ad 5. Respondetur. Etsi materia ab animabus Sanctorum separata novam superinduat formam, posse tamen adhuc considerari sub morali Reunibilitatis in Resurrectione gloriosâ ad animam ordine. Sub quo adeò respectu eatenus stare Materiæ & Corporis dignitatem respectivam, ut illa sufficienter fundare possit respectivam adorabilitatem. Quamdiu igitur per morale prudentiale judicium circa Sancti alicujus materiam, novâ à jam formâ licèt informatam formari potest talis respectivæ adorabilitatis dignitas, tamdiu esse omninò capacem respectivæ adorationis.

Hæc proinde sunt, quæ sub Scholastico Methodo circa Mysterium Incarnationis expendi solent à Scholasticis, ut tamen aliquid de Mysterijs per Divum Thomam *à q. 27. usque ad q. 30.* expositis hic deesset, expediens visum est, ut singula per aliquot Corollaria breviter ac succinctè describeremus.

COROLLARIUM I.

De Sanctissimæ Deiparæ Sanctificatione, Virginitate, Desponsatione, & Annuntiatione.

INfertur 1. Sanctissimam Virginem in primo 1.
Conceptionis suæ instanti sanctificatam, ab omnique adeò maculâ depuratam, accepisse tunc perseverantiam cum prærogativâ speciali, ne venialiter etiam peccaret, nec non gratiæ plenitudinem comparativam, vi cujus consummatam cujuslibet Sancti gratiam excederet, sed tamen in hac per sanctos suos actus continuò cresceret, *ex præs. tom. q. 5. a. 2. in fine.*

Infertur 2. In Beatissimâ Virgine post san- 2.
ctificationem usque ad instans conceptionis Filij Dei remansisse quidem fomitem *quoad essentiam*, ligatum tamen *quoad exercitium, sive quoad operationem*; sed à tempore conceptionis Christi ejus fuisse totaliter in ipsâ sublatum, ex Divo Thomâ *præs. q. 27. a. 3.* Ratio est. Quia fomes dicitur ligatus, quando ex abundantiâ gratiæ talis est dispositio virium animæ, ut inferiores potentiæ nunquàm moveantur sine arbitrio ac imperio rationis. At hoc *ab intrinseco* eatenus erat proprium Christi, ut, sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem, ita ante Christi carnem, caro Virginis non esset adeò sine fomite, ut *ab intrinseco* haberet sibi perfectè subordinatas vires inferiores. Quare talem duntaxat à Conceptionis 3.
suæ instanti accepit Gratiæ abundantiam, ut usque ad Filij Dei ex se incarnationem *ab intrinseco* duntaxat per Divinam providentiam, sensualitas illius prohiberetur ab inordinato motu. Verùm in ipsâ postmodùm carnis Christi concep- 4.
tione, in quâ primò refulgere debuit peccati immunitas, credendum est, hanc ex prole redundasse in Matrem, fomite totaliter substracto, uti *præfigurativè* insinuatum est *Ezech. 43.* Ubi sic habetur: *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem*, id est per Beatam Virginem, & *terra*, id est, caro ipsius *splendebat à Majestate ejus*, scilicet Christi.

Infertur 3. Non modò Patris Mittentis di- 5.
gnitati, verùm etiam ipsius Filij Missi proprietati, & Incarnationis fini fuisse conveniens, ut Christus sine corruptione Matris nasceretur, ex Divo Thomâ *q. 28. a. 1.* Ratio est. Cum enim Christus sit verus & naturalis Dei filius, non fuit conveniens, ut alium Patrem haberet, quàm Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. 6.
Deinde Christus est Verbum Dei, Verbum autem abs-

tem absque omni corruptione cordis concipitur. Ergo conveniens etiam fuit, ut Caro Christi, seu Verbi Dei conciperetur sine corruptione Matris. Denique finis Incarnationis est, ut
7. homines renascerentur non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est ex ipsâ Dei virtute: cujus proinde Divinæ regenerationis exemplar apparere debuerat in Christi conceptione.

8. Infertur 4. Cùm Christus, ut nostram corruptionem tolleret, in mundum venerit, tum, ut Matris Virginitatem corrumperet, minime decuisse, atque adeò Matrem Dei in partu Virginem permansisse. ex S. Doctore cit. q. 28. a. 2. Ratio est. Quia Verbum natum in corde, sine corruptione procedit ex corde. Ergo ut ostenderetur, Corpus Christi esse ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto utero nasceretur, eò vel maximè, quòd non deceret, ut Virginitatem Matris nascendo tolleret, qui ad hoc venit, ut nostrâ cor-
9. ruptionem tolleret. Imò hanc Deiparæ Virginitatem etiam post partum stetisse illibatam, evincitur ex illo *Ezech. 44. Porta hæc* (subintellige cum Divo Augustino *serm. 14.* de Natali Domini Mariam semper intactam) *clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Unde quando Christus *Joan. 2.* dicitur, habuisse fratres, accipi debet de ejus Consobrinis, filijs scilicet Matertera ipsius.

10. Infertur 5. Decuisse, quòd Christus nasceretur ex Virgine desponsatâ, tum ut partus ejus celaretur diabolo, tum ut ab infamiâ, & supplicio mater esset immunis, tum denique ut esset figura Ecclesiæ, quæ, cùm Virgo sit, uni Viro Christo est desponsata. Ex Divo Thomâ *q. 29.*
11. *a. 1.* Quæ equidem Mariæ cum Josepho desponsatio verum ac legitimum erat matrimonium, non quidem quoad consensum simpliciter in copulam carnalem, sed quoad consensum
12. mutuæ fidelitatis. ex S. Doctore *cit. q. a. 2.* Cum quo adeo matrimonio substiterat etiam Votum Virginitatis à tempore citra Desponsationem à Beatissimâ Virgine emissum, uti Doctor Angelicus *q. 28. a.* probat ex Divo Augustino *lib. de Sanctâ Virgin. cap. 4.* sic disserente: *Annuntianti Angelo Maria respondit, quomodo fiet istud: quod profectò non diceret, nisi prius se Virginem Deo vovisset.*

13. Infertur 6. Vel maximè decuisse, ut, priusquàm B. Virgo conciperet Christum, ejus conceptio ipsi annuntiaretur. ex S. Thomâ *q. 30. a. 2.* Ratio est. Tum ut prius mente, quàm ventre conciperet Verbum Dei, *Materna enim propinquitas nihil profuisset Mariæ, nisi feliciùs Christum corde, quàm Carne gestasset.* ex Divo Augustino *cit. lib. de*
14. *Virg. cap. 3. post med.* Tum ut Virgo sanctissima Divinitùs instructa certior fieret Mysterij Incarnationis celsis, tum ut voluntaria sui obsequij munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit dicens: *Ecce ancilla Domini.* Tum deniq; ad ostendendū, quòd spirituale inter Filiū Dei, & humanā naturā contraheretur matrimoniū, opus erat,
15. ut per annuntiationem expectaretur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ. Quia porro Divina ordinatio postulat, ut mediantibus Angelis ad homines Divina perveniant, conveniens fuit, ut Mysterium Divinæ Incarnationis Matri Dei per Angelum annuntiaretur. *ex cit. q.*
16. *30. a. 2.* Debebat autem ista annuntiatio fieri ab Angelo in specie visibili, siquidem Angelus venerit, ut Dei invisibilis annuntiaret Incarnationem, quâ fieret visibilis, quinimò dignitati Matris congruebat, ut, quia in corporeo ventre erat filium Dei receptura, non solùm mens ejus, sed etiam sensus corporei visione Angelicâ refoverentur. *ex cit. q. 30. a. 2.* Quæ deni- 17.
que Annuntiatio decenter eo fiebat ordine: ut Angelus *primò* mentem Virginis redderet attentam, eam salutando quâdam novâ, & insolitâ salutatione: In quâ quidem salutatione præmisit idoneitatem ejus ad conceptum dicendo: *Gratia plena:* expressit dein conceptum asserendo: *Dominus tecum;* prænuntiavit vero honorem consequentem dicendo: *Benedicta tu in mulieribus. Secundò* intendebat eam instruere de Mysterio Incarnationis, quod in eâ erat perficiendum, asse- 18.
rendo: *Ecce concipies & paries filium, hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur.* Cujus equidem Mysterij implendi modum etiam edocuit dicendo: *Spiritus sanctus superveniet in te.* *Tertiò* intendebat, animum ejus inducere ad consensum, allegando exemplum Elisabeth, & rationem ex Divinâ omnipotentiâ desumptam.

COROLLARIUM I.

De Conceptione Christi. 1.

INfertur 1. Cùm Verbum Dei assumpserit naturam humanam, ut eam à corruptione purgaret, convenienter ipsius carnem ex materiâ ab Adam derivatâ fuisse formatam. ex D. 2.
Thomâ *q. 31. a. 1.* Etsi verò Genealogia Christi ab Evangelistis convenienter descripta plures comprehendat Patres, è quibus Joseph & Maria originabantur, congruè tamen Christum secundùm carnem dici filium Abrahæ & David. Tum quia Christus specialiter fuit promissus tum Abrahæ seu Gentilium in spiritu Patri, cui dictum erat, *Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ;* tum Davidi seu Judæorum Regi, cui dixerat Deus. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* ex S. Doctore *cit. a. 2.*

3. Nihilominus Christus dici non potest decimatus in lumbis Abrahæ. *ex cit. q. 31. a. 8.* Cùm enim decima unitas sit consummata quasi perfectio numeri, ideo decimæ sunt signum perfectionis ab eo acceptæ, cui decimæ dantur. Unde dans decimas, protestatur, se imperfectum. Imperfectio autem humani generis est peccatum. Christus autem non indigebat liberari à peccato. Ergo licèt, quando Abraham decimas dedit Melchisedech, omnes ejus posteri in peccato nascituri, fuerint tunc in lumbis ejus decimati, nequit tamen Christus, utpote Agnus tollens peccata mundi, tunc in lumbis Abrahæ decimatus fuisse. Unde Augustinus *lib. 10. super Gen. ad literam cap. 20. post medium,* ait, quòd *Christus,* ibi scilicet in Abraham, *decimatus non fit, utpote cujus caro non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxerit.*

4. Infertur 2. Cùm ex maximo Dei amore filij Dei Incarnatio facta sit, rectè Spiritui sancto, qui est amor Patris & Filij, attribui Corporis Christi formationem, licèt à totâ Trinitate tanquàm principio effectivo provenerit. ex S. Doct. *q. 32. a. 1.* Unde convenienter dicitur filius Dei conceptus de Spiritu sancto, cùm ista particula *De* & consubstantialitatem, & originem à principio productivo, seu effectivo significet: in Christo autem sit & æqualitas consubstantialitatis

tum

cum Spiritu sancto quoad naturam Divinam, & Origo à Spiritu sancto tanquàm principio effectivo quoad humanitatem, & hujus cum Verbô u-
5. nionem Hypostaticam. ex *cit. q. 32. a. 2.* Nihilominùs cùm, si secundùm perfectam rationem aliquid dicitur de aliquo, non dicatur de eodem secundùm imperfectam rationem, Christus autem ratione Generationis æternæ sit filius Dei secundùm perfectam filiationis rationem; consequens est, eum nec ratione creationis, nec ratione justificationis saltem *absolutè & simpliciter* dici debere filium Spiritûs sancti, aut totius Trinitatis, ex S. Doctore *citato a. 3.* Cœterùm qualem Beatissima Virgo influxum habuerit in conceptionem Christi, videre licet *ex præced. q. 5.* Insuper de Ordine & modo Conceptionis, nec non de perfectione Christi à primo statim conceptionis instanti habitâ videri possunt dicta *q. 8. & q. 10.*

COROLLARIUM III.

De Nativitate & Manifestatione Christi.

1. INfertur 1. Cùm duæ sint in Christo naturæ, oportere, duas ipsi attribuere nativitates, unam æternam, quâ æternaliter processit à Patre, alteram temporalem, quâ temporaliter à Matre genitus est. ex Divo Thomâ *q. 35. a. 2.* Et quidem Nativitatem temporalem attribui Divinæ Christi Personæ, tanquàm subjecto *Quod*, naturæ verò humanæ tanquàm termino Denominationis seu Prædicationis, constat ex *cit. q. 35. a. 1.* Unde Damascenus *in 3. de fide. cap. 6. post initium.*
2. ait, quòd Nativitas sit *Hypostasis, non natura.* Et hinc quia eadem est Divinæ & humanæ Christi naturæ ex purissimis Mariæ Virginis sanguinibus quoad corpus formatæ Hypostasis, oportet, Virginem hanc Beatissimam dicere Matrem Dei.
3. *ex a. 3. & 4.* Insuper illam duplicem in Christo Nativitatem consequitur duplex quoque filiatio, una æterna, alia verò temporalis: quas equidem filiationes *formaliter* spectatas eatenus oportet *realiter* distinguere, ut *subjectivè* tamen, ratione scilicet subjecti Denominationis, nempe suppositi, dicendum sit, unicam in Christo esse filiationem, ex S. Doctore *a. 5.*
4. Infertur 2. Circumstantias Nativitatis Christi eatenus congruere cum isto Mysterio, ut *primò* absque dolore Matris fuerit progenitus: cùm enim ex clauso utero Matris egressus sit, non modò nullum Beatissima Virgo sensit dolorem in pariendo Christum, sed maximâ jucunditate est affecta, cùm Deum & hominem se peperisse conspexit juxta illud *Isaiæ 35. Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans.* ex
5. Divo Thomâ *cit. q. 35. a. 7.* *Secundò.* Quia Christus panis vivus & ex semine David secundùm carnem factus est, meritò in Bethlehem (quæ Domus Panis dicitur) in quâ & David natus
6. erat, nasci voluit. *Tertiò.* Quia Christus venerat ad nos in libertatem de statu servitutis reducendos, dignatus est, eo tempore incarnari, quo mox natus censui Cæsaris adscriberetur, atque ob nostri liberationem ipse servitio subderetur.
7. *Quartò.* Cùm sit pax nostra faciens utraque unum *ad Ephes. 2.* illo tempore natus est, quo totus orbis sub uno Principe maximâ fruebatur pace; juxta illud *Isaiæ 2. Non levabit gens contra gentem.*

Quintò. Inter Christum & alios homines hæc est differentia, quòd alij homines nascantur subjecti necessitati temporis, Christus verò tanquàm Dominus & Conditor omnium temporum, elegerit sibi tempus, in quo nasceretur, sicut & locum & Matrem. *ex cit. q. 35. a. 8.* 8.

Infertur 3. Non absque speciali Divini Consilij ratione factum esse, quòd Nativitas Christi Redemptoris non esset omnibus manifesta. ex S. Thomâ *q. 36. a. 1.* tùm ne redemptio humani generis impediretur, si enim cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent *1. ad Corinth. 2.* tum ne fidei meritum diminueretur, quod factum esset, si manifestis indicijs Christo nascente, Nativitas omnibus appareret, cùm fides sit argumentum non apparentium. *Ad Heb. 11.* Tum denique veritas humanæ in Christo naturæ vocanda fuisset in dubium, si nullas ex parvulo in juventute mutaret ætates, nullosque cibos, vel somnos caperet, sed Dominum gloriæ manifestis indicijs à tempore Nativitatis suæ se statim ostenderet. Congruum igitur erat, 10.
ut sub humanæ necessitatis formâ lateret Divinitas, ut adeò dicatur hinc deus absconditus, juxta illud Isaiæ *45. Verè tu es Deus absconditus Sanctus Israel Salvator.* Et Isaiæ *53. Quasi absconditus est vultus ejus & despectus.*

Infertur 4. Manifestationem Nativitatis Christi congrue factam esse ordine sequenti: 11.
Nam 1. sicuti non decuit, Christum resurgentem fieri omnibus manifestum, sed tantùm testibus à Deo præordinatis. *ex Actor. 10. cap.* sic non debuit ejus Nativitas omnibus, sed aliquibus duntaxat manifestari, ex quibus notitia illius derivaretur ad alios. *ex cit. q. 36. a. 2.* 2. Cùm 12.
salus per Christum futura ad hominum omnium diversitatem pertineret, congruebat, omnibus hominum conditionibus ejus Nativitatem manifestari, scilicet Magis, Simeoni, Annæ, & Pastoribus. *ex a. 3.* Neque tamen 3. decebat, Christum per se ipsum gloriæ suæ manifestatione apparere, sed manifestari per alios, ne fidei sub Divini testimonij obscuritate propagandæ derogaretur. *ex a. 4.* Et quia 4. manifestatio ejusmodi per signa familiaria fieri debebat, convenienter justis per inspirationem Spiritûs sancti, Pastoribus tanquàm Judæis ad Divina per Angelos responsa assuetis, mediante Angelo, & Magis utpote in Corporum cœlestium contemplatione exercitatis per stellam manifestata est Christi Nativitas. *ex a. 5.* 5. Convenien- 13.
tissimè factum est, ut ipso die Nativitatis Christi Pastoribus, decimo tertio verò die Magis, quadragesimo autem Simeoni, & Annæ manifestaretur Christi Nativitas. Cujus equidem ratio figuralis est, quia per Pastores significantur Apostoli, & alij credentes ex Judæis, quibus primò manifestata est fides Christi, hinc autem pervenit ad Gentes præfiguratas per Magos, & tandem pertinget ad plenitudinem Judæorum, quæ præfiguratur per illos justos, quibus in templo Judæorum Christus est manifestatus. *ex a. 6.* Cæterùm 6. cùm stella, quæ Ma- 14.
gos ad Christum natum perduxit, in aëre terræ vicino nocte, dieque apparens, à septentrione in meridiem (ita enim Judæa jacet versùs Persidem, unde venerunt Magi) præter morem aliarum stellarum mota fuerit, consequenter non fuit una cœlestium stellarum, sed ad hoc à Deo

de novo creata. *ex a. 7.* Ex hujus porrò ſtellæ
15. apparitione 7. Magi ſapienter ad Chriſtum na-
tum adorandum inducti ſunt, Divino ſpiritu
ſuis interioribus inſpirationibus omnes ſuaviter
ad actum fidei, & adorationis devotionem im-
pellente. Et hinc Iſaiæ 70. prædicitur: *Ambu-
labunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore or-
tus tui,* illucente nimirum Divini ſplendoris &
luminis Gratiæ irradiatione. ex D. Thomâ *cit.
q. 36. a. 8.*

COROLLARIUM IV.

De Legalibus circa Puerum Ieſum ſervatis, Baptiſmo, Converſatione, Doctrinâ, Miraculis, & Transfiguratione Chriſti.

1. INfertur 1. Chriſtum non ex neceſſitate præ-
cepti, ſed ex decentiâ Moralis, ſeu figuralis
congruitatis ſubjectum fuiſſe legalibus. Uti pa-
tet ex dictis *præced. q. 14. a. 2.* Cujuſmodi equi-
dem moralis, ſeu figuralis congruitatis decentia
apparebat 1. ex Circumciſione Chriſti, debuit
enim tanquàm filius Abrahæ circumcidi, ut le-
gis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere libe-
raret, & carnis ſuæ veritatem oſtenderet. ex D.
Thomâ *q. 37. a. 1.* In quâ proinde circumciſio-
2. ne convenienter ipſi fuit ab Angelo impoſitum
nomen Iesus: cùm Divinæ Gratiæ munere ei-
dem eſſet collatum, ut omnium foret Salvator.
ex a. 2. Cui congruit etiam nomen Emanuel
ſignificans, Deum fore nobiſcum, ceu cauſam
noſtræ ſalutis; item nomen illud, cujus fit men-
tio Iſaiæ 8. *Voca nomen ejus accelera, ſpolia detrahe,
feſtina prædari,* per hoc enim deſignatur Chri-
ſtus, quatenus *exſpolians Principatus & Poteſtates tra-
duxit confidenter, ad Coloſ. 2.* 2. Quia Chriſtus
3. voluit ſub lege fieri, ac ex Matre fuerat primo-
genitus, congruum fuit, ut in templo præſen-
taretur oblationibus in lege præceptis ipſiuſmet
etiam Chriſti præfigurativis, ut ſic figura ve-
ritati conjungeretur, & per veritatem figura ap-
probaretur. *ex a. 3.* 3. Quanquam Beatiſſima
Virgo non fuerit peccato obnoxia, decuit ta-
men ex humilitatis ſuæ gratiâ, ut in templo
veluti purganda præſentaretur. *ex a. 4.*
4. Infertur 2. Baptiſmum Ioannis convenien-
ter fuiſſe inſtitutum, ut per illum Chriſtus ma-
nifeſtaretur, ipſoque, ceu Chriſti prævia Baptiſ-
matis figurâ, mediante, homines ad Baptiſmi
Sacramentum faciliùs traherentur. *ex q. 38. a. 1.*
Qui porro Ioannis Baptiſmus *quoad ritum* à Deo
erat inſtitutus, non autem quoad *effectum*, cùm
nihil efficeret, quod humanas vires excederet,
ex a. 2. Et hinc tale Baptiſma non conferebat
gratiam, ſed ad illam diſponebat mediante do-
ctrinâ ad fidem, & Pœnitentiam, nec non ad Chri-
ſti Baptiſmum inducente ac diſponente. *ex a. 3.*
5. Unde Baptizatos Ioannis Baptiſmate oportuit
rurſus baptizari Chriſti Baptiſmo, utpote quo
ſolo & character, & ſalutis gratia conferenda eſ-
ſet. *ex a. 6.* Neque verò Chriſtum duntaxat,
ſed alios etiam oportuit, Baptiſmo Ioannis bap-
tizari, tum ut ad Chriſtum præpararentur, tum
etiam ne in aliquo Baptiſmum Ioannis puta-
rent, Chriſti Baptiſmati præferendum, dum ſo-
6. li Chriſto fuiſſet applicatus. *ex a. 4.* Quia deni-
que umbra Veteris legis, Chriſto Baptizato, ad-
huc permanebat, nec ceſſare Præcurſorem de-
cebat, donec veritas manifeſtaretur, idcirco
Chriſto Baptizato, Ioannis Baptiſmus ceſſare non
debuit.
Infertur 3. Quoad Baptiſma Ioannis à Chri- 7.
ſto ſuſceptum ſequentes interveniſſe congruen-
tias. *Primò* enim Chriſti Baptiſma, cùm ſit in
Spiritu, non decebat Chriſtum, utpote à Prin-
cipio conceptionis ſuæ gratiâ Spiritûs ſancti re-
pletum, ſed congruebat ipſi magis Baptiſmus
Ioannis, qui erat tantùm in aquâ, indigebat-
que Chriſti comprobatione & ſanctificatione,
ut adeò Chriſti Baptizatione fuerit aquæ per
ejuſdem merita ac inſtitutionem collata vis ſan-
ctificandi, ac peccatorum maculas abluendi. *ex
q. 39. a. 1. & 2.*
Secundò, Ita Chriſti Baptizatio convenienter 8.
facta eſt in aquâ Iordanis, per quem filij Iſraël
in terram Promiſſionis introjerunt, cujuſque a-
quas Elias rapiendus in cœlum diviſerat, ut
hâc ratione deſignaretur vis Baptiſmi per Chri-
ſtum ſanctificati, & in Sacramentum elevati,
ad introducendum in regnum cœlorum. Et
hinc Chriſto baptizato, & orante, aperti ſunt
Cœli, ut Baptizatis viam in Cœlum patere o-
ſtenderet. *ex a. 4. & 5.*
Tertiò Voluit Chriſtus trigeſimo ætatis ſuæ 9.
anno baptizari ex tunc in ætate jam perfectâ
incipiens prædicare & docere; ut ſignificaret
Baptiſmum parere viros perfectos, ad docen-
dum & prædicandum idoneos. *ex a. 3.*
Quartò Super Chriſtum Baptizatum Spiritus 10.
ſanctus in columbæ ſpecie, tanquàm animalis
ſimplicitatem præſeferentis deſcendit, ut ſigni-
ficaretur, omnes Spiritûs ſancti gratiam recep-
turos eſſe; qui corde ſimplici, & non ficto ac-
ceſſuri eſſent ad baptiſmi Sacramentum. Quem- 11.
admodùm autem filius Dei verum Corpus ac-
cepit, ita etiam Spiritus ſanctus veram Colum-
bam, in quâ appareret, formavit, licet in uni-
tatem Perſonæ ipſam non aſſumeret. *ex a. 6. & 7.*
Quintò Cùm Baptiſmus Ioannis fuerit figura 12.
Chriſti Baptiſmatis, quod perficitur invoca-
tione & virtute Trinitatis, ideo dum Chriſtus
baptizabatur, præter filium Dei, ac Spiritum
ſanctum intervenire debuit etiam Pater, cujus
proinde Vox filium, in quo ſibi complaceret,
proteſtantis audita eſt. *ex cit. q. 39. a. 8.*
Infertur 4. De Chriſti inter homines con- 13.
verſatione ſequentia eſſe adnotanda. Nam *pri-
mò* cùm in hunc mundum venerit, ut verita-
tem manifeſtaret, ac peccatores ſalvos faceret,
ac per ipſum acceſſum haberemus ad Deum,
decuit, ut ſocialem vitam duceret in mundo,
atque adeò in cibo & potu ad inſtar aliorum
communiter hominum ſe haberet, quamvis a-
liquando ſolitariam vitam ad tempus duxerit,
ut utriuſque vitæ exemplum daret. ex D. Tho-
mâ *q. 40. a. 1. & 2.*
Secundò tamen volebat Chriſtus in hoc mun- 14.
do pauperem vitam ducere, tum quia prædica-
tionis officio congruebat, tum ut ſpirituales di-
vitias nobis elargiretur, tùm denique ne ejus
Prædicatio cupiditati adſcriberetur. *ex a. 3.*
Tertiò denique voluit ſecundùm legis præ- 15.
cepta in hoc mundo converſari, ut veterem le-
gem approbaret, eamque obſervando, in ſeip-
ſo conſummaret, Judæiſque calumniandi oc-
caſionem ſubtraheret. *ex a. 4.*

Infer-

16. Infertur 5. Christum à Spiritu sancto ductum in desertum tentari voluisse, tum ut nobis contra tentationes exemplum & auxilium præstaret; tum ut qualiter eas superare valeremus, nos instrueret. ex S. Doct. *q. 41. a. 1.* Quæ equidem tentatio in deserto facta est, ut Christus sic tentatus hominem de Paradyso ejectum in desertum, liberaret de exilio. *ex a. 2.* Est insuper facta post jejunium, ad exemplum & instructionem nostram, ut humiles esse discere mus, cùm in nobis aliquid boni esse, con-
17. spicimus. *ex a. 3.* Quemadmodùm verò in primi hominis tentatione factum est, ut diabolus *primò* solicitaret ejus mentem de ligni vetiti esu, juxta illud *Gen. 3. Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de Ligno Paradysi? Secundò* de inani gloriâ, juxta illud: *Aperientur oculi vestri: Tertiò* de extremâ superbiâ, secundùm illud: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Sic Diabolus tentavit Christum *primò* de eo, quod appetunt quantumcunque spirituales viri, scilicet de sustentatione corporalis naturæ per cibum: *Secundò* de eo, in quo spirituales viri quandoque deficiunt, ut scilicet aliqua ad ostentationem & inanem gloriam operentur: *Tertiò* de eo, quod jam non est spiritualium virorum, sed carnalium, scilicet ut divitias & gloriam mundi concupiscant, usque ad contemptum Dei. *ex a. 4.* Qui-
18. bus proinde tentationibus Christus restitit testimonijs legis, non potestate virtutis, ut hoc ipso & plùs hominem honoraret, & adversarium plùs puniret, cùm hostis generis humani non quasi à Deo, sed quasi ab homine vinceretur. *ex cit. a. 4.*

19. Infertur 6. Conveniens fuisse, ut Christus tam per se, quàm per Apostolos suos saltem in principio solis Judæis prædicaret, ut scilicet per suum adventum promissiones Judæis, non autem Gentilibus olim factas impleri ostenderet. ex D. Thomâ *q. 42. a. 1.* Unde Apostolus *Roman. 15.* dicit, *Christum ministrum circumcisionis*, (id est prædicatorem Judæorum fuisse) *propter ve-*
20. *ritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.* Quòd autem Christus juxta Prophetiam Isajæ 8. dicatur suâ prædicatione fuisse *duabus Domibus Israel in lapidem offensionis & Petram scandali*, hoc ideo factum est, quia adversus Scribas & Pharisæos, Judæorumque principes communi omnium saluti adversantes, debuit Christus Dominus, non obstante eorum offensione, publicè docere ve-
21. ritatem, eorumque errores redarguere. *ex cit. q. 42. a. 2.* Etsi verò Christus turbis ad spiritualia Mysteria ineptis, vel indignis in occulto sub parabolis quandoque locutus fuerit, ejusmodi tamen parabolarum expositionem fecit Discipulis, quibus mediantibus, ad alios perveniret; juxta illud *2. ad Timoth. 2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Cujus proinde figura extiterat in antiquo testamento, quòd *Num. 4.* mandaretur, *ut filij Aaron involverent vasa sanctuarij,*
22. *quæ Levitæ involuta portarent. Ex cit. q. 42. a. 3.* Et quia Christus docebat, sicut *potestatem habens Math. 7.* congruebat, ut doctrinam suam auditorum cordibus virtute suâ imprimeret, non autem scriptis traderet, sed alijs scilicet Discipulis hoc faciendum relinqueret, eò vel maximè, quòd teste Ioanne Apostolo *cap. ult.* ne mundus quidem capere posset libros, si omnia, quæ fecit Iesus, fuissent scripta per singula. *Ex a. 4.*

Infertur 7. Omninò conveniens fuisse, ut Christus faceret miracula, utpote quibus probaretur ejus humanitatis cum Verbo unio Personalis, ipsiusque doctrina tanquàm Divina confirmaretur. ex S. Doctore *q. 43. a. 1.* Quam etiam ob rationem decebat, ut non nisi post prædicationem faceret miracula. Et hinc in Nuptijs Canæ Galilææ dicitur *Ioan. 2.* fecisse initium signorum. *ex a. 3.* 23.

Quæ quidem miracula, teste S. Leone *in Epist. ad Flavianum* eatenus erant opera Divinitatis, ut procederent tamen ab Humanâ quoquè naturâ, tanquàm Deitatis instrumento. *ex a. 2.* Et hinc quia miracula Christi humanas vires superabant, sed tamen propriâ ejus virtute facta fuerant, Divinitatem ipsius abundè comprobabant. Unde & *Ioan. 5.* dicebat, *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me. Ex cit. q. 43. a. 4.* 24.

Infertur 8. Circa singula miraculorum genera speciales apparere congruentiæ rationes. Nam *Primò* quia miracula erant Fidei, quam Christus docebat, argumenta, conveniens erat, ut inter alia miracula obsessos à dæmonibus liberaret; siquidem futurum fuerit, ut per virtutem Divinitatis excludenda foret dæmonis potestas ab hominibus in Christum credituris. ex S. Doctore *q. 44. a. 1. Secundò* ut Divinitas Christi, ejusque circa corpora etiam cælestia potestas magis clucceret, decuit, ut in ipsis quoqué sideribus faceret miracula, juxta illud *Luca 23. Tenebræ factæ sunt in universâ terrâ usque ad horam nonam, & obscuratus est sol. ex a. 2. Tertiò* specialiter congruebat, ut Christus circa homines miracula faceret, ut sic ostenderet se universalem hominum quoad corpora & animas Salvatorem. *ex a. 3.* Inter quæ proinde miracula extiterant quædam quasi insensibilia ad ipsum etiam cor hominum intimè penetrativa: dum v. g. faciendo flagellum, è templo ejiciebat ementes & vendentes. De hoc quippe miraculo Hieronymus *Math. 21.* ait: *Mihi inter omnia signa, quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilius, quòd unus homo & illo tempore contemptibilis potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem. Igneum enim quiddam ac sidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majestas lucebat in facie ejus. Quartò.* Ut Christus omnia sibi subjecta ostenderet, circa irrationales etiam creaturas facere debuit miracula. *ex a. 4.* Et hinc imperabat ventis & mari, fecitque, ut Petrus caperet piscem, in quo inveniret staterem. Sub ejus etiam mortem terra mota est, & petræ scissæ, apertaque sunt monumenta; ad ostendendum, quòd per ejus mortem vita daretur; multiplicavit quoque panes, non quidem per modum creationis, sed per additionem materiæ in panes conversæ. ex *cit. art. 4. ad 4.* 25. 26. 27. 28.

Infertur 9. Transfigurationis Christi coram discipulis factæ fuisse specialem convenientiam. Nam cùm viam Passionis à se ineundam deberent Apostoli sequi, hujus autem viæ terminus esset Gloria Corporis ac resurrectionis, neque verò Apostoli istam viam, ejusque terminum capere possent, prout Thomas *Joan. 14.* dixerat: *Domine nescimus, quò vadis, & quomodò possumus viam scire.* Idcirco Christus viæ suæ terminum ostensurus discipulis, gloriam suæ & aliorum resurrectionis per transfigurationem manife- 29.

30. manifestavit. ex D. Thomâ *q. 54. a.* 1. Quæ pro-
inde Transfigurationis claritas non alia quoad
essentiam fuit, quàm ipsamet gloria Corporis in
resurrectione ex animæ gloriâ redundans, licèt
tunc se habitura sit per modum qualitatis per-
manentis, in Transfiguratione autem Christi se
habuerit per modum transeuntis passionis. *ex a.*
31. *2.* Et quia hujus Christi gloriæ tam Antiqui
Christum præcedentis, quàm Novi Christum
subsequentis Testamenti homines sancti erant
faciendi participes, decebat, ut tum Moysen,
& Eliam ex Antiquis Patribus, tum Petrum,
& Jacobum, & Joannem ex novi testamenti
sanctis Apostolis assumeret in testes. *ex a. 3.* Et
32. hinc, uti in Baptismo Christi, sic etiam in trans-
figuratione Patris æterni vox intonuit, ut in-
de homines de naturali Christi filiatione certi-
ficati, ex ipso reciperent fidem ac spem adop-
tionis filiorum Dei, imperfectæ quidem per
Baptismi gratiam, perfectæ verò per resurre-
ctionis gloriam. *ex a. 4.*

COROLLARIUM V.

De Passione, Morte, ac Sepulturâ Christi, ejusque ad inferos Descensu.

1. INfertur 1. Passionem Christi non quidem ab-
solutâ necessitate, sed ex suppositione libera-
tionis humani generis *secundùm quid* duntaxat,
fuisse necessariam, quòd, licèt secundùm Dei
potentiam absolutam alia superessent media li-
berandi hominem à peccato, non posset tamen
nisi à personâ Divinâ naturæ creatæ intelle-
ctuali unitâ exhiberi pro peccati mortalis of-
fensâ condignum pretium. Et quamvis unicus
humanitatis Christi actus supernaturalis per in-
finitam Verbi Hypostasin dignificatus suo va-
lore *infinitè* excederet peccatorum quorumlibet
gravitatem, attamen ad supernaturalem Divi-
ni amoris, ac Justitiæ, misericordiæque exhi-
bitionem ex passione Christi specialis relucebat
Dei gloria, ut adeò passio Christi ad melius *Es-
se* necessaria fuerit, in ordine ad finem redemp-
2. tionis Humani generis. Ex cujus proinde ne-
cessitatis, ceu sublimioris in Dei gloriam redun-
dantiæ respectu, Deus habuit præfinitivum mor-
tis Christi, non tamen nisi voluntariè per ip-
sum acceptandæ Decretum, atque ex efficaciâ
hujus Decreti inijt cum Christi humanitate de
morte ob humani generis redemptionem sub-
eundâ pactum. Vi cujus adeò Præfinitionis Di-
vinæ erat consequens necessitas mortis & Pas-
sionis Christi. ex D. Thomâ *q. 56. a. 1. 2. 3. & 4.*
Patetque ex ijs, quæ fusiùs diximus in *præs. tom. q.
1. a. 3. 4. & 12.*
3. Infertur 2. Christum omne genus humanæ
Passionis, tum à cujusvis hominum conditionis
personis, tum in omni famæ scilicet, honoris,
animæ & corporis bonorum genere, tum in om-
nibus membris suis ac sensibus sustinuisse, ut
sic totum genus humanum etiam ex hoc capi-
te liberâsse diceretur. ex D. Thomâ *cit. q. 44. a.* 5.
4. Insuper dolores, quos Christus passus fuit, om-
nes, quos homines pati possunt in hâc vitâ, do-
lores excesserunt, tum propter Passionis acer-
bitatem, & generalitatem, tum propter Chri-
sti quoad Corpus etiam optimè complexiona-
ti, atque adeò sensum tactûs apprimè acutum
habentis constitutionem, tum propter volun-
tariam dolorum assumptionem, ex quâ factum
est, ut nullam consolationem ex superiore a-
nimæ parte permitteret redundare, in sensus
patientes, sed tantam passionis magnitudi-
nem voluntariè assumeret, quanta proportio-
nata esset fructui inde secuturo. *ex a. 6.* Etsi ve- 5.
rò tota Christi anima secundùm inferiores po-
tentias, nec non passiones Corporis quà in es-
sentiâ animæ radicatas fuerit passa, non potuit
tamen pati secundùm rationem superiorem ex
parte objecti, scilicet Dei, sed ex hâc gaudium &
delectationem summam capiebat. *ex a. 7. & 8.*
Infertur 3. In Passione Christi etiam ex tem- 6.
pore, ac loco, alijsq; circumstantijs speciales in-
tervenisse congruentias. Nam 1. Christus ipsâ
nocte, quâ agnus immolabatur, Corporis, San-
guinisque sui discipulis tradens Mysteria ce-
lebranda, à Judæis tentus ac ligatus, ipsius
immolationis, hoc est Passionis suæ sacravit ex-
ordium. Et quidem hæc passio facta est in æ-
quinoctio, unde mundus initium cœperat, die
super noctem increscente, ad designandum,
quòd per passionem Salvatoris à tenebris ad lu-
cem perducamur. *ex cit. q. 46. a. 9.* 2. Passus est 7.
Christus in Hierusalem, ut ibi suam Passionem
ceu verum sacrificium offerret, ubi figuralia sa-
crificia offerebantur. Et quò magis veritas re-
sponderet figuræ, extra portam consummavit
Christus suam Passionem. Præceptum enim e-
rat *Levit. 16.* ut vitulus, & hircus, qui solem-
nissimo sacrificio ad expiationem totius mul-
titudinis offerebantur, extra castra combure-
rentur. *ex a. 10.* 3. Crucifixus est Christus in- 8.
ter duos, alterum prædestinatum, alterum ve-
rò damnatum latrones, tum ad eam, quæ in
Judicio futura est, hominum discretionem, tum
ad generalem humani generis, quoad Passionis
Sacramentum participandum vocationem de-
signandam. *ex a. 11.*
Infertur 4. Circa Passionis Christi causam 9.
efficientem specialiter adnotanda esse. 1. Chri-
stum quà hominem eatenus dici posse causam
suæ Passionis ac mortis permissivam, quatenus
ejus anima Verbo unita habebat potestatem con-
servandi naturam carnis suæ, ne à quocunque
læsivo inflicto opprimeretur. ex D. Thomâ *q.
47 a. 1.* 2. Ut ipso Passionis modo ejus effectus 10
in Judæis inchoatus, ac inde derivatus ad gen-
tiles præfiguraretur, conveniens fuisse, quòd
Christi Passio à Judæis inciperet, & ipsis traden-
tibus, per Gentiles finiretur. *ex a. 4.* 4. Per- 11
secutores Christi eatenus dicendi sunt ipsum
nescivisse, quòd Majores Judæorum noverint
quidem JESUM fuisse Messiam in lege promis-
sum, ignoraverint tamen ignorantiâ licèt vin-
cibili, & culpabili, fuisse Deum verum. At ve-
rò Minores Judæorum, tametsi propter signo-
rum multitudinem aliquando dubitaverint, an
non esset Christus? postea tamen deceptos à suis
Principibus in ipsum nec tanquàm Filium Dei
nec tanquàm Christum credidisse. *ex a. 5.* Cæ-
terùm qualiter, & quid Christus suâ Passione
meruerit, ac satisfecerit pro nostris peccatis,
qualis sit ejus efficacia? per D. Thomam *præs
q. 48. & 49.* tradita expendimus *supra q. 2. & 3.*
item *q. 12. a. 2.*
Infertur 5. Christum mortuum esse pro no- 12
bis, tum

bis, tum ut pro omnium peccatis satisfaceret,
tum ut veritatem assumptæ carnis ostenderet,
tum ut à mortis timore eripiens, mortuos nos
peccato moneret, & ad futuram resurrectionem
animos nostros pararet. ex S. Thomâ *q. 50. a.*
1. Cæterùm qualiter Corpus & anima Christi
in triduo mortis manserint Verbo *Hypostaticè* u-
nita, qualiterque idem fuerit Corpus Christi
mortuum ac vivens, diximus *supra q. 8. a. 1. cont.*
2. traditque Sanctus Thomas *hic a. 2. ac seq.*
13. Infertur 6. Conveniens fuisse, quòd Chri-
stus non modò moreretur, sed etiam sepelire-
tur, tum ut veritas Christi mortis comproba-
retur, tum ut spes resurgendi mortuis daretur,
& spiritualis mortis ac sepulturæ peccatorum
fieret hominibus exemplum. ex S. Doctore *q. 51.*
a. 1. Quam equidem Christi sepulturam con-
venienter peractam fuisse in horto, ad significan-
dum, quòd per mortem & sepulturam ipsius
liberaremur à morte, quam incurrimus per A-
14. dæ peccatum in horto paradisi commissum. Et
quia pro aliorum moriebatur salute, ideo post
mortem quoque conditur in alieno sepulchro,
eoque novo; per quod datur intelligi, omnes
nos destructâ morte & corruptione, per Christi
15. sepulturam innovandos esse. Erat autem Chri-
sti sepulchrum in petrâ excisum, ut *mysticè* sig-
nificaretur, quòd per Apostolorum doctrinam in
Pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere
excisum esset inferendus Christus. *ex a. 2.* Ubi
16. plura videri possunt. Cæterùm ne Christi mors
infirmitati ejus naturæ adscriberetur, necessa-
rium fuit, ut in sepulchro corpus integrum &
incorruptum servaretur virtute Divinitatis il-
17. lud nunquam deserentis. *ex a. 3.* Et quia per
unam Christi mortem non pro peccato suo,
sed ex charitate susceptum à duplici morte sci-
licet animæ & corporis liberati sumus, decuit,
ut unâ solùm die mortem ipsius significante,
& duabus mortibus duplicem nostram mortem
designantibus in sepulchro esset. *ex a. 4.*
18. Infertur 7. Conveniens fuisse, Christum ad
inferos descendere, ut, quemadmodùm patiendo
mortem, nos à morte eripuit, ita descenden-
do ad infernum, nos ab isto liberaret. ex D.
19. Thomâ *q. 52. a. 1.* Neque tamen Christi anima
quoad substantialem præsentiam descendit, ni-
si ad locum justorum, tametsi secundùm effe-
ctum descenderit in omnem inferni locum, ita
ut in inferno damnatorum haberet hunc effectum,
quòd eos de suâ incredulitate & malitiâ con-
futarit, illis verò, qui detinebantur in Purga-
torio, spem Gloriæ consequendæ dederit: san-
ctis autem Patribus, qui pro solo originali pec-
cato detinebantur in inferno, lumen æternæ glo-
20. riæ infuderit. *ex cit. q. 52. a. 2.* Quia porrò Per-
sona Verbi in triduo mortis mansit unita car-
ni & animæ Christi, potest dici, totam perso-
nam Christi, atque adeò totum Christum ra-
tione animæ sibi unitæ in inferno, & ratione
corporis sibi uniti in sepulchro fuisse; siqui-
dem *ly* totus *masculinè* sumptum denotet Perso-
nam, & *neutraliter* tantùm cadat super naturam.
21. *ex a. 3.* Quemadmodùm autem Christus, ut
nostras in se susciperet pœnas, voluit corpus su-
um poni in sepulchro, & ibi manere per diem
integram, & duas noctes, sic quia propter eas-
dem pœnas in se susceptas voluit, animam su-
am in infernum descendere, credere fas est, tan-

to etiam tempore fuisse in inferno, ut simul a-
nima ejus educeretur de inferno, & corpus de
sepulchro. *ex a. 4.* Insuper cùm per Christi Passio- 22.
nem genus humanum ab omni reatu pœnæ,
tam originali, quàm actuali peccato debitæ li-
beratum fuerit, credendum est, Christum ad
inferos descendentem Patres omnes ex inferno
eatenus liberasse, ut statim ab instanti sui in in-
fernum ingressûs eos illustrarit luce gloriæ,
licèt eos non statim eduxerit, sed primùm in
instanti gloriosæ resurrectionis. *ex cit. ar. 4. &*
5. Verùm quia damnati nullam in Christum 23.
fidem charitate formatam habuerunt, nullo mo-
do credendum est, ipsos fuisse liberatos ab in-
ferno per illius descensum, sicuti nec pueros
cum peccato originali descendentes. *ex a. 6. &*
7. Quoad animas verò in Purgatorio detentas 24.
videtur tale ferendum judicium, quòd illas dun-
taxat suo ad inferos descensu virtute Passionis
liberarit, qui jam sufficienter purgati erant, vel
qui, dùm adhuc viverent, per fidem ac devo-
tionem ad mortem Christi meruerant, ut eo
descendente, liberarentur à temporali Purga-
torij pœnâ. *ex. a. 8.*

COROLLARIUM VI.

De Gloriosâ Christi Resurrectione.

INfertur. 1. Christi resurrectionem fuisse ne- 1.
cessariam tum ad Divinæ Justitiæ commen-
dationem, ad quam pertinet, exaltare illos,
qui se propter Deum humiliant, tum ad fidei
nostræ instructionem, quia per Christi Resur-
rectionem confirmata est fides nostra circa Di-
vinitatem Christi, tum ad sublevationem no-
stræ spei, quia, dum credimus Christum re-
surrexisse, qui est caput nostrum, speramus,
& nos resurrecturos: tum ad informationem
vitæ fidelium. Quomodò enim Christus sur-
rexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in
novitate vitæ ambulemus. *Rom. 6.* Tum ad com-
plementum nostræ salutis, quia Christus tradi-
tus est propter delicta nostra, & resurrexit
propter justificationem nostram. *Rom. 4.* Vide
plura de hoc apud D. Thomam *præs. q. 53. a. 1.*
Infertur. 2. Congruè factum esse, ut Chri- 2.
stus tertiâ die post mortem resurgeret. *ex cit. q. 53.*
a. 2. Ratio est. Tum quia ad hoc, ut nostra cir-
ca Divinitatem Christi fides confirmaretur,
oportuit, ipsum citò resurgere; tum quia,
ut fides de veritate humanitatis in nobis firma-
retur, oportuit, moram aliquam intercessisse
inter mortem ipsius ac Resurrectionem. Hæc
autem mora erat sufficiens, dum unâ integrâ
die, & duabus noctibus manserat mortuus ad
ostendendum, quòd Christus suâ morte, quæ
dies seu lux fuit, propter Justitiam, duas no-
stras corporis scilicet & animæ mortes, ceu te-
nebricosas propter peccatum noctes destruxe-
rit. Dicitur porro Christus primus omnium 3.
resurrexisse à morte, quatenus non tantùm à
morte in actu, sed etiam à necessitate, imò & à
potestate moriendi per resurrectionem suam
omnium primus liberatus est, cùm illi tamen,
qui in veteri testamento, vel per Christum su-
scitati sunt à mortuis, adhuc retinuerint neces-
sitatem moriendi. *ex a. 3.* Et quia secundùm u- 4.

nitæ Divinitatis virtutem, & Corpus resumpsit animam, quam deposuerat, & anima se univit Corpori, quod dimiserat, ideò Christus propriâ virtute, non quidem humanitatis, sed Divinitatis resurrexit. *ex a. 2.*

5. Infertur 3, Corpus Christi post Resurrectionem fuisse verum ac integrum constans carnibus, ossibus, sanguine, & alijs ad integritatem humani Corporis spectantibus. *ex q. 54. a. 1.* Et quia, cùm anima Christi à principio suæ conceptionis per fruitionem Divinitatis perfectam esset gloriosa, non nisi *Dispensativè*, ob nostræ redemptionis Mysterium Passione ac morte Christi adimplendum, erat factum, quòd illa animæ gloria non redundaret in corpus, idcirco peracto Mortis Christi Mysterio, statim anima in Corpus resurrectione resumptum derivavit suam gloriam, fuitque adeò Christi corpus ex tunc gloriosum. *ex a. 3.*

6. Decuit tamen in glorioso Christi corpore remanere cicatrices quinque vulnerum, ut victoriæ suæ triumphum circumferret, & dubios in fide firmaret, Patrique pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine tulerit, semper ostenderet. *ex a. 4.*

7. Infertur. 4. Manifestationem Gloriosæ Christi resurrectionis decenter factam esse sequenti ordine. Nam *Primò* cùm ea, quæ supra naturam communem excedunt, mediantibus superioribus à Deo *immediatè* illuminatis deferantur ad Intelligentias, oportuit, gloriosam Christi resurrectionem, ceu Mysterium naturali hominum cognitione sublimius non Universo populo *immediatè* manifestari, sed quibusdam à Deo præordinatis testibus, per quos deinceps perveniret ad aliorum notitiam ac fi-

8. dem. *ex q. 55. a. 1.* Hinc *Secundò* quia teste D. Dionysio *Cælest. Hierar. h. cap. 4.* Divinitùs institutum est, ut ea, quæ supra homines sunt hominibus per Angelos nuntientur, non debuit Christi resurrectio *primò immediatè* videri à Discipulis, sed ejs ab angelis denuntiari. *ex a. 2.* Ex-

9. inde *Tertiò* Christus quidem seipsum Personaliter exhibuit Discipulis vivum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens ejs, non tamen decebat, ut post Resurrectionem diu cum discipulis conversaretur, ne ad vitam tedijsse mortalem putaretur, sed aliquanto duntaxat tempore, ut se verè resurrexisse ostenderet.

10. *ex a. 3.* Et quia *Quartò* illi, qui habent mentem bene dispositam, secundùm veritatem Divina perçipiunt, cùm econtra illi, qui mentem non habent bene dispositam, non nisi sub quadâ dubietatis, ac erroris confusione percipiant Divina, idcircò Christus quibusdam ad credendum dispositis Discipulis post resurrectionem apparuit in suâ effigie, alijs verò, velut Discipulis in Emaus euntibus, in alienâ effigie. *ex a. 4.*

11. *Quintò*. Argumenta, quibus Christus suam Resurrectionem Discipulis probavit, alia erant rationis, alia verò erant signa quædam sensibilia. Et quia Mysterium Resurrectionis superabat lumen naturæ, non poterant rationis argumenta esse naturalia, sed supernaturalia duntaxat ex Sacris litteris petita, ut cum Discipulis euntibus in Emaus exposuit sacras litte-

12. ras de hoc Mysterio tractantes. Verùm præter ista argumenta Christus se exhibuit post Resurrectionem sub signis etiam sensibilibus, tum quia corda non erant disposita ad fidem resurrectionis de facili recipiendam, juxta illud Lucæ *ult. O stulti & tardi corde ad credendum.* Tum quia per hujusmodi signa fiebat, ut Apostolorum testimonia de Resurrectione Christi redderentur deinceps efficaciora, juxta illud *1 Joan. 1. Quod vidimus, & audivimus, & manus nostra contrectaverunt, hoc testamur.* Cæterùm de istis sensibilium signorum argumentis plura videre licet apud D. Thomam *cit. q. 55. a. 6.*

Infertur. 5. Cùm Christus resurrexerit tanquàm Primitiæ omnium dormientium, atque adeò tanquàm Primus in genere veræ Resurrectionis, oportet, ejus Resurrectionem esse causam nostræ Resurrectionis: siquidem id, quod est primum in quolibet genere, sit cæterorum causa. ex S. Doctore *q. 56. a. 1.* Et quia resurrectio Christi in virtute Divinitatis agit, non modò Resurrectionis Corporis, sed etiam animarum, atque adeò Justificationis est causa tam effectiva, quàm exemplaris. *ex a. 2.* Quod equidem accidit, quatenus humanitas Christi in Cœlis existens, tanquàm instrumentum Divinitatis, etiam *Physicè obedientialiter* est productiva omnimodæ Gratiæ & Gloriæ tam Corporibus, quàm animabus hominum concedendæ. ex dictis *supra q. 13. a. 1. conc. 2. & 3.* 13. 14.

COROLLARIUM VII.

De Gloriosâ Christi Ascensione, Sessione ad dexteram Patris, illiusquè Judiciariâ potestate.

Infertur 1. Cùm Christus post Resurrectionem inchoaverit vitam immortalem, convenienss fuisse, ne in terris utpote loco Generationis & Corruptionis remaneret, sed in Cœlum ceu locum incorruptionis ascenderet. *ex q. 57. a 1.* Et quia secundùm Divinitatem utpote immobilem non potuit Christus unquàm deseruisse Cœlum, consequenter secundùm quod homo duntaxat, virtute tamen Divinitatis penetravit Cœlos. *ex a. 2* Hæc autem Virtus Divinitatis eatenus erat prima Christi in Cœlum ascensionis origo, ut animæ tamen glorificatæ sit impressa virtus, Corporis pro arbitrio motrix, mediante quâ virtute, non quidem naturali, sed statui gloriæ conveniente possit Christus etiam quâ homo dici viribus propriis ascendisse in Cœlum. *ex a. 3.* Et hinc dum *Act. 1* dicitur, nubes Christum ascendentem suscepisse ab oculis Discipulorum, id non ita accipiendum est, quasi nubes hujusmodi præbuerit adminiculum Christo per modum vehiculi, sed apparuit in signum Divinitatis, secundùm quod Gloria Dei Israel apparebat super tabernaculum in nube. *ex a. 4. ad 4.* Quando porrò ad *Ephes. 3.* Christus dicitur ascendisse super omnes Cœlos, hoc rigorosè ac litteraliter eatenus accipiendum est, quatenus Corpus Christi, utpote nullius Corporis continentiâ indigens, super omnia corpora cœlestia constitutum in alto, propriâ animæ suæ virtute independenter ab omni alio corpore locante, est sui ipsius sustentativum. *ex cit. a. 4.* Pari proinde ratione dum ad *Ephes. 1.* dicitur Deus, constituisse *Christum supra omnem Principatum & potestatem, supra omne nomen* quod 1. 2. 3. 4. 5. 6.

quod nominatur sive in hoc seculo, sive in futuro, debet istud taliter accipi, ut Christi Corpus ratione Unionis ad Verbum sit in altiori supra omnes Angelicos etiam creaturas loco, dum scilicet Angelicæ virtutis proprius locus destinatus est in Cœlo Empyreo, ut non quidem per modum contactûs Quantitativi, sed virtutis ac operationis ibi existant, cùm econtra Christi Corporis Gloriosi locus super omnes cœlestes substantias sit suprema Cœli Empyrei superficies. *ex a. 5.*

7. Infertur 2. Christi ascensionem posse dici causam nostræ salutis. *Primò moralè*, quatenus ex hoc mysterio movetur mens nostra ad fidem Divinitatis Christi, ejusque spem & charitatem,
8. nec non reverentiam erga ipsum. *Secundò effective*, quatenus suâ ascensione paravit nobis locum in Cœlis, dum scilicet partim suis meritis intra sanctuarium Cælorum Patri æterno exhibitis, partim suâ etiam Physicâ causalitatē est causa gratiarum & gloriæ nobis conferendarum. *ex art. 6.* Patetque ex ijs, quæ *supra* diximus de Resurrectione.

9. Infertur 3. Christo jam convenire, quòd sedeat ad Dexteram Dei Patris, tum quatenus incorruptibilis manet in gloriâ & beatitudine Patris, utpote quæ ejus dexterâ dicatur, juxtà illud *Psal. 15. Delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.* Tum quatenus Patri conregnat, & ab eò habet judiciariam potestatem, sicut ille, qui considet Regi ad dexteram, assidet ei in regnando & judicando. Ex D. Thomâ *q. 58. art.*
10. Unde fit, quòd Christus & quà Deus, & quà Homo dici possit sedere ad dexteram Patris, utpote qui ut sic habeat eandem cum Patre Deitatis Gloriam & beatitudinem, & Judiciariam potestatem. *ex a. 2.*

11. Deinde quando Christus ut Homo dicitur sedere ad dexteram Patris, tunc reduplicatio intelligitur cadere supra suppositum Christi hominis. At certum est, istud suppositum eatenus postulare æqualitatem Honoris, ut eodem honore veneremur Filium Dei cum naturâ assumptâ, ut adeò huic eti m ratione Hypostaseos sedes ad dexteram Patris conveniat secundùm sui cum Verbo Unionem, nec non secundùm participationem bonorum Paternorum, abundantioris scilicet Gratiæ & Gloriæ, ac Judiciariæ potestatis, ipsiusq; e Latricæ adorabilitatis. *ex a. 3.*
12. Et hinc soli Christo, non Angelo, vel ulli puro homini convenit ad dexteram Patris sedere, cùm solus ille sit æqualis Patri secundùm Divinitatem, nec non in quantum homo sit in excellentissimâ super omnes creaturas bonorum Patris possessione. *ex a. 4.*

Infertur 4. Judiciariam Potestatem Filio 13.
Dei appropriari ex sequenti fundamento. Nam ratio Judicij est lex sapientiæ & Veritatis, secundùm quam judicatur. At Filius Dei est Sapientia genita, & Veritas à Patre procedens, ipsumque, omniaque in seipso perfectè repræsentans. Et hinc, quæ Pater judicat, per ipsummet Filium, ceu Sapientiam & Veritatem à se procedentem, non quidem tanquàm formam sui informativam, sed tanquàm actum à se originatum in *sensu* non tàm *formali*, quàm *quasi causali* eatenus judicare dicitur, ut propterea etiam dictum sit, *Pater non judicat quemquam, sed omne Judicium dedit Filio.* 14.

In cujusmodi adeò appropriationis non quasi *formali*, sed quasi *causali* sensu verificatur, soli Filio Dei eatenus convenire Judiciariam potestatem, quatenus istam ex visuæ originis non tantùm in primo, sed etiam quarto *Personalis* genere *formaliter* habeat ibi propriam. *ex q. 59. a. 1,* 15.

Infertur 5. Ejusmodi Judiciariam potestatem Christo etiam quà homini, non quidem secundùm naturæ humanæ conditionem, sed secundùm gratiam Capitis in personalis um Divinâ Hypostasi Unionis dignitate radicatam, eatenus convenire, ut ex alio tamen etiam titulo scilicet meriti eidem contigerit, ut secundùm Dei Justitiam Judex esset, qui pro Justitiâ Dei pugnavit & vicit. *ex præs. a. 2* De quo videri possunt, quæ diximus *in præced. q. 17. a. 2. tom. 3.* Et quia Christus est Verbum Dei quo 16.
Pater facit omnia, nec ista duntaxat Verbi Hypostasis est personaliter unita humanitati, sed ipsum insuper Verbum sub ratione primæ omnium à se factibilium Veritatis est intelligibiliter *immediatè* unitum humanitati, idcirco Christus non tantùm secundùm Divinitatem, sed Humanam quoq; naturam habet super omnes quascunque res potestatem Judiciariam. *ex a. 4.* 17.

Cujusmodi adeò Judiciariæ potestatis in Christo exercitium alterum fit per Judicium à primo statim cujusque Hominis instanti latum, alterum verò fiet per finalem in extremo Judicij ferendam sententiam. De quo duplici Judicio alibi Deo dante disseremus.

F I N I S.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
NOTABILIUM.

Prior numerus Paginam, posterior numerum Marginalem denotat.

Adora-

An,

Quali-

Subsi-

Unio

FINIS.

Omnia ad maiorem DEI, Deiparæque Virginis ac P. N. BENEDICTI gloriam.

Typis Monasterij EINSIDLENSIS,

PER

NICOLAUM WAGENMANN.

ANNO CHRISTI M. DC. LXVIII.